11143

2119

211

Francesco




VENETIIS
*Apud* DOMINICVM TABACCVM *Anno* 1741

# DE ROMANA REPUBLICA,

SIVE

De Re Militari & Civili

# ROMANORUM,

Ad explicandos Scriptores antiquos.

*AUCTORE*

PETRO JOSEPHO CANTELIO

E Societate JESU.

*EDITIO SECUNDA VENETA,*

*poſt ſextam Lugdunenſem, a mendis quamplurimis expurgata, multiſque æneis figuris locupletata, & duabus Diſſertationibus aucta.*

VENETIIS, MDCCXLI.

APUD DOMINICUM TABACCUM.

*SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.*

# ARGUMENTUM

## *Primæ Partis.*

IN Latinis tum Oratoribus tum Poetis, quos in ſcholis prælegi mos eſt, occurrunt ſæpe multa, quæ ad Romanorum vel inſtituta vel bella pertinent; eaque res legentibus, hæc ſi neſciant, moleſtiam interdum objicere ſolet. Cujus incommodi ut pars aliqua per me tolleretur, feci non invitus ſtudioſæ juventutis cauſſa, ut Romanæ hiſtoriæ epitomen facili digeſtam ordine contexerem; Romanorumque bella, prælia, militiam, provincias, jura, & alia id genus perbrevi libello complecterer. Quod non

adoleſcentibus modo , ſed iis etiam , qui humaniores colunt litteras , aut oblectationi aut uſui eſſe poterit : res enim Romanas cognoſcere homini liberaliter inſtituto nec injucundum eſt , nec inutile . Sed de inſtituti noſtri ratione paucis admonendus es amice lector ; ut quænam ſit hujus libelli partitio , quo ſpectent Diſſertationes ſingulæ , & quæ cujuſque ſumma ſit, intelligas.

Hunc libellum in partes duas tribuimus : prior continet ea , quæ ad rem militarem ſpectant ; poſterior , quæ ad civilem . In prima parte ſex omnino ſunt Diſſertationes , in ſecunda totidem : de poſteriori parte videbimus poſtea , de priori nunc agimus breviter.

Prima Diſſertatio *Romanorum bella* complectitur ; ubi diligenter annotatum a nobis eſt , quæ cujuſque belli cauſſa fuerit , quot prælia , quis exitus ; quæ devictis gentibus imperatæ leges ; penes quos fuerit belli & ſuſcepti & confecti gloria , & quo anno ſingula geri bella & cœpta ſint & deſita.

Ex illa vero infinita prope præliorum multitudine illuſtriora quæque ſelegimus , quæ in Diſſertatione ſecunda perſequimur paulo uberius . Summa nobis cura fuit obſervare , quis militum utrinque numerus fuerit ; quo & loco & anno , quibuſve ducibus pugnatum ſit ; qua arte inſtructa acies ; cujus vel imprudentia accepta clades , vel fortitudine relata victoria ; quot ex utraque parte milites & cæſi ſint & capti . Adſcripta etiam , ex antiquis petita ſcriptoribus , Imperatorum ſeu in prælio ſeu poſt victoriam præclare dicta , ne quid nobis excidat , quod ad ſum-

ſummorum virorum gloriam quoquomodo pertinet: quibus acceſſit brevis appendix de expugnatione clariſſimarum olim urbium, quæ a Romanis vi captæ ſunt, vaſtatæ, incenſæ, dirutæ.

Hanc Diſſertationem excipit tertia, *de Romanorum illuſtrium mortibus*. Hiſtoriæ enim, quam ſcribimus, ordo poſtulat, ut poſtquam de Romanorum bellis & præliis diximus, agamus de iis Imperatoribus, quorum auſpiciis & confecta hæc bella ſunt, & partum Romæ orbis imperium eſt. Ne vero longiores ſimus, hæc a nobis adhibita eſt cautio. Non omnes, qui vel militari gloria vel obitis honoribus Romæ floruerunt, in hanc Diſſertationem temere & nullo delectu adſciti; ſed ii tantum, quorum interitus habet aliquid ad poſteritatis memoriam ſingulare: ſive ipſi ſibi mortem conſciverint, ſive hoſtium fortitudine in prælio, ſive inimicorum ſcelere domi perierint. Teſtimonia etiam ex primæ claſſis auctoribus excerpta apponere libuit, quibus illorum & expreſſa forma eſt & indoles: habet enim voluptatis nonnihil, quo ſummi Imperatores & ingenio fuerint & corporis habitu, cognoſcere.

Secundum hæc *de provinciis Romanorum* diſſeritur; ubi breviter, quoad fieri potuit, perſtringimus, quid ab iis ducibus tot bellis & præliis actum ſit, quot annis ſubactæ provinciæ, quæ domitæ gentes, quæ ſingulis nationibus leges impoſitæ, a quibus in provinciæ formulam deſcriptæ, quibuſque terminis quæque provincia definita ſit. Unde cuivis intelligere licebit, quam late patuerit Romanorum imperium, & qua ratione tot gentes,

quæ ab Euphrate ad Britannicum uſque Oceanum pertinebant, in Romanorum ditionem conceſſerint.

Huic Diſſertationi ſuccedit alia ipſi cognata & affinis, *de variis Romanorum juribus*. Provincia enim omnis in Romanorum poteſtatem venit vel armis, vel fœdere. Quare ſolemne fuit tum ſociis ex initæ ſocietatis conditionibus, tum domitis gentibus pro victoris arbitrio & imponere onera & jura concedere; unde ex varia vel victoriæ vel fœderis lege varia jura manarunt, *Romanorum*, *Latii*, *Italicum*, *Provinciarum*, quorum aliud alio & commodius erat & honeſtius. Ex iis vero juribus jus coloniarum, municipiorum, præfecturarum temperatum erat; quæ cujuſque juris origo ſit, ſive privati, ſive publici; quibus datum populis, a quo, quo tempore, quave de cauſſa; quis apud Romanos ingenuus, liber, ſervus, libertus, &c. quid jus ſacrorum, cenſus, militiæ, ſuffragii, honorum & imperii; quid colonia, municipium, præfectura, &c. diſputamus.

Ne quid vero, quod ad rem militarem ſpectat, omittamus, ſubjecta a nobis eſt ſexta Diſſertatio *de Romanorum militia*; in qua accurate, quoad licuit, exponitur, primum quænam fuerit & legendi militis & dimittendi ratio; deinde quot partibus conſtaret exercitus; quid legio, cohors, manipulus, ala, turma, cornu, & ejuſdem generis alia; tum quot militum ordines, qui velites, haſtati, principes, triarii, evocati, ablecti; poſt, quam varia ducum genera, qui Centuriones, Tribuni, Præfecti, Legati, Imperator; denique, quæ ſigna, arma, ſtipendia, pœnæ

næ , præmia tum militum tum Imperatorum; ubi ovationis & triumphi diſcrimen ac pompa deſcribitur . Hæc fere in priori parte continentur.

A R-

# ARGUMENTUM

## *Secundæ Partis .*

ALia hujus partis, ac primæ conditio eſt . Prima nec Urbem nec Italiam tantum , ſed univerſum Romanum orbem complexa fuit ; huic vero parti anguſtiores multo terminos præſcripſimus : iiſdem enim erit , quibus Urbs ipſa , circumſcripta finibus , nec illam extra hos limites longius vagari patiemur . In ſex Diſſertationes itidem ac prima deſcripta eſt , quarum argumenta ſunt hæc.

Primæ Diſſertationis tria ſunt veluti membra ; Romanorum enim *nomina* , *varios ordines* , *comitia* explicat . Ne quis enim ejuſdem ſive gentis ſive familiæ homines nominum ſimilitudine inter ſe confundat , primum de nominibus diſputamus : nomine enim gens a gente , cognomine familia a familia , prænomine frater a fratre diſtinguitur . Quærimus , an Romani omnium primi pluribus uti nominibus cœperint ; quæ fuerint illa prænomina , nomina , cognomina , & unde ſumta ſint ; quæ lex fuerit in fœminis , filiis adoptivis , libertinis , ſervis ; an eadem fuerit nominum ratio , ſtante everſaque Republica . Deinde exponimus varios populi Romani *ordines ;* quando & a quibus diviſus ſit in tribus , curias , claſſes , centurias , plebem ,

equites ,

equites, Senatores: quæ illarum vocum notio ſit; quæ cujuſque ordinis dignitas, privilegia, inſignia; quid eques a plebejo; quid ab equite Senator differat. Denique agimus de *comitiis*; quotuplex eorum genus fuerit; ubi, qua de cauſſa, & quando habita; quorum fuerit & illa vocare & illis intereſſe; qui in ſingulis creati tum magiſtratus tum Pontifices; & qua ratione quæque celebrata ſunt.

Cum vero publicæ rei adminiſtratio duabus potiſſimum rebus contineatur, & magiſtratuum auctoritate, & religionis cultu; in ſecunda Diſſertatione *Romanorum magiſtratus*, in tertia *ſacerdotia* complexi ſumus. Non nobis tamen propoſitum eſt dignitates omnes ſive profanas, ſive ſacras perſequi, ſed præcipua tantummodo; cujuſmodi ſunt inter civiles *Dictatura*, *Conſulatus*, *Cenſura*, *Prætura*, *Aedilitas*, &c. inter ſacras vero *Collegia Pontificum*, *Augurum*, *Flaminum*, &c. Cætera enim ut plurimum vel inutilia ſunt vel levia. Cur & quando hæ dignitates & inſtitutæ ſint & abolitæ; quæ cujuſque poteſtas fuerit, onera, jura, ita expreſſum eſt, ut quoddam veluti ſingularum ſtemma, a prima origine ad finem uſque deductum, texuerimus.

Subjuncta eſt *de Romanorum familiis* Diſſertatio longe uberior. In qua de patriciis primum agitur; quid diſcriminis fuerit inter patricios & plebejos, inter nobiles & homines novos; quot patriciorum fuerunt genera; cujus fuerit Romanum civem in patriciorum ordinem adſciſcere; qui contigerit interdum, ut quis vel ex patricio plebejus fuerit, vel

ex

ex plebejo patricius. Deinde appoſita nobiliſſimarum ſtemmata, ſive patriciæ fuerunt, ſive plebejæ. Si qua familia plures & belli & pacis artibus inſignes viros protulit, ſubjectum eſt illius ſtemma integrum; ſi unum tantum alterumve, non item: ſed clariſſimi quique ſuo ordine appellati. Annus etiam, quo quiſque Conſul fuit, annotatus eſt.

Diſſertatio quinta *de Romanorum anno*, *menſibus*, *feriis* diſputat; qua forma fuerit annus a Romulo inſtitutus; quo modo a Numa primum, deinde a C. Cæſare, tum ab Auguſto caſtigatus; quid dies feſtus, profeſtus, interciſus, faſtus, nefaſtus, & alia hujuſmodi.

Diſſertatio ultima, quæ de induſtria in hunc locum rejecta eſt, varia Romanorum inſtituta continet de *veſtibus*, *conviviis*, *ludis*, *funeribus*; quam multiplex ludorum genus, tum ſcenicorum, tum circenſium; quis uſus, quæve figura pallii, tunicæ, togæ ſive prætextæ, virilis ſive pictæ, &c. Ubi etiam de lato clavo Senatorum, de equitum annulo, de puerorum bulla agitur; quot apud Romanos ſumendi cibi tempora; unde mos ad menſam accumbendi fluxerit, &c. quo ritu, quave pompa funebri, ubi quis obierat, cadaver elatum, combuſtum, ſepultum. Hæc poſterioris partis ſumma eſt.

Ni hujus libri moles nimium excreſceret, duo, intra quos coerceretur, ipſi præſcripti limites; ab Urbe condita ad annum 722. quo devictis ad Actium Antonii partibus Octavius Cæſar rerum unus potitus eſt. Tempus vero illud omne, quod a Romulo ad Auguſtum uſque fluxit, in multas ſive ætates ſive epochas tribuimus; quo & memoriæ imbecillitati

quam

quam maxime ſerviremus , & Diſſertationes ſingulæ in varia veluti membra diſtractæ minus haberent faſtidii . Appoſitæ ubique & temporum & locorum notæ , ut id , quo de agitur , his characteribus inſignitum fiat illuſtrius .

Præterea adſcriptæ interdum, ubi opus fuit, variæ de re eadem hiſtoricorum ſententiæ ; ut & res teſtatior ſit , & fontes ipſos , unde eadem illa uberius licet haurire, ſi lubet , lector conſulat . Hæc de inſtituti noſtri ratione & navata in hoc libello opera præfari & admonere te , lector , voluimus : animus quidem erat idem de Græcis, quod de Romanis, præſtare , Græcorumque & res geſtas & inſtituta in hujuſmodi epitomen redigere ; ſed id, ſi Deus dederit, alias pertexemus. Interim his in anteceſſum fruere & fave.

DE

# DE ROMANA
# REPUBLICA
## *PARS PRIMA.*
### *De Re Militari Romanorum.*

DISSERT. I. Bella.
DISSERT. II. Prælia.
DISSERT. III. Mortes illuſtres.
DISSERT. IV. Provinciæ.
DISSERT. V. Jura.
DISSERT. VI. Militia.

*PARS*

## PARS SECUNDA.

### *De Re Civili Romanorum.*

DISSERT. I. Nomina, Ordines, Comitia.
DISSERT. II. Magiſtratus.
DISSERT. III. Sacerdotia.
DISSERT. IV. Familiæ.
DISSERT. V. Annus, Menſes, Feriæ.
DISSERT. VI. Veſtes, Convivia, Ludi, Funera

## APPENDIX.

DISSERT. I. Sacrificia.
DISSERT. II. Nuptiæ.

NOI

Nu. 298.

# NOI REFORMATORI

## Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Reviſione, ed *Approvazione* del P. *Fr. Paolo Tommaſo Manuelli Inquiſitore di Venezia*, nel Libro intitolato, *De Romana Republica, ſive de re Militari, & Civili Romanorum &c. Auctore Joſepho Cantelio S. J.* non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per atteſtato del Segrerario noſtro niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Domenico Tabacco Stampatore di Venezia*, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Podova.

Dat. li 6. Luglio 1740.

[ *Z. Pietro Paſqualigo Ref.*
[
[ *Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Ref.*

Regiſtrato in Libro a carte 55.

Agoſtino Bianchi Segr.

1740. 25. Agoſto.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſſ:
contro la Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segr.



pag. 1.
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
SEPTENTRIO
ANTIQVÆ VRBIS IMAGO EX ONVPHRIO PANVINIO
Vaticanus
Campus Vaticanus
Via Aurelia
TIBERIS
Doliolum
Prata Mucia
Campus Martius
septa
Via Flaminia
Collis Hortulorum
Quirinalis
Viminalis
Via Ostiensis
Via Latina
Portæ Vrbis Romæ
A P. Aurelia
B P. Capena
C P. Coelimontana
D P. Collatina
E P. Collina
F P. Esquilina
G P. Flumentana
H P. Ianiculensis
I P. Latina
L P. Portuensis
M P. Querquetulana
N P. Septimiana
O P. Tiburtina
P P. Trigemina
Q P. Triumphalis
R P. Viminalis

# O R I G O

# URBIS ROMÆ.

ANNO mundi 2800. ante Chriſtum circiter 1184. a Græcis Troja proditione capta eſt. Quæ belli cauſſa fuerit, quæ ducum nomina, prælia, victoriæ, docet vel hiſtoria, vel fabula: ſed hæc nihil ad nos. Proditionis auctores fuiſſe perhibentur Antenor & Æneas, a quibus vel Scæa porta aperta Græcis eſt, ut vult Dares, vel equus ligneus armatis gravis milite in urbem invectus, ut viſum eſt ali[is]. Trojæ rudera ambo incolere permiſſi, at pau[lo] poſt uterque inde pulſus; alius alio, aliaque de[...]uſſa. Æneas vel ab Agamemnone ejectus eſt, ut placet Dareti, quod Polyxenam pro felici red[itu] a Græcis immolandam apud ſe occultaſſet; vel ab Antenore, ut Dictys auctor eſt, quod vicinos in eum populos concitaret.

*I. Æneas Phrygia pulſus.*

Ut ut eſt, ex Aſia pulſus Æneas, claſſe navium duarum & viginti felicibus auſpiciis in Latium appulit. Latio tum præerat Latinus, Fauni filius: cum eo Æneas accepta in matrimonium Lavinia filia fœdus iniit, Turnum Rutulorum Regem vicit. Turnus & Latinus occiſi, utrique ſuperſtes Æneas triennio poſt contra Mezentium Tyrrhenorum Regem

*II. Regnat in Italia.*

fortiter dimicans occubuit. Hunc excepit Aſcanius, a quo condita Alba eſt. Qua in urbe a quatuordecim poſt Aſcanium Regibus ad Romulum uſque imperatum eſt.

III. *Numitorem Amulius regno ejicit.* Procas Sylvius Albanus Rex ab Ænea decimus tertius duos ſuſcepit filios, Numitorem & Amulium; ambos æquis partibus hæredes moriens inſtituit: tum Amulius, ſi Dionyſio credimus, regnum opeſque patris ita partitus eſt, ut ex una parte regia poteſtas eſſet, ex altera prædia, villæ, aliaque id genus. Numitor, cui optio permiſſa erat, privata bona regno prætulit; ita regium decus ſortitus eſt Amulius: Scriptores tamen cæteri Numitorem una cum Amulio primum regnaſſe prodiderunt; deinde ab eo ejectum: cujus etiam ſcelere Ægeſtus filius Numitoris necatus eſt, Rhea ipſius ſoror Veſtæ ſacerdos fieri juſſa.

IV. *Romulus & Remus Numitoris nepotes.* Rhea duos ex Marte, *ut fabula eſt*, filios peperit, Romulum & Remum: *de quo* ut allatum eſt ad Amulium, Rhea continuo aut occiſa eſt, aut conjecta in carcerem; aliis enim aliter videtur: pueri, quod Tiberis aquarum copia late reſtagnaſſet, ad Pallantii montis radices depoſiti in alveo vimineo, qui impactus ſaxo effudit infantes. Iis, dum in luto vagiunt, lupa mammas præbuiſſe dicitur, diſtentis recenti partu uberibus. Sub hæc illos ibi offendit paſtor Amulii Fauſtulus, uxorique Accæ Laurentiæ nutriendos detulit.

V. *Amulium occidunt.* Ubi uterque adolevit, orta inter Amulii & Numitoris paſtores rixa, victa pars Numitoris ad dolos converſa eſt. Remum abſente Romulo inſidiis intercipit, eumque de vi illata apud Amulium criminatur. Permotus juvenis periculo Fauſtulus Romulum, & quo genere ortus ſit, edocet, & ut liberet fratrem, hortatur. Continuo in Amulium conſpirant paſtores; iis ſe ducem præbet Numitor. Oppreſſi primo impetu Amulii cuſtodes, deinde & Amu-

Amulius ipſe obtruncatus, & reſtitutus in regnum Numitor.

Secundum hæc Numitor (ſive ut ditionem propriam daret nepotibus, ſive ut fautores Amulii a ſe removeret) agros, pecuniam, arma, mancipia, aliaque id genus illis, quo novam conderent urbem, indulſit; familiaſque quinquaginta, quæ ab Amulio ſteterant, eo migrare jubet: Sic Roma ædificari cœpta eſt feſtis Palilibus, quæ Pali Paſtorum Deæ ſacra erant. Quo vero creſceret civium multitudo, Romulus aſylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis, inquit Livius, ſine diſcrimine, liber an ſervus eſſet, avida novarum rerum perfugit, idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. VI. *Urbem Romam condunt.*

Vix jacta Urbis fundamenta, cum Romuli & Remi animum regni cupido inceſſit. Remus collem Remuriam muniendum contendit, Romulus Palantium: judicium Diis permittitur, uter auſpiciis vinceret alterum. Sex vultures primus vidit Remus; duodecim paulo poſt Romulus. Utrumque ſua multitudo Regem ſalutat; inde uter vicerit, oritur contentio: pugnatur; Remus in turba ictus cecidit: ita Dionyſius. Sunt tamen, qui Remum juſſu Romuli necatum velint; verbo quod per contumeliam muros Urbis tranſiliiſſet, revera quod regni ſocium habere nollet. Ex tam parvis initiis profecta Romana res primum iiſdem, quibus Urbs ipſa, definita eſt terminis: deinde & Italiam integram, & præcipuas Europæ, Aſiæ, Africæque regiones complexa eſt. VII. *Remus occiſus.*

# DE ROMANA REPUBLICA

## *PARS PRIMA.*

## De Re Militari Romanorum

### *DISSERTATIO PRIMA.*

### ROMANORUM BELLA.

---

### CAPUT PRIMUM.

*Bella a Regibus & contra Reges geſta.*

I. *Bella geſta a Romulo.*

QUINQUE bella Romulus geſſit; Cæninenſe anno Urbis 4. Sabinum anno 5. Camerinenſe & Fidenatenſe anno 16. Vejentinum anno 21. Bello Cæninenſi & Sabino cauſſam præbuit Sabinarum virginum raptus; cæteris nimia novæ urbis potentia. Victi ſunt Cæninenſes, Rexque illorum Acron a Romulo obtruncatus. Fugatus primum a Sabinis Romulus illos paulo poſt fudit; tum Sabinæ commiſſum ſua cauſſa prælium dirimunt: percutitur inter duces fœdus; Sabini commigrant Romam. Devicti Camerini Romæ habitare permiſſi, urbſque eorum direpta. Fidenates parte agri mulctati; Fidenas deducta colonia eſt. Vejentes ſemel atque iterum fuſi, eorum caſtra capta, naves cum commeatu interceptæ, ager ademptus, quin-

quinquaginta imperati obſides; ſicque fœdus in annos centum utrinque pactum eſt. Tres de hoſte victo triumphos in Urbem invexit Romulus, primum de Cæninenſibus & Antemnatibus, alterum de Camerinis, tertium de Fidenatibus & Vejentibus.

II. *A Tullo Hoſtilio.*

Romulum excepit Numa Pompilius; Pompilium Tullus Hoſtilius: ille otii quam belli ſtudioſior; hic pacis inſolens & ad bella factus, qui finitimis bellum indixit: Albanis an. 84. Fidenatibus an. 85. Sabinis an. 88. Dum Romana Albanaque acies ad pugnam inſtructæ ſtarent, placuit utriſque paucorum certamine decerni, utri utris imperarent: victoria Horatii virtute penes Romanos fuit; Albani in Romanorum ditionem redacti. Fidenates & Sabini paullo poſt acie devicti, Metiuſque Suffetius perfidiæ convictus actis equis in diverſa diſtractus eſt, Albaque diruta.

III. *Ab Anco Martio.*

Ancus Martius Numæ nepos bellum & Latinis an. 115. & Vejentibus an. 126. intulit; utriſque felici exitu: multa Latinis ademta oppida, multa Latinorum milia in Urbem adſcita; Vegentes ſemel atque iterum victi.

IV. *A Tarquinio Priſco.*

Plura Tarquinii Priſci bella memorantur. Latinum an. 139. Sabinum an. 140. Vejentinum an. 143. Etruſcum an. 144. Prælio fuſi Latini; Sabini tribus affecti cladibus ſe ſuaque Tarquinio permiſerunt; domiti Vejentes; Etruſci commiſſa ad Eretum pugna ſubacti: in eos tamen nec gladio nec exilio ſævitum eſt, nec imperatum vectigal. Tarquinio permiſſa ſumma in omnes poteſtas, delataque principatus inſignia, corona aurea, ſella eburnea, ſceptrum, aquila, purpurea tunica auro diſtincta, duodecim ſecures, ſingulæ a ſingulis Etruriæ populis miſſæ. Hæc Dionyſius & Livius.

V. *A Servio.*

Sub Servio bellum adverſus Etruſcos anno 177. & adverſus Vejentes anno 185. renovatum. Etruſci tribus præliis



fugati,

fugati, terque de illis triumphatum, Vejentes nullo negotio debellati.

VI. *A Tarquinio Superbo.* Varia & pro Romanis & contra Romanos bella geſſit Tarquinius cognomento *Superbus*, Sabinum an. 223. Volſcum an. 225. Gabinum an. 232. Ardeatinum an. 242. Romanum an. 245. Sabini & Volſci multis ab eo præliis conciſi; Gabii, cum vi non poſſent, Sex. Tarquinii dolo capti; Ardea obſeſſa; tumque Tarquinius Urbe pulſus bellum Romanis infert. In ipſo conflictu Brutus quidem occubuit, ſed victus eſt Tarquinius. Accitus a Tarquinio in auxilium Porſena an. 247. & Horatii fortitudine & Scævolæ audacia territus pacem ultro petiit. Denique Latinum omne nomem cum Tarquiniis conjuravit; ſed adverſus illos ad lacum Regillum a Poſthumio feliciter an. 158. dimicatum eſt, in eaque pugna Tarquinii ſpes omnis concidit: miſſi enim a Latinis Romam legati, qui pacem ſupplices peterent, iique captivos dimittere juſſi ſunt, dare perfugas, exules ejicere; tumque renovatum fœdus. Is belli, quod contra Tarquinios per annos 14. geſtum eſt, exitus fuit.

## CAPUT II.

### *BELLA*

*Volſcum, Etruſcum, Gallicum, Latinum, Samniticum, Tarentinum.*

*Bella.* HACTENUS pro libertate contra Tarquinienſes & Latinos pugnatum erat; pro finibus deinceps adverſus Volſcos, Æquos, Sabinos, Etruſcos certatum eſt: multæ utrinque & illatæ & acceptæ clades; ſed hæc, quia ut plurimum leviora ſunt, breviter perſtringimus.

I. *Volſcum.* Volſcos, quod Latinis in bello Tarquinienſi faviſſent,

viſſent, P. Servilius an. 259. bello petit, victoſque caſtris ſpoliat: funditque iterum an. 260. Annius Virginius; illorumque oppida capit an. 261. Poſthumius. Sed eorum rem afflictam recreavit pulſus e patria Marcius Coriolanus: is enim dux bello delectus victis ſæpe Romanis Urbi imminebat, cum matris precibus lacrymiſque flexus an. 266. cœpto deſtitit. Sub hæc ſæpe Volſci & Æqui fugati ſunt, alii ab aliis ducibus, quos appellare longum eſt. At nihil Quinctii Cincinnati victoria fuit illuſtrius, qui ab aratro ad Dictaturam vocatus Q. Minutium Conſulem ad Algidum obſeſſum ab Æquis liberavit an. 296. eoſque ſub jugum miſit, & iterum rebellantes a Romulio Conſule an. 299. a Quinctio Capitolino an. 308. victi ſunt, & a Geganio an. 311. ſub jugum miſſi: quod bellum ex intervallo ſæpe repetitum ad annos plures propagatum eſt.

Gravius etiam cum Etruſcis, maxime cum Vejentibus, bellum fuit; quod anno circiter 269. cœptum eſt. An. 274. Manlio & Fabio Conſulibus acriter dimicatum; Conſulum alter necatus, vulneratus alter. An. 277. Fabia gens, quæ bellum illud ſibi depopeſcerat, & Vejentes ſæpe vicerat, ab iis per inſidias ad Cremeram pene deleta eſt: ſed Fabiorum cædem ulti ſunt & Servilius an. 278. & Virginius an. 279. & maxime Æmilius Dictator an. 317. quo in prælio Tolumnius Vejentium Rex Cornelii Coſſi manu occubuit. An. 319. a Servilio Priſco Fidenæ dirutæ; & an. 328. Veji ab Æmilio capti & direpti: qui, cum iterum defeciſſent, an. 349. obſeſſi, quæ obſidio decem annos tenuit: capta urbs tandem an. 358. a Camillo Dictatore; qui Faliſcos etiam juſtitiæ & fidei opinione ad imperium adjecit. II. *Vejentinum & Faliſcum.*

Vejentinam cladem Gallicum bellum excepit. Galli in obſidione Cluſii a Q. Fabio populi Romani legato irritati, omiſſo Cluſio Romam an. 364. advolant; primo impetu fuſi ad Alliam, qui obviam III. *Gallicum.*

iverant, Romani. Urbs deinde capta, & Capitolium, quo ſe flos civitatis receperat, obſeſſum; ſed indicio anſeris a T. Manlio ſervatum. In anguſto Romana res erat, cum Camillus exul Dictator appellatus, collectis copiis, Gallos primum Urbe pellit, deinde ad octavum lapidem fundit. Nec quievere tamen poſt hæc Galli: iterum victi ſunt a Camillo in agro Albano an. 386. tum a T. Quinctio Pœno an. 392. ad Anienem; poſt an. 404. a L. Camillo Conſule in agro Pomptino; in quibus præliis & T. Manlii & M. Valerii Torquati virtus enituit: deinde juncti Etruſcis & Umbris an. 457. a Q. Fabio Rulliano fugati in Etruria, ubi Decius filius ſe devovit: denique ad lacum Vadimonis a P. Dolabella magna clade conciſi, ſuiſque pulſi ſedibus an. 470. agerque Gallicus inter cives Romanos deſcriptus eſt.

IV. *Latinum.* Cum Samnitibus & Latinis interea negotium fuit: cum Latini jus civitatis ſocietatemque Imperii poſcerent, ad arma ventum eſt; an. 413. victi Latini a Conſulibus Torquato & Decio: quo in bello id ſingulare fuit, quod Conſulum alter filium, quia injuſſu ſuo pugnarat, ſecuri percuſſerit; alter ſe pro exercitu devoverit. Mulctati agro Latini iterum rebellarunt; ſed alii a Q. Publio Philone, alii a C. Mænio, alii a L. Camillo Coſs. an. 415. domiti, paxque data omnibus. Par Sabinorum, qui ſe Latinis adjunxerant, & fortuna & conditio fuit; fuſi enim a Curio Dentato in amicitiam an. 463. recepti.

V. *Samniticum.* At nihil hæc præ Samnitico bello, quod 410. pro Campanis cœptum per annos 72. vario præliorum exitu propagatum eſt. Samnites Sidicinis bellum intulerant: hi tanto hoſti impares ad Campanos confugiunt: victi a Samnitibus ſemel atque iterum Campani ſe ſuaque permittunt Romanis. Miſſi continuo ad Samnites legati, ut pro veteri amicitia a Cam-

Campanorum agro injuriam abſtinerent; a quibus cum ferociter reſponſum eſſet, juſſi ambo Conſules, alter in Samnium, in Campaniam alter, exercitum ducere. Valerio Corvino occurrunt Samnites, atroxque utrinque facta cædes; ſub veſperam Samnites fuſi. Hæc prima de iis victoria fuit; de quibus tricies & ſemel, ut ex faſtis intelligere licet, triumphatum eſt. Belli confecti gloria penes Fabios & Papirios potiſſimum fuit, inſignis præ cæteris ad Furcas Caudinas Romanorum clades memoratur: tandem an. 482. cum Samnitibus bellum geri deſitum eſt, iiſque leges pro populi Romani arbitrio impoſitæ. Apuli, Brutii, Lucani ejus belli contagione ſubacti ſunt.

VI. *Tarentinum.*

Necdum erat bellum adverſus Samnites confectum, cum Tarentinum ob violatos populi Romani legatos excitatum eſt. L. Valerius claſſi Romanæ præfectus in portum Tarentinum forte appulerat. Tarentini, claſſem contra ſe miſſam ſuſpicati, illam invadunt; quinque navibus ægre per fugam elapſis, reliqua claſſis direpta eſt, præfecti navium trucidati, omnes bello utiles cæſi, alii pretio venditi. Miſſus Roma, qui de injuria expoſtularet, L. Poſthumius: is deriſus a Tarentinis, & ejectus e theatro, dum ſcurra illius veſtes lotio reſpergeret: *Ridete*, inquit, *dum vobis per tempus licet; nam poſt hæc diu flebitis, dum veſtes has multo ſanguine eluetis*. Ita bellum anno Urbis 471. Tarentinos inter & Romanos exarſit, At Tarentinis viribus impares Pyrrhum Epirotarum Regem auxilio evocant. Ter Pyrrhus cum Romanis conflixit; ſemel cum Lævino Conſule inter Pandoſiam & Heracleam an. 474. iterum cum Decio & Sulpitio ad Aſculum an. 475. tertio cum Curio an. 478. ad Beneventum: primo prælio vicit Pyrrhus; altero dubia victoria; tertio victus eſt Pyrrhus & ejectus ex Italia, anno poſtquam venerat ſexto. Pyrrho

fugato

fugato Tarentini & Samnites anno 481. in populi Romani ditionem venerunt anno hujus belli decimo.

## CAPUT III.

### *Bella Punica.*

I. *Primum* PULSO ex Italia Pyrro domitiſque Samnitibus, efferre ſe Romana res cœpit, bellumque extra Italiam adverſus Pœnos geſtum eſt. Belli cauſſa fuit utriuſque civitatis ambitio, & alterius alteri ſuſpecta potentia: occaſionem dedere, qui Meſſanam occupaverant, Mamertini. Hi ab Hierone Syracuſanorum Rege victi a vicinis populis petunt auxilia; ſed alii ab aliis, pars a Carthaginienſibus, pars a Romanis: unde arx Pœnis tradita, urbs Romanis an. 489. Ejus belli anceps diu fortuna fuit, Pœnis mari, Romanis terra ut plurimum vincentibus: in Sicilia, Sardinia, Africa, & Siculo mari vario præliorum exitu ſæpe dimicatum eſt. Primum Appius Claudius Hieronem ad Meſſanam vicit an. 489. Annibalem ad Agrigentum an. 491. L. Poſthumius & Q. Mamilius; Annibalem iterum navali pugna an. 493. C. Duillius, qui primus e Romanis rem nauticam attigit, & navalem egit triumphum. L. Manlius & M. Attilius an. 498. Annonem & Amilcarem ſuperavit; Aſdrubalem an. 499. in Africa Attilius; L. Metellus ad Lilybæum an. 502. eumdem Aſdrubalem. At victi a Xantippo in Africa an. 489. Attilius terreſtri certamine, navalibus præliis P. Claudius Pulcher & D. Junius an. 504. ille ab Adherbale, hic a Cartalone. Tandem Lutatius Catulus an. 511. navali pugna Carthaginienſium opes fregit, pacemque his conditionibus dedit: *Pœni univerſa Sicilia excedunto; cum Hierone bellum ne gerunto; Syracuſanos armis ne petunto; captivos*

*ptivos omnes ſine pretio Romanis redduntoo : argenti talenta Euboica bis mille & ducenta penduntoo*. Nonnihil tamen a Romanis in hoc fœdere immutatum; tum illud præcipue, quod Pœni inſulis omnibus, quotquot inter Africam & Italiam ſunt, excedere juſſi. Hic finis belli Punici primi fuit an. 512. poſt annos 24.

Eadem belli Punici ſecundi cauſſa, quæ ſuperioris, gentis utriuſque ambitio, & in Annibale ſive impatientia ſervitutis, ſive vindictæ cupiditas. Is Saguntum (amica Romano nomini civitas erat) an. 534 obſidet, & poſt ſeptem menſes capit; cives partim hoſtili gladio, partim flammis, partim ſuapte manu perierunt. Saguntus everſa initium belli fuit: quod in Italia, Sicilia, Hiſpania, & Africa varia fortuna geſtum eſt; læta quidem Pœnis primordia fuerunt, ſed triſtior exitus. II. *Secundum.*

Annibal tranſgreſſus Alpes P. Cornelium ad Ticinum vicit; & Sempronium ad Trebiam an. 535. ad Thraſymenum an. 536. Flaminium; & an. 537. Terentium Varronem ad Cannas. Multa ſub hæc commiſſa per Italiam leviora prælia, in quibus Annibal, quem jam Q. Fabius victoriis exultantem an. 536. cunctando repreſſerat, modo victor, modo victus, fuit: fuſus enim eſt a M. Marcello ſemel atque iterum ad Nolam an. 537. & 539. deinde a C. Hoſtilio in Salentinis, & a Claudio Nerone ad Grumentum an. 546. cæſuſque cum ingenti exercitu an. 546. ab eodem Nerone & Livio Salinatore ad Metaurum flumen Annibalis frater Aſdrubal. III. *In Italia.*

Lectior in Sicilia Romana res erat. Hierone mortuo Hieronymus, regni, non fidei hæres, ad Pœnos defecerat: quare Marcellus tranſmittit in Siciliam an. 539. Leontium expugnat, Megaram diruit, victiſque Pœnis Syracuſas obſidet non minus Archimedis ingenio, quam civium armis defenſam; & tertio tandem obſidionis anno noctu an. 542. ex impro- IV. *In Sicilia.*

improviſo capit, fuſiſque iterum Pœnis in monte
V. Albano triumphat.

*In Hiſpania.* Ut in Italia, ita in Hiſpania varia belli fortuna fuit: ſumma rerum ibi permiſſa P. & Cn. Scipionibus; ambo fratres erant conſulatu, clementia, & bellica laude clariſſimi. Ab iis victi ad Illiturgum an. 536. Aſdrubal, Mago, & Amilcar, cæſaque uno die Carthaginienſium 60. millia; deinde Anno ad Incibile ſuperatus; iterum Mago & Aſdrubal primum ad Illiturgum, tum ad Mundam, denique ad Auringem fugati: ſed tandem Publius a Magone & Aſdrubale ad Incibile occiſus eſt an. 541. & audita fratris nece, victus & ipſe Cneus in prælio occubuit. L. Marcius Romanus eques labantem rem ſuſtinuit, cujus ductu una nocte & die expugnata ſunt bina caſtra, & 37. hoſtium millia an. 542. interfecta. P. Scipio 24. annos natus patris ac patrui ultor in Hiſpaniam mittitur, cujus auſpiciis omnia Romanis prona fuerunt: novam enim Carthaginem in eaque variarum gentium obſides an. 543. capit; Aſdrubalem vincit ac fugat an. 544. ad Bœtulam; denique victis ad Salpiam an. 547. Aſdrubale & Magone, tota Hiſpania Pœnos anno quinto, quam venerat, ejicit.

VI.

*In Africa,* Secundum hæc revocatus in Italiam P. Scipio, ut hærentem in viſceribus Italiæ Annibalem abſtraheret, in Africam an. 549. tranſportat exercitum; Annonem cum exercitu cædit; Syphacem Mauritaniæ Regem, qui auxilio venerat, cum Aſdrubale bis ſuperat an. 550. victumque opera Lælii capit: tandem an. 551. cum Annibale, qui ex Italia redierat, acie congreſſus illum vincit, & qui Pœnis auxilium tulerat, Syphacis filium Verminam; paciſque leges an. 552. Carthaginienſibus dicit auctore Senatu Populoque Romano. Fuerunt vero hujuſmodi: Ut Carthago ſuis legibus viveret; iiſdem, quibus ante bellum, ditionis finibus uteretur; perfugas,

fugas, fugitivos, captivos redderet; bellum extra Africam nunquam, in Africa injuſſu populi Romani ne faceret; penderet decem talentum millia; daretque fidei cauſſa centum obſides. Scipio domita Carthagine rediit in Italiam, ubi ſummo honore exceptus, triumpho nobiliſſimo in Urbem invectus eſt, & ex devicta Africa *Africani* cognomen deportavit.

Bello Punico tertio ex Maſſiniſſa quæſitus color, Pœnis crimini datum, quod Maſſiniſſam fines ipſorum invadentem armis repellerent: cautum enim erat pacis legibus, ne in ſocios populi Romani bellum gerere illis liceret. Iis igitur bellum infertur, ſuaſore Catone Cenſorio, cui ſolemne fuit, cum ſententiam diceret, addere: *hoc cenſeo, & delendam eſſe Carthaginem*. An. 604. ambo Conſules L. Marcius Cenſorinus & M. Manilius Nepos in Africam cum exercitu tranſmittere juſſi: ab iis ſpe pacis objecta deluſi Carthaginienſes. Iis enim imperant Conſules, ut dent obſides trecentos; dederunt: ut claſſem incendant; incenderunt: ut arma omnia tradant: tradiderunt: denique ut urbem ipſam diruant funditus; tum poſt inanes gemitus & irritas preces, omnes in furorem acti bellum adverſus Romanos parant; ſervi ad libertatem vocati; Aſdrubal belli dux appellatus; ferri inopia arma ex argento auroque conflata; claſſis conſtructa ex domorum ruinis, funes ex mulierum crinibus; Romanorum claſſis aduſta, hoſteſque a muris civium fortitudine prohibiti, bellumque Calpurnii Piſonis, qui Cenſorino ſuffectus erat, ſegnitie per quatuor annos obtinuit. Quare P. Scipio Æmilianus contra leges immatura ætate Conſul eligitur, eique extra ſortem decreta eſt Africa; a quo, eodem quo Corinthus die, anno belli quarto capta & incenſa Carthago eſt. Scipionis triumphum captivus Aſdrubal aliique nobiles Pœni cohoneſtarunt, & *Africani* cognomen, quod

VII. *Tertiũ*.

jam

jam ab avo hæreditarium erat, Scipio per e partum habuit. Senatus decreto vetitum eſt, ne quis in poſterum inſtauraret Carthaginem.

VIII. *Singulorũ cauſſa & exitus.* Ut paucis complectar, tria Punica bella fuerunt. Primi cauſſa fuit auxilium Mamertinis datum; ſecundi Saguntus deleta ab Annibale; tertii bellum a Pœnis illatum Maſſiniſſæ. Primum ab anno Urbis 489. ad annum 513. geſtum eſt; alterum ab an. 536. ad an. 553. tertium ab an. 605. ad annum 609. Primum poſt annos 24. Q. Lutatius Catulus confecit; ſecundum poſt an. 17. P. Scipio Africanus major; tertium poſt an. 4. P. Scipio Africanus minor. Primo bello Carthaginienſibus ademtæ omnes, quæ Africam inter & Siciliam ſunt, inſulæ; ſecundo Hiſpania & pars Africæ; tertio Carthago deleta.

## CAPUT IV.

### *Bella Macedonica.*

I. *Bella Macedonica.* TOt Macedonica bella numerantur, quot Punica. Primum contra Philippum fuit; alterum adverſum filium ejus Perſeum; tertium contra infimæ ſortis hominem nomine Andriſcum.

Romanos & ad Thraſymenum & ad Cannas

II. *Primi cauſſa.* ab Annibale victos ut audiit Philippus Macedoniæ Rex, legatos, impulſore Demetrio Phario, ad Annibalem miſit, qui cum eo ita pepigerunt: ut cum ingenti claſſe primum Rex in Italiam, deinde Pœni in Græciam trajicerent; ubi vero debellatum foret, Italia omnis cum Urbe Roma Carthaginienſibus, Græcia cum iis quæ adjacent inſulis Philippo Regi cederet. Ita Livius, Eutropius, & alii. Verum ad Philippum dum redeunt legati, a Romanis intercepti, alii Romam perducti ſunt, alii fuga dilapſi pervenerunt ad Philippum. Continuo M. Lævinus Prætor juſſus eſt in

Græciam cum claſſe tranſmittere, ut Philippum in regno contineret. Ita bellum utrinque geri cœptum eſt an. 539 cujus, ut fines, ita & initia Philippo infauſta fuerunt.

III. *Prælia.* Primum enim ad Apolloniam a Lævino ſubita eruptione fuſus eſt, ipſius milites pro victoris arbitrio cæſi, caſtra amiſſa, ipſe vix ſeminudus refugit ad claſſem; quam, ne in Romanorum poteſtatem veniret, ultro incendit. Nec felicior an. 545. adverſus Sulpitium Prætorem fuit: dum vexat Eleos, intra Elim admiſſi Romani milites in Macedonas erumpunt. Philippus dum in Romanam cohortem fortiter incurrit, effuſus equo vix poſt acrem pugnam receptus a ſuis evaſit; qua gemina clade caſtigatus pacem, Epirotarum opera, obtinuit. At bellum haud multo poſt iterum exarſit; quod Athenienſes Romani nominis ſocios infeſtaret. Bis juſto prælio a T. Quinctio Flaminino pugnatum eſt, ſemel ad Apſum an. 555. iterum ad Cynocephalas an. 556 utrobique victus Philippus, pacem denuo petit, filiumque Demetrium mittit obſidem.

IV. *Exitus.* Hæ a Romanis imperatæ Philippo leges: ut captivos Romanis redderet & transfugas, ut omnes Græcæ civitates ſive Aſiæ ſive Europæ eſſent liberæ; mille talenta Romanis penderet; preterea Corinthus Achæis daretur; aliaque id genus. T. Quinctius, confecto bello, in ludis Iſthmicis hæc verba per præconem recitari juſſit: *Senatus Populuſque Romanus & T. Quinctius Imperator, Philippo Rege Macedonibuſque devictis, liberos, immunes, ſuis legibus eſſe jubet Corinthios, Phocenſes, Locrenſes,* &c. Quod tantus repente clamor excepit, ut ſupra ſtadium volantes corvi, ſi Plutarcho credimus, in terram deciderint: tum Græci ſummis laudibus efferre Romanam gentem, quæ pro aliorum libertate bella gereret, idque unum ſtuderet maxime, ne quod in orbe terrarum injuſtum eſſet imperium.

Duo

V. *Secundum.* Duo Philippo erant filii, Perſeus natu major ex matre impari, & Demetrius, quem & Romanorum amicitia & Perſei calumniis ſuſpectum necar juſſit; ipſeque paulo poſt dolore moritur. Philippum excepit Perſeus, ut regni, ita paterni in Romanos odii hæres. Quod Baſternos, Thraces, aliaſque gentes ad bellum excitaret, ipſi bellum a Romanis anno 582. indicitur; quod quarto anno poſt & ipſius & regni Macedonici clade finitum eſt. Læta quidem Perſeo belli initia fuere: Licinium Craſſum primo congreſſu vicit; ſed paucis poſt diebus parem prope, quam intulerat, cladem accepit. Secunda etiam fortuna contra Mancinum uſus eſt; varia adverſus Marcium Philippum: donec anno 585. ab Æmilio Paulo ad Pydnam devictus fugit Amphipolim, indeque Samothraciam; ubi captus ab Octavio ad Conſulem perductus eſt. Ab Æmilio Macedonia, quatuor in partes deſcripta, facta provincia eſt:

VI. *Æmilii triumphus.* trium dierum triumphus Æmilio permiſſus; infinita vis auri, argenti, vaſorum, ſtatuarum, & alia hujuſmodi delata; quibus ſuccedebat currus Perſei & arma, iiſque impoſitum diadema, illius liberi, ipſeque Perſeus pullo amictu tectus: ſecundum hos Æmilius curru ornatiſſimo invectus eſt, purpura inſignis, dextera frondem lauri tenens: poſt currum Imperatoris exercitus lauro coronatus ſequebatur.

VII. *Tertiū.* Andriſcus infimæ ſortis homo, cum ſe pro Philippo Perſei filio gereret, a Demetrio Rege Syriæ in vincula conjectus; ſed inde clam aufugiens Macedonas ad ſuas partes allicit. Juventium Prætorem an. 604. vincit, occiditque. Juventii necem ultus eſt Q. Metellus, qui duobus præliis Andriſci fregit audaciam. Andriſcus amiſſo exercitu a Byzo Trace proditus in Metelli poteſtatem venit, cui *in malis id indulſit fortuna, ut de illo populus Romanus, quaſi de vero Rege, triumpharet.* Ita recepta

an.

an. 605. Macedonia eſt, & *Macedonici* cognomen Metello partum.

Tria igitur Macedonica bella fuere: primo cauſſam præbuit a Philippo pacta cum Annibale ſocietas; ſecundo clam ſollicitata a Perſeo cæterarum gentium auxilia; tertio Andriſci temeritas. Primum duravit ab an. 539. ad 557. per annos 18. alterum quatuor annis ab an. 582. ad 586. tertium duobus ab an. 604. ad 606. Philippum devicit T. Quinctius Flamininus; Perſeum L. Æmilius Paulus; Andriſcum Q. Metellus Macedonicus. VIII. *Singulorum cauſſa.*

Eadem Gentii Illyriorum Regis, quæ Perſei, fortuna fuit: is enim a Perſeo per fraudem inductus in periculi ſocietatem ab L. Anicio Prætore eodem anno victus eſt, captus, & in triumphum ductus; & Illyricum itidem ac Macedonia in provinciæ formam ceſſit. IX. *Illyricũ.*

## CAPUT V.

### *BELLA*

#### *Antiochenum, Ætolicum, Achaicum, & Aſiaticum.*

E Bello Macedonico bellum aliud adverſus Antiochum Syriæ Regem ortum eſt. Pacis cum Philippo initæ conditionibus cautum erat, ne Græcis civitatibus ſive Philippus in Græcia, ſive Antiochus in Aſia noceret; omneſque ſuis legibus uterentur. Monitus a Romanis Antiochus, ut Græcas urbes liberas dimitteret, reſpondit, *Aſiam nihil ad Romanos pertinere; nec magis iis inquirendum, quid Antiochus in Aſia, quam Antiocho, quid in Italia populus Romanus faciat*. Stimulos Regi addebant & Thoas Ætolorum dux & fugitivus ex Africa Annibal. Ita bellum exarſit, in quo Polyxenidas I. *Belli Antiocheni cauſſa.* II. *Prælia.*

nidas Antiochi legatus quater navali prælio decertavit, bis contra Rhodios, bis adverſus Romanos: ſemel & Rhodios vicit & ab iis victus eſt an. 563. Bis a Romanis Prætoribus fugatus, ſemel a Livio an. 563. iterum ab Æmilio an. 563. Primo prælio naves tredecim a Romanis cum milite & remige captæ, decem demerſæ: in altero vel captæ vel incenſæ 42. Antiochus ipſe bis terreſtri prælio ſuperatus eſt; primum a M. Acilio Glabrione an. 562. ad Termopylas, deinde a L. Cornelio Scipione an. 563. ad Magneſiam, quæ ad montem Sipylum eſt.

III. *Pacis conditiones.* Continuo legatos de pace miſit, quibus eædem, quæ ante victoriam, præſcriptæ ſunt leges, prædicante Africano. *Neque Romanis, ſi vincantur, animos minui; neque, ſi vincant, ſecundis rebus inſoleſcere. Europa*, inquit, *abſtinete; Aſiaque omni, quæ cis Taurum eſt, dicedite: pro impenſis deinde in bellum factis quindecim millia talentorum Euboicorum dabitis.* Juſſus etiam eſt Antiochus & elephantos & naves tradere & 20. obſides, maxime Annibalem & Thoantem Ætolum. *Benigne ſibi a populo Romano factum*, dixiſſe fertur Antiochus, *quod magna cura liberatus modicis regni finibus uteretur.* E civitatibus Aſiæ Eumeni aliæ ceſſerunt, aliæ Rhodiis, aliæ ſui juris factæ.

IV. *Gallogræcum & Ætolicum.* Ex relata de Antiocho victoria belli contra Gallogræcos & Ætolos gerendi petita occaſio eſt. Antiocho auxilia tulerant Ætoli; Galli tuliſſe dicebantur. An. 564. miſſi contra illos ambo Conſules, Cn. Manlius Vulſo adverſus Gallos, adverſus Ætolos M. Fulvius Nobilior. Galli in montibus, quo ſe receperant, gemino prælio a Manlio victi, primum Toliſtobogii & Troemii, deinde Tectoſages: pax victis data, ſed negatus victori triumphus, quod cauſſa belli Senatui non probaretur. A Fulvio Ambracia, regia olim Pyrrhi, tum gentis caput, obſeſſa eſt; iiſque legibus ſancita pax, ut Ætoli arma,

ma, equos, captivos, & perfugas traderent, quingenta Euboica talenta ſolverent, eoſdem cum Romanis & amicos haberent & hoſtes.

Achaicum bellum vel ex nimia Achæorum potentia, ut viſum eſt Juſtino, vel ob legatos ſuperbius appellatos, ut placet Ciceroni, conflatum eſt. Achæi cum in unum Reipublicæ corpus multos Græciæ populos allicerent, Lacedæmonios in eandem ſocietatem ademtis legibus invitos compulerunt. Queſti ſunt apud Romanos Lacedæmonii; miſſi a Senatu Corinthum legati, qui non modo Lacedæmonem, ſed Corinthum etiam, Argos, Heracleam ab ea ſocietate divellerent. Agente Critolao orta repente ſeditio eſt; in peregrinos omnes ſævitum, maxime in Lacedæmonios; Romani fuga ſibi conſuluerunt. Dux appellatus eſt ab Achæis Critolaus, illique ſuffectus Diæus; ſed uterque a Q. Metello victus, ille ad Thermopylas, hic in Phocide an. *606*. Sublectus Metello Mummius bis cum Diæo conflixit: primum ab eo per inſidias fuſus, illum deinde victoria exultantem ad Leucopetram devicit. Diæus in domum refugit, eam incendit; conjugem ferro, ſe veneno enecat. Corinthus a Mummio capta & incenſa, ſublatum Græciæ concilium: miſſus quotannis juris dicendi cauſſa Prætor; Græciaque omnis, cui tum Achajæ nomen teſte Zonara inditum, in deditionem accepta eſt: ejuſdem belli contagione Theſſalia & Epirus Imperio adjuncta. V. *Achaicum.*

Accaicam victoriam bellum Aſiaticum excepit. Attalus Pergami Rex populum Romanum moriens hæredem ſcripſerat; quod cum ipſius cognatis ægre eſſet, tum maxime Ariſtonico. Is (ſive Eumenis ex pellice filius, ut tradit Juſtinus, ſive mentitus regiam ſtirpem, ut ſcribit Vellejus) urbes Aſiæ multas, qua vi, qua deditione, occupat: mittitur adverſus illum an. *622*. P. Licinius Craſſus Mutia- VI. *Aſiaticum.*

nus, qui, prædæ Attalicæ attentior quam bello; ab eo victus eſt, & dum fugit a Thrace, cujus in oculum virgam impegerat, cæſus: homo, ut tum ferebatur, feliciſſimus; quod *ditiſſimus* eſſet, quod *nobiliſſimus*, quod *eloquentiſſimus*, quod *Pontifex maximus*. Nec diu tamen Ariſtonico victoria frui licuit: ut enim auditum eſt Romæ periiſſe Craſſum, Perpenna Conſul in Aſiam advolat, Ariſtonicum fugat, & Stratonicæ, quo fugerat, ad deditionem cogit. Mortuo Perpennæ ſubrogatus M. Aquilius belli reliquias confecit an. 624. cui tamen id crimini datum eſt, quod præter fas moreſque majorum fontes veneno infecerit: ſic *Aſia facta Romanorum provincia*, inquit Juſtinus, *cum opibus ſuis vitia quoque Romam tranſmiſit*.

## CAPUT VI.

## *BELLA*

*Liguſticum, Gallicum, Celitibericum, Numantinum, Luſitanicum, & Viriathicum.*

I. *Liguſticum* CUM Liguribus anno Urbis 515. quod infeſtarent Etruriam, bellum geri cœptum eſt. A multis Conſulibus T. Sempronio Graccho, L. Poſthumio Albino, Q. Fabio Maximo, M. Æmilio, & P. Furio Philo cæſi ſunt. Tum ſocietatem & fædus an. 535. ineunt cum Annibale; quare fugatis ex Italia Pœnis renovatum an. 556. in eos bellum eſt: cumque in multas gentes diſtracti eſſent, alii ab aliis Conſulibus devicti; a Q. Minutio Iluates, Apuani a C. Flaminio, a M. Lepido Briniates. Ingauni a L. Paulo ſuperati, & paulo poſt ad 40. millia an. 573 a P. Cornelio Lentulo & M. Brœbio translati in Samnium. Necdum tamen quievere Ligures, a quibus Q. Petilius ad montem Lætum cæſus eſt;

ſus eſt: quare M. Popilius multa eorum millia vendidit an. 580. diruit oppida, agros ademit; quæ tamen cum præter jus facta viderentur, Senatus reſcidit. Sub hæc victi ſæpius a M. Claudio Marcello, C. Sulpicio Gallo, M. Fulvio Nobiliore, denique an. 638. M. Æmilii Scauri victoria domiti; regio in provinciæ formam redacta; ipſique Romano Prætori parere juſſi. Ita bellum cum Liguribus annos 123. tenuit; quod an. 516. cœptum, ab Æmilio Scauro an. 638. confectum eſt.

Devictis, uti dictum eſt ſupra, Gallis Senonibus an. 525. C. Flaminius Tribunus plebis legem tulit, ut ager Picenus & Gallicus viritim divideretur. Boii, cum ſe injuriæ proximos cernerent, cum vicinis Inſubribus fœdus ineunt; Gallos evocant Geſſatas, (ita enim a mercede, qua conducti erant, dicti ſunt) irrumpunt in Etruriam an. 528. contra quos, ſi tamen Polybio adhibenda fides, peditum millia ſeptingenta, equitum ſeptuaginta conſcripſere Romani; a quibus Æmilio Pappo & Attilio Regulo Conſulibus Galli ad 40. millia cæſi ad Fæſulas; victi etiam a Quinto Fulvio an. 526. tum a M. Marcello an. 532. a quo Viridomarus Geſſatarum Rex ſingulari certamine occiſus. Ita Boii & Inſubres in Romanorum ditionem venerunt; eorumque regio facta provincia eſt. Sed paulo poſt deficiunt ad Annibalem; quo ex Italia pulſo, miſſus contra eos an. 554. P. Ælius, deinde an. 555. Inſubres, Boii, & Cenomani a L. Furio Purpureone ad Placentiam ingenti clade victi; alternis deinde & victoriis & cladibus propagatum bellum eſt, donec an. 562. P. Cornelius Naſica Bojos ad deditionem compulit: an. 566. a M. Æmilio Lepido Gallia citerior in formulam provinciæ iterum deſcripta eſt. II. *Gallicum.*

Ejectis ex Hiſpania Carthaginienſibus, regio omnis in varias gentes diſtracta eſt: aliæ Romanis III. *Celtibericum.*

parere juſſæ; cum aliis fœdus initum; cum aliis non item: unde varia exarſere bella. Cum Celtiberis fœdus erat; iis tamen, quod auxilio Turdetanis adverſus Romanos venerant, bellum indictum eſt. Primum a M. Catone, qui citeriori Hiſpaniæ præerat, victi ſunt; deinde a M. Fulvio, tum a Q. Fulvio Flacco, denique a Ti. Sempronio Graccho, a quo pacis in poſterum ſervandæ ipſis præſcriptæ leges: ut certam pecuniæ ſummam quotannis tributi nomine ſolverent; ut mitterent auxilia, ne urbes conderent: unde bellum 26. annis poſt renovatum eſt. Segedani (potens erat Celtiberorum civitas) traductis ad ſe multorum oppidorum civibus, an. 600. murum ambitu 40. ſtadiorum ducere inſtituunt; de quo ut Romam allatum eſt, miſſus qui illorum coerceret audaciam Q. Fulvius. A Segedenſibus Carus vir bello ſtrenus dux eligitur; primo congreſſu Romani ad ſex milia cæſi; deinde totidem cum Caro Celtiberi, paucis poſt diebus iterum pugnatum eſt, fuſi Romani, quorum quatuor millia, dum alii alio diffugiunt, a Numantinis trucidata. Unde Numantinum bellum exarſit. Sub hæc a Q. Metello Macedonico fractæ Celtiberorum vires, captaque Contrebia an. 611. ubi pulſas præcipiti loco cohortes eodem protinus ſubire jubet; *nec propoſito deterritus, quod milites velut ad certam mortem ituri in procinctu teſtamenta facerent, militem, quem moriturum miſerat, victorem recepit.*

IV. *Numantinum.* Parta victoria Numantinis jubet, ut & Segedenſes & fugitivos dedant, & arma deponant; utrumque detrectant. Exinde, licet, & numero & opibus longe impares, multas Romanis clades intulerunt. Q. Pompejus, dum Numantiam obſidet, an. 614. ſæpe ab iis fuſus; cæſus an. 615. Popili exercitus; triginta Romanorum millia ſub Mancino a quatuor Numantinorum millibus fugata; paxque ea clade turpior accepta; quæ a Senatu cum eſſet reſciſſa,

Manci-

Mancinus Numantinis manibus poſt tergum revinctis traditus, deſertuſque a ſuis & ab hoſtibus non receptus, lacrymabile utriſque ſpectaculum fuit. Subrogatus Mancino P. Scipio Africanus minor, qui Numantinos fundit, & intra urbem obſidet; cives pars ferro, alii veneno, alii flammis perierunt; urbs nullo ſuperſtite ſolo æquata, anno Urbis 621. Ita finitum Scipionis virtute bellum Celtibericum eſt, anno poſtquam cœperat 21. & Numantinum anno nono poſtquam Numantia defecerat.

Ex Celtiberia in Luſitaniam belli contagio pervaſerat, ſæpeque ulterioris Hiſpaniæ Prætoribus cum Luſitanis negotium fuit, a quibus Punico duce fuſi an. 599. Manlius & Calphurnius Romani Prætores; deinde duce Cæſare an. 600. Mummius, qui tamen eos victoria exultantes ad 20. millia cecidit; ab Atilio Oxthraca gentis caput an. 601. vi capta, multique in deditionem accepti: ſed ab eo cum paulo poſt defeciſſent, ut Servilius Galba ſucceſſor Attilii advenit, ad eum de pace legatos mittunt an. 602. Benigne illos excipit Galba, terram ubi habitent feraciorem daturum ſe ſimulat, tum gentem in tres partes dividit, omneſque ſeparatim trucidari imperat. Evaſere tamen ex illis pauci, quos inter Viriathus fuit, qui ex venatore latro, ex latrone Dux atque Imperator, gentis ſuæ cladem ultus eſt. V. *Luſitanicum.*

Viriathi in bello gerendo induſtria cum ſæpe alias, tum maxime adverſus C. Vetilium enituit, a quo in locum iniquum compulſus, primum deluſo hoſte exercitum an 603. eduxit incolumen; deinde Vetilium, ſtructis inſidiis, cum quatuor Romanorum milibus cecidit: Tithos, qui Romanis auxilio venerant, occidione delevit; C. Plautium ſemel atque iterum vicit; Claudium Unanimum cum exercitu delevit; C. Nigidium cum ſuis oppreſſit. Nec ſecunda tamen ſemper fortuna uſus eſt: a C. enim Lælio an. 608. a Q. Fabio Maximo Æmiliano an. VI. *Viriaticum.*

609. a Q. Fabio Serviliano an. 611. fuſus eſt. At Eriſanem urbem dum Fabius obſidet, eruptione facta, Romanos verti in fugam, Prætoriſque exercitum in loca prærupta compulit; cumque facilis eſſet victoria, ſibi ſuiſque in futurum proſpiciens, pacem petiit obtinuitque an. 612 quam, licet a Senatu rata eſſet, reſcindi curat Servilius Cæpio, & Viriathum dolo per ſuos anno belli undecimo interimit, ingenti Romani nominis dedecore. Junius Brutus perſecutus belli reliquias Callaicos, qui auxiliis Viriathum juverant, cæſis hominum 50. millibus, perdomuit an. 617. & *Callaici* cognomen edeptus eſt.

## CAPUT VII.

### BELLA

*Jugurthinum, Cimbricum, Mithridaticum, Allobrogicum Gallicum, Parthicum.*

I. *Jugurthinum* JUgurtha Maſſiniſſæ ex Manaſtabale filio nepos a Micipſa una cum filiis, ne quid eis noceret, teſtamento hæres appellatus erat: at Micipſa mortuo, ipſius filios, dolo Hiempſalem, Adherbalem per vim enecat an. 640. Bellum Romæ, agente Memmio Tribuno plebis, in Jugurtham decretum eſt; miſſuſque in Africam cum exercitu Conſul Calphurnius Beſtia, qui multas urbes pugnando capit, ſed ab eo Jugurta, ut in deditionem accipiatur, impetrat. Cultu quam maxime miſerabili Romam venit, ubi Maſſivam Maſſiniſſæ nepotem interficit; quare Italia decedere juſſus, multis artibus Sp. Albinum Conſulem an. 644 deludit, Aulumque ipſius fratrem eggreſſus Romanum exercitu ſub jugum mittit, & intra decem dies Numidia excedere imperat. Suffectus Albino Metellus an. 644. Romanam rem

rem reſtituit: ab eo Jugurtha ſemel atque iterum victus eſt. Thala capta, multa oppida direpta; Numidæ multi in ſervitutem abducti. Nec felicior adverſus Marium Jugurtha fuit, a quo an. 646. debellatus eſt, & proditione Bocchi Mauritaniæ Regis, ad quem fugerat, Syllæ traditus, Mariique cohoneſtato triumpho, in carcere necatus eſt.

Inter hæc cum Cimbris & Teutonibus bellum erat, a quibus multæ Romanis illatæ clades. Gens ab extremis Galliæ partibus profuga, inquit Florus, cum inquit ipſius terras inundaſſet Oceanus, cum ſedem certam non haberet, agrum, quem incolat, a Senatu petit; quod cum non impetraret, Papyrium Carbonem an. 640. cum exercitu fundit: pari clade Silanus an. 644. ab iis victus eſt: fugatus itidem an. 645. Aurelius Scaurus: fœdior etiam an. 646. L. Caſſii Conſulis calamitas, qui a Tigurinis cum exercitu cæſus eſt; Legatorum alter L. Piſo Conſularis interfectus; alter Q. Publius, ne reliqua pars exercitus deleretur, & obſides dare & mediam rerum omnium partem coactus eſt: ſed hæc cladis a Cæpione acceptæ præludia. Fama fuit eo prælio 80. Romanorum millia, ſociorum 40. calonum & lixarum 60. trucidata; Aurelius Scaurus Conſularis cæſus; cæſi duo Manilii Conſulis filii; bina caſtra ab hoſtibus capta, veſtis captiva diſciſſa, aurum & argentum projecta in flumen, equi fluvio immerſi, homines ſuſpenſi ex arboribus, nihil ut prædæ victor, nihil miſericordiæ victus agnoſceret: decem tantum cladis nuntii ex tanto exercitu ſuperfuerunt. Abrogatum Cæpioni imperium eſt, delatum Mario una cum Conſulatu, qui primum Teutonas & Ambrones ad Aquas Sextias an. 651. ſolus delevit, cæſis 200. millibus, captis 20. deinde cum Catulo Collega Cimbros ad Vercellas an. 652. interfectis 150. millibus. Ita bellum Cimbricum C. Marii virtute duodecimo poſtquam cœperat anno finitum eſt.

II. *Cimbricum.*

In-

III. *Mithridaticum.* Inter Romana bella, Mithridatica a Scriptoribus maxime celebrantur, ſive ob diuturnitatem, ſive ob ducum a quibus geſtum eſt præſtantiam, ſive ob rerum magnitudinem. Tria cum Mithridate bella fuerunt, alia ex aliis orta; primum confecit Sylla, alterum Muræna, tertium Lucullus & Pompejus.

IV. *Primum.* Ariobarzanes & Nicomedes e ſuis regnis, ille e Cappadocia, hic e Bithynia, a Mithridate ſemel atque iterum ejecti; bis invito Mithridate reſtituti ſunt, primum a L. Sylla, deinde a M. Aquilio, cujus conſiliis Nicomedes in Mithridatis ditionem irrumpit. De injuria apud Romanos cum fruſtra queſtus eſſet Mithridates, Nicomedem rurſus Bithynia expellit: ita bellum ne conſulto quidem Senatu cœptum eſt. Primo congreſſu victi Romani, captus Oppius, M. Aquilius belli auctor aſino per Aſiam circumvectus: ſub hæc Mithridatis juſſu, ſive Romanorum, ſive Italicorum hoſpitum 150. millia per Aſiam trucidata; bona partim Regi, partim percuſſoribus ceſſerunt; ſervo libertas data, ſi herum occideret; debitori, ſi creditorem, pecuniæ media pars. Deinde ipſe Macedoniam, Thraciam, Græciam, Athenas in poteſtatem redigit. Contra hunc miſſus Sylla Conſul Athenas capit, & Archelaum Mithridatis ducem gemino prælio vincit, primo an. *666.* ad Chæronæam, altero an. *667.* ad Orchomenon; deinde tranſmittit in Aſiam, Fimbriam exercitu ſpoliat; Mithridatem minis territum ad pacis conditiones adigit, eumque jubet Aſia, Bithynia, Cappadocia decedere.

V. *Secundum.* Renovati adverſus Mithridatem belli invidia penes Murænam fuit. Contra Boſphoranos dum parat claſſem Mithridates, Archelaus, cui jam diffidebat, fugit ad Murænam Aſiæ Proconſulem, ipſique auctor eſt, ut Mithridati prior bellum inferat, ne ſua claſſe contra Romanos uteretur. Continuo Muræna in Cappadociam irrumpit an. 671. monituſque a Sena-

Senatu, ut a fœderato Rege injuriam abſtineret, non paruit : quare in illum movet Mithridates, eumque magna clade afficit; tum Muræna juſſus eſt a Sylla arma deponere : ita fœdus cum Mithridate iterum percuſſum eſt an. 672.

VI. *Tertium ſub Lucullo.* Nec diuturnum tamen Mithridatis ambitione fœdus fuit; dum enim adulatores ipſum cum Pyrrho; Sertorium, cujus tum ingens fama erat, cum Viriatho conferunt : inita belli ſocietate cum Sertorio 140. millia peditum, 16. equitum comparat, & Bithyniam, quæ Nicomedis interitu Romanis ceſſerat, invadit : miſſi adverſus illum ambo Conſules L. Licinius Lucullus & M. Aurelius Cotta ; alter ut cum Mithridate bellum gereret, alter ut Bithyniam tueretur. Cotta, ne Lucullus eſſet triumphi particeps, cum Rege ſolus confligit, & vincitur : at Lucullus Mithridatem bis victum ſemel an. 679. ad Cyzicum, iterum an. 680. ad Æſopum flumen in Pontum compulit; deinde inter anguſtas montium fauces an. 681. & caſtris & exercitu ſpoliatum fugavit in Armeniam ad Tigranem ; quem Lucullus cum 200. peditum millibus, equitum 60. an. 683. ultra Euphratem ingenti prælio devicit, cæſis hoſtium centum millibus: poſt Tigranocertam urbem regiam & Niſibim capit, ubi inventa infinita vis auri argentique , denique a militibus ſuis deſtitutus , tot victoriarum fructum Pompejo cedere coactus eſt an. 687.

VII. *Sub Pompejo.* Luculli laboribus facilem nactus victoriam Pompejus Mithridatem nocturna pugna ſuperatum in Scythiam an. 687. fugere compulit : tum Tigranes duos patrem & filium ſupplices accipit; patrem, ademta Syria, contentum ſola Armenia eſſe jubet ; filium, quod ſuperbius reſponderet , conjicit in vincula . Artocen Iberorum & Oreſen Albanorum Reges an. 688. & ſuperato Tauro Antiochum Comagenum, devictos in amicitiam recipit; Darium Me-

dum,

dum, Aretam Nabathæum, Ariſtobulum Judæum vincit; pacem inter Phraatem Parthorum & Tigranem Armenorum Reges conciliat; occupat ditionem omnem Mithridatis; multoſque in Aſia Reges an. 691. conſtituit, Ariobarzanem Cappadociæ, Antiocum Comagenum Seleuciæ, Pamphiliæ Attalum, Ariſtarchum Colchorum, Boſphori Pharnacem filium Mithridatis, qui undique pulſus, dum in Gallias fugam meditatur, & exercitus & Pharnacis ipſius defectione perterrefactus veneno ſibi mortem conſcivit an. 690. Ipſius morte bellum Cicerone Conſule terminatum eſt poſt annos 46. ex Juſtino; 40. ex Floro & Eutropio; 30. ex Oroſio; vel, quod verius putem, poſt annos 26. Cœptnm enim eſt an. 664. ante Syllam Conſulem, & an. 690. quo Conſul Cicero, finitum eſt. Secundum hæc, in Italiam Pompejus rediit, & triumpho ſplendidiſſimo in Urbem an. 692. invectus eſt, totius orbis domitor, tribus triumphis, ex Africa, ex Europa, ex Aſia longe clariſſimus.

VIII. *Allobrogicum.* Ultra Alpes duo a Romanis bella geſta ſunt, prius Allobrogicum dictum eſt, poſterius Gallicum; Allobrogici hæc cauſſa fuit. Erant in Gallia Romanorum ſocii Maſſilienſes & Ædui: illos infeſtabant Salyes, gens erat Ligurum; hos Arverni & Allobroges. Quare miſſi in Galliam an. 628. M. Fulvius Flaccus, & an. 629. C. Sextius, a quibus Salyes perdomiti: an. 632. Cn. Domitius Ænobarbus, & an. 633. Q. Fabius Maximus Æmilianus, a quibus Arvernorum Rex Bituitus bis ingenti ſuorum clade victus eſt, primum a Cn. Domitio ad Vindalium ſive Undalum oppidum, deinde a Fabio ad Iſaram, ubi cæſa hoſtium 150. millia ex Oroſio, vel 120. ex Liviana Epitome; Bituitus per fraudem captus Albam miſſus eſt, gens Allobrogum in deditionem accepta, Fabioque cognomen *Allobrogici* inditum eſt.

Cæſar,

Cæſar, Pompeji Craſſique amicitia omniumque ordinum gratia fretus, duas Gallias Ciſalpinam & Narbonenſem an. 695. obtinuit, novemque annorum ſpatio regionem omnem, quæ Alpibus, Pyrenæis montibus, Rheno Rhodanoque fluviis continetur, in provinciæ formam redegit. Res illi primum fuit cum Helvetiis, quos an. 695. ad Ararim concidit, deinde cum Arioviſto Germanorum Rege, quem prælio victum fugavit ultra Rhenum; deinde & Belgæ ad Axonam an. 696. & Veneti an. 697. navali prælio devicti; cæſi Senatores; reliqui ad terrorem ſub corona venditi: Lexovii a Sabino; a Craſſo Aquitanii, Subalpini a Galba, Menapii & Morini ab ipſo Cæſare perdomiti. An. 698. iterum cum Germanis negotium fuit, qui ſuis pulſi ſedibus, dum vagantur per Gallias, magna ſtrage cæſi ſunt; pons ſubinde Rheno impoſitus; fugati Sicambri; tentata ſemel atque iterum, quo nullus Romanorum hactenus penetraverat, Britannia, factaque vectigalis; Ambiorix & Vercingentorix in Galliis defectionis auctores diverſis præliis fracti; & an. 699. & 701. Velodunum, Gennabum, Noviodunum, Avaricum, Alexia, nobiliſſima tum Galliarum oppida, vel capta, vel diruta; excitati per hiemem Gallorum motus an. 702, compreſſi, Galliaque omnis in deditionem accepta. IX. *Gallicum*

Parthici belli ut cauſſa, ita etiam exitus longe diſpar fuit. M. Craſſus iterum cum Pompejo Conſul ita cum Cæſare & Pompejo pactus erat, ut eorum alter Gallias, alter Hiſpanias, ipſe Syriam ſortiretur. Ut venit in Syriam homo jam ſenex, contra jura cum Parthis inita, injuſſus bellum Orodi indicit; de quo illud Dejotari fertur non illepidum, ad quem cum ex itinere divertiſſet Craſſus, eumque jam ſenio confectum ædificare offendiſſet; *Duodecima hora*, ait Craſſus, *ædificare incipis*: cui ſubridens Dejotarus, *Atqui neque tu*, inquit, *matuti-* X. *Parthicum.*

*tutinus admudum Imperator contendis in Parthos*. Anno igitur 699. tranſit Euphratem in Meſopotamiam penetrat, ditionis Particæ oppida aliqua diripit, tum redit in Syriam, ubi templum Hieroſolymitanum ſpoliat: ſpreti tum Armenii Regis, tum ſuorum conſiliis, iterum in Parthos movet. Occurrit cum Parthorum exercitus Surenas; primo congreſſu Craſſi filius occiditur, ipſe cum reliquo exercitu fugit, obſidetur Carrhis, unde proditore duce fugiens circumvenitur a Parthis, quos dum adit ſpe pacis, an iis perimitur. Nec ipſius morte extinctum bellum eſt victores Parthi irruunt in Syriam; jamque laborabat in Oriente Romana res, niſi Q. Caſſius Quæſtor Parthis ſumma virtute obſtitiſſet.

## CAPUT VIII.

### *BELLA*

### *Servilia, Sociale, Piraticum, Balearicum, & Creticum.*

I. *Bella Servilia. Primum Euni.* EUnus quidam natione Syrus, fanatico furore ſimulato, ſervos in Sicilia quaſi Syriæ deæ imperio ad libertatem an. 618. vocat, & 60. amplius millium colligit exercitum, ſi Floro credimus: illius exemplo Cleon itidem ſervus, ut Livius auctor eſt, 70. ſervorum millia contraxit. Ab his Prætorum quatuor Manilii, Lentuli, Piſonis, & Hypſæi ſæpe fuſi exercitus, caſtraque direpta; donec a Rutilio vel Rupilio (aliter enim vocatur ab aliis) vi Tauromenium, proditione Enna capta an. 621. ſervorumque alii in prælio ceciderunt, pars e rupibus acti præcipites, pars ſuppliciis necati. Cleon eruptione facta fortiter dimicans occubuit: Eunus a Romanis captus in carcere periit. Hæc Diodorus.

Ali-

Aliquanto poſt, Servile bellum an.645. recruduit. Adverſus Cimbros dum bellum gerit Marius, a Nicomede Rege Bithyniæ petit auxilia;is reſpondet Bithynos a publicanis in ſervitutem majori ex parte abſtractos: quare Senatuſconſultum editum eſt, ne quis ingenuus ex populi Romani ſociis in provincia ſervituti addiceretur. Licinius Nerva in Sicilia Prætor intra paucos dies 800. ſervos libertati reſtituit; cæteri, quibus negata libertas erat, conſpirant: alii a Prætore cæſi ſunt, alii Salvium quemdam tibicinem Regem appellant, qui Morgantiam continuo obſidet, Romanos fundit; Athenionem, qui ab aliis Rex electus erat, adſciſcit militiæ principem, regiaque ſumit inſignia, & Tricalam regni ſedem conſtituit. L.Licinius Lucullus contra illum miſſus 20. ſervorum millia cecidit. Salvio mortuo a ſervis ſublectus eſt Athenio, quem M. Aquilius an. 652. inſigni prælio devicit, & ſingulari certamine interemit; cæteri vel cæſi vel capti, Romæque contra beſtias pugnare juſſi: quibus bellis centum ſervorum myriades periiſſe tradit Athenæus. *II. Secundum Calvii.*

Tertium ſubinde bellum in Italia an. 680. excitavit Spartacus genere Thrax, qui Romanam alias militiam ſecutus, tum ex ſervo gladiator 70. ſociis perſuaſit, ut pro ſua potius libertate pugnarent, quam pro civium voluptate. Lentuli, qui eos alebat, ludus continuo effractus; arma & Capuanis & viatoribus erepta; Duceſque appellari Spartacus, Ænomaus & Crixus. Ab iis Clodius Prætor exutus caſtris, ſæpe fuſus P. Varinus: L. Gellius Conſul, qui Crixum vicerat, a Spartaco itidem victus eſt, a quo etiam fugatus Conſul Lentulus an. 681. jamque Urbem cum 110. peditum millibus victor petebat, cum occurrit M. Craſſus, a quo ſemel atque iterum ſuperatus eſt: in ſecunda pugna Spartacus tragula femur trajectus, vel in genu ſubſedit ex Appiano, vel per tela & vulnera Craſſum petens, *III Tertium Spartaci.*

tens, Centuriones duos interemit, ex Plutarcho. Denique ſuis in fugam effuſis, dum ipſe in locum tenet, acriter pugnans cecidit: multi ex prælio in montes elapſi a Romanis cæſi ſunt, ad ſex millia capti, qui per viam, qua Romam itur a Capua pependerunt. Hæc fere Appianus.

IV. *Sociale ſive Italicum.*

Huic bello multiplex nomen fuit, *Sociale*, *Italicum*, *Marſicum*, quod a Sociis, ab Italis, a Marſis geſtum ſit. Belli auctores vulgo feruntur Silo Popedius & M. Druſus; dum alter Italos ad ſpem civitatis erigit, alter ad bellum, niſi civitas detur, excitat. Hæc igitur una belli cauſſa fuit, quod jus civitatis poſcerent Itali, negaret Senatus: bellum Aſculi cœptum eſt, ubi Servilius Proconſul ipſiuſque Legatus Fontejus interfecti, alii Romani cives trucidati, bonaque eorum direpta ann. *662.* Ubi in apertum bellum odia eruperunt, inſtitutus eſt ab Italis Confinii Senatus, creati Conſules itidem ac Romæ Q. Popedius Silo & C. Aponius Motulus, variæ utrinque & acceptæ & illatæ clades; Sex. Julius Cæſar duo ſuorum millia amiſit, quatuor Licinius Craſſus; fuſus Perpenna; Cn. Pompejus Firmum fugere coactus; ingenti clade conciſus Sexti Cæſaris exercitus; Cæpio & Rutilius ceciderunt in prælio, ille contra Popedium, hic adverſus C. Papium. Hæc quidem an. *663.* ſed lætior multo Romanis fuit annus *664.* Cn. Pompeji Strabonis & L. Porcii Catonis auſpiciis. Itali alii ab aliis ducibus domiti ſunt; cæſa enim octo millia a L. Cæſare, *23.* a Cn. Pompejo, *30.* ad Nolam a L. Sylla, ubi Cluentius periit, 15. a Coſconio cum Trebatio duce, multa etiam a Catone, qui paulo poſt occubuit; Marſi, Marrucini, Veſtini a Cn. Pompejo ſubacti, Apuli a Metello, contra quem Popedius cecidit; cæteri a C. Coſconio domiti pacem an. *665.* petierunt: civitas omnibus cum pace data. Præcipuum in hoc bello victoriæ decus meruerunt

Cn.

Cn. Pompejus Magni pater & L. Cornelius Sylla poſtea Dictator.

V. *Piraticum.*

Servili bello affine quodammodo eſt Piraticum; alia tamen aliis origo fuit. Victus a Sylla Mithridates Piratas immiſiſſe dicitur, qui Romanam claſſem vexarent: hi primum numero pauci, deinde belli diuturnitate aucti viribus prædas agere, invadere oppida, in belli ſocietatem Syros, Pamphylos, Cyprios, Ponticos adſciſcere; maria, portus, ſinus omnes a Syria ad columnas uſque Herculis infeſtare; Cilicia, regio aſpera & opportuna latrociniis, ſedes belli conſtituta; naves erant pluſquam mille, ex Plutarcho. Ab iis intercepit ſæpe commeatus, 400. capta oppida, Prætores multi fuſi fugatique ſunt; eos quidem vicit P. Servilius an. 677. illorum oppida Phaſelin & Olympon diripuit, arcemque Ciliciæ muntiſſimam Iſaurum cepit, unde *Iſaurici* cognomen retulit; nec his tamen cladibus fractæ Cilicum vires. Quare an. 686. bellum hoc tam late fuſum A. Gabinii lege Pompejo decretum eſt; data 120. peditum millia, equitum quinque; naves vel 270. vel 500. ut refert Plutarchus; Legati Senatores 25. ex Appiano, 24. ex Plutarcho, 14. ex Floro inter quos maria in 13. ſortes deſcripta ſunt, ſua cuique aſſignata ſedes. Dum Pompejus Piratas ingenti claſſe perſequitur, alii tanti apparatus magnitudine territi in ſuas ſe arces recipiunt; alii levibus præliis ad 10. millia cæſi, eorum naves expugnatæ 72. deditæ 306. capta oppida 120. omneſque Pompeji clementiæ & fidei arma, naves, captivos, prædas, ſeipſos permiſerunt. Ita contra Piratas, ne una quidem amiſſa navi, unius anni ſpatio ex Dione, tribus menſibus ex Plutarcho, 40. diebus ex Floro, debellatum eſt. *Bellum*, inquit Cicero, *extrema hieme apparatum, ineunte vere ſuſceptum, media æſtate confectum.*

IV. *Baleari-cum & Creticum* Eadem prope & Balearici & Cretici belli cauſſa, quæ Piratici fuiſſe perhibetur. Balearibus datum crimini, quod piraticam exercerent; Crentenſibus, quod faverent Mithridati. Utrumque bellum Metelli duo confecerunt; unde alter *Balearici*, alter *Cretici* cognomen ſortitus eſt. Sed difficilior de Cretenſibus victoria fuit M. Antonius Triumviri pater, qui victoriæ ſpe plures in navibus catenas, quam arma tulerat, ab iis an. 685. victus eſt: Metellus inſulam igni ferroque populatus, illos præliis aliquot fregit, multas cepit arces, inſulamque omnem redegit in provinciæ formam an. 687. quæ vix tribus annis difficili bello perfecta ſunt.

## CAPUT IX.

### *Bella Ciuilia.*

.I *Bella Civilia Syllanum Illius cauſſa.* A Sociali bello ad Civile ventum eſt, cujus occaſio Marii ambitio fuit. Bellum Mithridati indictum erat duce L. Sylla C. Marius tantam gloriæ ſegetem Syllæ Legato olim ſuo invidens, per Sulpitium Tribunum plebis eam ipſi provinciam eripuit, & in ſe tranſtulit; quare commotus Sylla an. 665. Urbem occupat, occiſoque Sulpitio Marium fugat, qui poſt errores varios in Africam ſe recipit. An. 666. Cornelius Cinna Conſul, quod faveret Marianis, ab Octavio Collega Urbe pellitur; ſed ab exercitu, qui circa Nolam erat, receptus Marium revocat ex Africa, junctiſque viribus Urbem obſident: eaque deditione capta, principes civitatis obtruncant in veſte & ſede Conſulari Octavium Conſulem, illius Collegam Merulam, M Antonium Oratorem, duos Cæſares Cajum & Lucium, Q. Catulum, alioſque, quorum alii alio mortis genere perierunt: leges Syllæ abrogatæ, domus diruta, bona publicata, ipſe hoſtis judicatus, *nihilque illa vi-*

*ctoria*

*ctoria fuiſſet crudelius*, iniquit Vellejus, *niſi mox Syllana eſſet ſecuta*.

Sub hæc, mortuo jam Mario, Sylla ex Aſia victor an. *669* in Italiam rediit. Habebat ſub ſignis vel *30*. militum millia ex Vellejo, vel *40*. ex Appiano; Mariani ducenta prope millia; quorum princeps Cornelius Cinna a ſuis militibus, quod eos haberet paulo durius, cæſus eſt. Ambo Conſules L. Cornelius Scipio Aſitaticus & C. Norbanus an. *670*. movent contra Syllam; ſed ille ad Teanum ſpoliatus eſt exercitu, hic ad Canuſiam amiſſis ſuorum ſex millibus fugatus: unde Carbo, *cum leone & vulpe ſibi rem eſſe*, dixit. Inde omnia Syllæ prona fuerunt: 50. legiones a Lucullo ad Padum conciſæ; a Sylla Marius junior ad Præneſte victus, ceſis 20. millibus; apud Cluſium ambo Conſules an. *671*. Norbanus & Carbo; Carinas bis fugatus, ſemel a Metello, iterum a Pompejo & Craſſo; bis itidem Marcius a Pompejo primum circa Senas, deinde ad Ariminum: denique Carinatem, Marcium Damaſippum ad portam Collinam Sylla devicit; & Pompejus Carbonem in Sicilia, in Africa Domitium necat, Regemque Numidum Hiarbam prælio victum capit. II. *Et prælia*

Sylla profligatis Marianis Urbem & Italiam ſtragibus complet: primum ſex Marianorum millia prope ædem Bellonæ, ubi tum habebat Senatum, occidi jubet: deinde Dictator appellatus 80. cives proſcribit, poſtero die 220., tertio non pauciores alii per vicos, per templa, per porticus nec opinantes oppreſſi; alii ſublimes correpti, & ad Syllæ pedes raptati; ex ipſo equeſtris ordinis fiore duo millia proſcripta; qui fuga elapſi ſunt, bonis ſpoliati: nec cædibus in Urbe modus erat, donec victores admonuit Furfidius *vivere aliquos debere, ut eſſent quibus imperarent*. In ſocios etiam ſævitum eſt, qui Marianos ope, conſilio, milite juverant: alii alio III. *Syllæ cru-delitas.*

abducti, alii mulctati pecunia, alii ſub haſta vendi- ti. Illud etiam de Q. Aurelio (homo dives erat) preditum eſt; quod cum inter proſcriptorum nomi- na ſum etiam legiſſet, nihil tale ſuſpicatus, quod neutri parti faviſſet; *Væ mihi miſero*, inquit! *fundus Albanus mihi procurat necem:* paulumque inde pro- greſſus necatus eſt. Ita Plutarchus. Sylla tot tantiſ- que ſtragibus editis Dictatura ſponte ſe abdicavit; quodque magis mirere, privatus vixit incolumis, quæ abdicatio Dictaturæ ita grata populo accidit, ut ejus funus incredibili & pompa & frequentia celebraverit.

IV. *Sertorianum.* Ex belli civilis ſcintilla ingens in Hiſpania extitit incendium. Sertorius, *vir ſummæ ſed calamitoſæ virtutis*, inquit Florus, proſcriptus a Sylla in Hi- ſpaniam profugit an. 670. ubi populos lenitate ſibi conciliavit; ſed C. Annio, qui adverſus ipſum miſ- ſus erat, viribus impar bis in Africam trajecit: un- de revocatus a Luſitanis exigua militum manu gra- ves Syllanis ducibus clades intulit; Cottam navali pugna, terreſtribus præliis Aufidium & Domitium ſuperavit; Thoranium & Aquinum Metelli legatos oppreſſit; Metellum nova belli gerendi ratione ſæpe deluſit an. 674. Pompejum, qui Metello an. 675. auxilio venerat, bis vicit, primum ad Sucronem, deinde in campis Saguntinis. Sub hæc & Romano- rum & Hiſpanorum animos a ſe alienat Sertorius; quod a Metello proſcriptus Celtiberico ſe ſtiparet ſatellitio, & Perpenna graviora ab Hiſpanis tributa ipſius nomine exigeret: quare & a Pompejo ſæpe fu- ſus eſt, & Perpennæ ſcelere a ſuis occiſus. Anno il- lius belli decimo, Perpenna auſus cum Pompejo confligere victus eſt, & illius juſſu necatus: epiſto- las a viris Conſularibus ad Sertorium ſcriptas Pom- pejus ne lectas quidem concremari juſſit, ne novis indiciis novarum calamitatum auctor fieret. Ita Sertoriano bello an. 681. finis impoſitus eſt.

Poſt

Poſt Graſſi in Oriente cædem, cum neque parem Pompejus, neque ſuperiorem Cæſar ferre poſſet, civile inter illos bellum exortum eſt. Fama tum erat æs alienum Cæſarem prope infinitum contraxiſſe, legibus ſolutum eſſe velle, largitione milites, magiſtratus, populi ſuffragia corrumpere, Dictaturam etiam affectare: unde Euripideum illud uſurpare interdum ſolebat, teſte Cicerone; *Si violandum eſt jus, regnandi cauſſa violandum eſt; aliis rebus pietatem colas*. Petebat a Senatu, ut abſens fieret Conſul; ſin minus, ut Galliam Ciſalpinam & Illyricum cum duabus legionibus retineret, ne inimicorum vel calumniis pateret vel inſidiis. Utrumque a Senatus negatum eſt: creati Conſules Lentulus & Marcellus Gallia L. Domitio Proconſuli data. V. *Põpejãnum. Illius cauſſa.*

Cæſar Romam infeſto agmine contendit. Flaminia, Piceno, Samnitibuſque potitus Pompejum fugat ex Italia, Africanum & Petrejum in Hiſpania ſpoliat exercitu, Maſſiliam per D. Brutum in deditionem recipit; Romæ init Dictaturam, deinde in Græciam tranſgreſſus quinque victorias de hoſtibus retulit: primam an. 705. de Pompejo ad Pharſalum; alteram ad Alexandriam an. 706. de Ptolemæo & Ægyptiis; tertiam de Pharnace in Ponto; quartam ad Thapſum in Africa an. 707. de Juba & Scipione; quintam de Pompeii filiis an. ad Mundam in Hiſpania. Ita triumphis quinque Cæſaris rex Gallia ex Ægypto, Ponto, Africa, & Hiſpania civile bellum an. 709. cum Reipublicæ ruina reſtinctum eſt. VI. *Et prælia.*

Poſtquam Cæſar a conjuratis in curia confoſſus eſt, alia ex aliis bella exorta ſunt. Primum excitavit M. Antonius Conſul, qui in funere Cæſaris plebem in patriæ liberatores comovit; neffarias læges per vim tulit; invaſit Galliam Ciſalpinam; D. Brutum Mutinæ obſedit. Quare auctore Cicerone bellum a Senatu contra illum decernitur an. 710. miſſi ad VII. *Mutinenſe.*

liberandum Brutum ambo Conſules Hirtius & Panſa, itemque Octavius adoleſcens, quem ex dodrante ſibi hæredem Cæſar ſcripſerat. Collatis ſignis victus quidem Antonius, ſed cæſi ambo Conſules; unde tres exercitus uni paruerunt Octavio, qui natus annos 20. Conſulatum per vim extorſit, dumque Senatus tentat eum paulatim cogere in ordinem, cum Antonio & Lepido in patriam conſpirat, unde Triumviratus extitit, & gravia ſubinde bella.

VIII. *Philippenſe.* A Triumviris cum multi Romani cives, tum Senatores 130. proſcripti, e quibus præſtabat Cicero, cujus caput & manus pro roſtris affixa: deinde Romanus orbis trifariam diviſus; Oriens & Græcia Antonio, Lepido Africa, Italia & Occidens Octavio obvenit. Sex. Pompejo, qui claſſe plurimum valebat, Sicilia permiſſa: poſt, percuſſores Cæſaris Brutum & Caſſium bello perſequi Triumviri cœperunt; ad Philippos (urbs erat in Macedoniæ & Thraciæ confinio ad radices Pangæi montis) pugnatum eſt. Utrinque cornua dextra vicerunt, utrinque direpta caſtra; Caſſii ab Antonio, Octavii a Bruto; utrinque par clades erat, cum error fecit imparem. Caſſius victus victum quoque Brutum ratus, mortem ultro ſibi conſcivit; Brutus altero quoque prælio haud multo poſt ſuperatus, ſua ipſe manu occidit & cum eo Reipublicæ ſpes omnis. Percuſſores Cæſaris intra triennium omnes ſublati morte violenta; alii tamen alio mortis genere, quidam etiam eodem, quo Cæſarem confoderant, pugione ſeipſos interfecerunt.

IX. *Peruſinum.* In Italiam vix redierat Octavius, cum ipſi negotium fuit cum L. Antonio Triumviri fratre. Octavius militibus agros diſtribuerat: antiqui poſſeſſores ad optimates, maxime ad Antonium Conſulem, confugere, eorum implorare opem. Flammas etiam incendio ſubdebat Fulvia M. Antonii uxor: cauſſa Cæſaris inviſa populo; quare L. Antonium contra

ipſum

ipſum Imeratorem appellat; ſed is viribus impar Peruſiam an. 712. ſe recipit, ubi ab Octavio obſeſſus ad deditionem an. 613. compulſus eſt. X.

Longe difficilior de Pompejo, qui Siciliam tenebat, victoria fuit. Cum oras Italiæ omnes infeſtaret, prohiberetque annonam, fremente populo, de pace primum juxta Puteolos an. 713. conventum eſt. Aderant Antonius, Cæſar, Pompejus: iis legibus ſancita pax, ut præter Siciliam Pompejo Sardiniam & Corſicam Cæſar, Antonius Peloponneſum cederet. Tum placuit ſingulis, ut quiſque viciſſim alios convivio exciperet. Dum apud Pompejum in nave Cæſar & Antonius ad menſam aſſident, Menodorus Pompejum clam adomnet; *ut patris fratriſque necem ulciſcatur: ſi funem, quo illigatur ancora, abſcindi jubeat, penes ipſum fore orbis imperium*. Cui Pompejus, *Utinam*, inquit, *inconſulto me ad peregiſſet Menodorus*; *nam Menodoro perjuro eſſe licet, Pompejo non licet*. Paulo poſt, quod Peloponneſum Pompejo non traderet Antonius, violatum eſt fœdus; biſque navali prælio an. 715. dimicatum par utrinque & accepta & illata clades; ſed Octavii naves ita ventis æſtuque quaſſatæ ſunt, ut Pompejo pateret Italia, ſi fortuna uti ſciviſſet. An. 717. claſſis Octavii ſemel atque iterum tempeſtate vel diſperſa vel demerſa; tandem ingenti prælio, Agrippæ potiſſimum virtute, victus Pompejus in Aſiam fugit, ubi juſſu Antonii interfectus eſt: Lepidus, qui ex Africa in Siciliam trajecerat, privatus imperio; ipſiuſque legiones ad Cæſarem ſigna tranſtulerunt.

*Siculum.*

XI. *Actiacum.*

Vix Pompejus victus erat, cum aliud bellum Octavium inter & Antonium exarſit. Erat, cur alter alterum criminaretur. Ægre erat Antonio, quod Octavius & provincias tum Lepidi tum Pompeji uſurpaſſet; & ex Italia, quæ utrique communis erat, milites unus conſcriberet. Octavius cum multa alia, tum hæc potiſſimum in Senatu objecit Antonio:

Pompejum à ſe dimiſſum ipſius juſſu necatum; Artavaſdem Regem Armeniæ per fraudem captum; repudiatam ſororem Octaviam; Cæſarionem Cleopatræ filium in Cæſaris familiam adoptatum. Quare abrogatus Antonio Conſulatus, bellumque verbo Cleopatræ, reipſa Antonio indictum eſt an. 721. Commiſſo apud Actium prælio navali an. 722 cum æquo Marte pugnaretur, refugientem temere Cleopatram Antonius ſequitur, deſerta pugna, in qua de orbis Romani imperio dimicabant. Parta victoria, Cæſar hoſtem inſecutus in Ægyptum, æqueſtri pugna ab Antonio victus eſt; pedeſtri paulo poſt victor exſtitit: quare rebus deſperatis, Antonius gladio, admota aſpide Cleopatra, ſibi mortem conſciverunt. Is tandem bellorum civilium an. 723. exitus fuit, quo Octavius Cæſar rerum unus potitus eſt.

# DISSERTATIO SECUNDA.

## PRÆLIA ROMANORUM.

## CAPUT PRIMUM.

### *Prælia a Regibus & contra Reges commiſsa.*

I. *Prælia Romuli contra Acronem.*

CUM a finitimis populis connubia novo populo Romulus non impetraſſet, extorſit. Conſualibus ludis Sabinas aliaſque virgines, quæ Romam ſpectandi ſtudio confluxerant, capi jubet; de quo ut ad Sabinos aliaſque civitates allatum eſt, continuo Cænìnenſes in agrum Romanum irrumpunt. Fit obvius cum exercitu Romulus,

mulus, an. Urb. 4.; hoſtes fundit fugatque, fuſos perſequitur, Regemque Acronem cum valida manu occurrentem obtruncat ſive ſingulari certamine, ut a Valerio & Plutarcho proditum eſt, ſive tumultaria pugna; ut tradunt Livius & Dionyſius. Hoſti cæſo ſpolia detrahit, eaque vel ex ramis arboris, vel e feretro ſuſpenſa, ipſe quadrigis invectus, indutuſque purpura ſi Dionyſio credimus, in Capitolium detulit; cumque ad quercum Paſtoribus ſacram ſpolia appendiſſet, deſignavit Jovis templo fines, cognomenque addidit Deo. *Juppiter Feretri*, inquit, *hoc tibi victor Romulus Rex Regia arma fero, quæ regibus ducibuſque hoſtium cæſis me auctorem ſequentes poſteri ferent*. Ea erant opima ſpolia, quæ dux duci detraxiſſet. Tres tantum opima ſpolia Jovi Feretrio tulerunt: omnium princeps Romulus ex Acrone cæſo Cornelius Coſſus; alter an. Urb. 317. ex Tolumnio Fidenatium duce; tertius M. Marcellus an 533. ex Viridomaro Gallorum Rege: quanquam opinatur Servius prima quidem ſpolia a Romulo fuiſſe Jovi dicata; ſed altero Marti a Cornelio Coſſo, tertia Quirino a Marcello.

II. *Contra Tatium.*

Cæninenſe prælium Sabinum excepit. A Sabinis legati primum miſſi ad Romanos, qui raptas virgines repeterent. At nihil cum impetratum eſſet, Tatius Sabinorum Rex 25. millia peditum, equites fere mille in prælium educit an. 5. Primum arx Romana Tarpejæ virginis proditione occupata eſt; deinde fuſi primo impetu Romani. Sed Romulus Jovi Statori votum nuncupat. Romani continuo aciem repetunt; utrinque pugnatur acriter, donec utraque pars prælio feſſa diſcedit. Tum Sabinæ mulieres ſparſis crinibus dirimere infeſtas acies; hinc patres, hinc viros orare, ne ſe ſanguine nefando ſoceri generique reſpergerent; inter ambos Reges ictum fœdus eſt iis conditionibus, ut Sabini Romam demigrarent, utrique Regi par eſſet poteſtas.

ſtas. Urbs a Romulo *Roma*, cives a Quiribus ( Tatii patria erat ) *Quirites* dicerentur.

III. *Horatiorum & Curiatiorum.* Orto Romanos inter & Albanos bello an. 84. Metius Suffetius Albanorum Dictator auctor eſt Tullo Romanorum Regi, ut ineatur aliqua via, qua abſque multo utriuſque populi ſanguine diſcerni poſſit, uter imperet alteri. Erant in utroque exercitu tergemini fratres, nec ætate diſpares, nec viribus, Horatii & Curiatii: hi apud Albanos, apud Romanos illi. Cum his agunt ambo Reges, ut pro ſua quiſque patria ferro dimicent: nihil recuſatur; tempus & locus convenit. Icto fœdere tergemini arma capiunt; datur ſignum; concurrunt infeſtis armis, conſertiſque manibus, duo Romani alius ſuper alium vulneratis tribus Albanis corruunt. Superſtes Horatius forte integer fuit, univerſis ſolus nequaquam par, ſic adverſus ſingulos ferox; quare capeſſit fugam, Curiatii inſequuntur, ut quemque vulnus ſinit. Ut vidit Horatius eos magnis intervallis inſequentes, proximum invadit, & antequam alter alteri auxilio eſſe poſſit, unum & alterum, deinde tertium æquato Marte conficit. Hæc fere Livius.

IV. *Tulli Hoſtili contra Vejentes.* Contra Fidenates & Vejentes bellum Tullus Hoſtilius gerebat an. 86. Metius Suffetius cum Albanis ex pacto fœdere ſocius aderat: ad Tyberim pugnatum eſt. Romani Vejentibus, Fidenatibus Albani oppoſiti. Metius, qui belli ſuſcipiendi Fidenatibus aut ſuaſor aut auctor fuerat, ſenſim cum ſuis ad montes ſuccedit, & copias, ut tempus tereret, explicat, nudumque Romani exercitus latus hoſtibus exponit. Rem eques Tullo nunciat: is, ne Romani caderent animis, id ſuo juſſu factum ſimulat, ut hoſtis ſimul & a fronte & a tergo cæderetur; quæ cum ordines obequitans identidem ipſe iteraret, rediit Romanis animus, hoſtes fuſi fugatique, pars undis periere. Sequenti die advocata concio eſt. Albani inermes juxta Regem conſtitere; inde Romanæ-

manæ legiones, quæ ſub amictu gladios geſtare juſſæ erant: tum Tulli Hoſtilii juſſu Metius flagris fœde laceratus eſt, bigis humi raptatus, moxque dicerptus; Alba diruta; cives Romam tranſlati; nobiles inter patricios allecti; cætera plebs diſtributa in curias.

V. *Horatii Coclitis contra Etruſcos;*

Pulſus ex Urbe Tarquinius ad Porſenam Cluſinorum Regem an. 246. confugit; qui junctis copiis cum Octavio Mamilio (is Tarquinii gener erat) Romam infeſto exercitu petit. Janiculum primo impetu occupat; tum ad manus cum Romanis ventum eſt: diu & acriter utrinque pugnatum. Tandem poſt multam cædem Romani, ſaucii ducibus Valerio & Lucretio, in Urbem refugiunt; hoſtes a tergo magna vi inſtant: at Horatius Cocles primum cum Sp. Largo & T. Herminio, deinde iis etiam dilapſis ſolus illorum impetum ad pontem ſublicium ſuſtinet; *rem auſus*, inquit Livius, *plus famæ habituram ad poſteros, quam fidei*. Ubi vero pontis extrema pars poſt tergum abrupta aditum in Urbem hoſtibus prohibuit, tum Horatius & armatus & femur trajectus ſagitta ſeſe projicit in fluvium, ad ſuoſque pervenit incolumis. Armata ex ære ſtatua in foro illi poſita eſt; cumque e vulnere nonnihil claudicaret, idque per jocum ſive ſerio exprobraret neſcio quis: *At ego*, inquit, *per ſingulos gradus admoneor triumphi mei*.

VI. *Mutii Scęvolæ contra Porſenam.*

Dum Porſena Urbem obſidet, C. Mutius Cordus, cui *Scævolæ* cognomen poſtea fuit, in caſtra Etruſcorum penetrat. Ad prætorium ut venit, Scribam Regis proceritate corporis & purpura inſignem, ratus eſſe Regem, ſtricto ferro interficit: continuo comprehenſus ad Regem ducitur, fatetur ſe ipſius occidendi cauſſa veniſſe, certum mori, ſive res ex animi ſententia ſuccederet, ſive ſecus. *Romanus ſum* [illegible] *cædere volui; nec ad* [illegible] *quam ad cædem*

*dem fuit : & facere & pati fortia Romanum eſt* : Dumque Rex ignem minatur, ut conſcios proderet, ipſe dexteram in foculum ultro injicit, tamdiuque ardere permiſit, dum Porſena attonitus rei miraculo Juvenem ab igne amoveri imperat, liberumque dimittit. *Tu vero*, ait, *abi in te magis, quam in me hoſtilia auſus. Juberem macte virtute, ſi pro mea patria iſta virtus ſtaret : nunc jure belli liberum intactumque dimitto*. Cui Mutius, *Quandoquidem*, inquit, *eſt apud te virtuti honos ; trecenti conjuravimus principes Juventutis Romanæ, ut in te hac via graſſaremur : mea prima ſors fuit, cæteri ſuo quiſque ordine aderunt* : Sub hæc, dum quærit a ſuis Porſena : *qua ratione ſibi a Romanorum caveret inſidiis?* Reſpondit Filius : *Non quærendum quomodo ſe contra illorum muniret inſidias, ſed quo pacto cuſtodiis non indigeret*. Tum percontati Regi, qui id fieri poſſet? *Si viros iſtos*, inquit, *ex hoſtibus amicos feceris* : & continuo Porſena in Urbem de pace legatos miſit, datique utrinque obſides.

VII. *Clœliæ virginis :* Tum Clœliæ virginis, quæ obſes Porſenæ data erat, fertur inſigne facinus. De nocte egreſſa cuſtodiam, equum conſcendit, & trajecto flumine rediit Romam : de quo cum quereretur Porſena, remiſſa quidem ad eum Clœlia eſt ; ſed a Rege vel parte obſidum, ex Livio vel equo bellatore, ex aliis donata fuit, a Romanis vero ſtatua equeſtri. De qua in conſolatione ad Marciam Seneca : *Equeſtri inſidens ſtatuæ in ſacra via Clœlia exprobrat Juvenibus noſtris pulvinum adſcendentibus, in ea illos urbe ingredi, in qua etiam fœminas equo donavimus.*

VIII. *Poſthumii Regillenſis contra Tarquinios.* Aliquanto poſt, Latium omne pro Tarquiniis adverſus Romanos conſpirat ; ad Regillum lacum in agro Tuſculano an. 258. pugnatum eſt : quo in prælio id ſingulare perhibetur, quod duces omnes ſingulari inter ſe certamine contenderint. Tarquinius Superbus, quanquam ætate jam & viribus gravis, Poſthumium

humium Dictatorem aggreſſus eſt, M. Valerius Publicolæ frater L. Tarquinium, Octavium Mamilium primum Ebutius Magiſter equitum, deinde T. Herminius Legatus. Tarquinius, in latere ictus, a ſuis receptus in tutum eſt; M. Valerius temere invectus in exulum aciem cecidit; Ebutio brachium trajectum, Mamilio percuſſum pectus & latus ab Herminio transfixum; Herminius ipſe, dum Mamilii corpus ſpoliat, transfoſſus occubuit. In dextro cornu vicit Poſthumius; in ſiniſtro acre certamen erat variaque pugna; donec occiſo Mamilio equites Romani dimiſſis equis in primam aciem advolant: tum undique facta fuga multaque cædes, & præda ingens capta eſt; e quadraginta Latinorum millibus vix decem millia domum rediere. Caſtorem & Pollucem pugnaſſe referunt Cicero, Dionyſius & Plutarchus; quod a Poſtumio, ut ſuis animos adderet, excogitatum ſcribit Frontinus.

## CAPUT II.

## *PRÆLIA*

### *Contra Æquos, Vejentes, Gallos, & Samnites.*

SABINI & Æqui a Romanis defecerant an. 296. Nautius contra Sabinos movit; adverſus Æquos Minucius. Is in caſtris dum ſe præ metu continet, ab hoſtibus ita obſeſſus eſt, ut nec pugnare, nec inde egredi liceret: de quo ut Romam allatum, L. Quintius Cincinnatus Dictator ab altero Conſule dicitur. Operi ruſtico tum ille intentus legatos ut vidit, togam e tugrio afferri jubet, continuo in hoſtes advolat; eorum caſtra noctu invadit. Tum Æqui ad preces verſi hinc Dictatorem, inde Conſulem orare, ut inermes abire ſinerent. Gracchum,

I. *L. Quintii Cincinnati adverſus Æquos.*

Clo-

Clodium, alioſque duces vinctos ad ſe Dictator adduci jubet; ipſoſque & illorum milites ſub jugum mittit. Præda omnis Quintii militibus ceſſit; Minucianis nihil datum: quos increpans Quintius *Carebis*, inquit, *parte prædæ, miles, ex eo hoſte, cui prope præda fuiſti; & tu, L. Minucii, donec Conſularem animum incipias habere, Legatus his legionibus præeris*. Paruit Minucius, & abdicato Conſulatu ad exercitum Legatus manſit. Quintius peracto triumpho ad boves redit die decimo quarto *triumphalis agricola*; *ut feſtinaſse Dictator*, inquit Florus *ad relictum opus videretur*: de quo eleganter Plinius l. 18. c. 18. *Quænam tantæ ubertatis cauſſa erat? Ipſorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri; ut fas eſt credere, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: ſive illi eadem cura ſemina tractabant, qua bella; a denique diligentia arva diſponebant, qua caſtra: ſive honeſtis manibus omnia lætius proveniunt, quoniam & curioſius fiunt*.

II. *A. Cornelii Coſſi contra Tolumnium.* Par A. Cornelii Coſſi adverſus Vejentes felicitas fuit, major etiam gloria. Ob cæſos a Tolumnios Legatos bellum ortum erat; trans Anienem pugnatum eſt an. 317. Dextrum cornu Vejentes tenebant ſiniſtrum Faliſci, medii erant Fidenates. Mamercu, Æmilius dictator adverſos Faliſcos, contra Vejentes Quintius Capitolinus ſigna intulit; ante mediam aciem proceſſit Magiſter equitum: ceſſerunt undique legiones Etruſcæ; eques maxime reſiſtebat. Suis Tolumnius Rex & verbis addebat animos & exemplo; quem regio habitu inſignem ut conſpexit Cornelius Coſſus Tribunus militum: *Hicecine eſt*, inquit, *ruptor fœderis humani, violatorque gentium juris? ego hanc mactatam victimam Legatorum manibus dabo*. Tum infeſta cuſpide in eum fertur; equoque dejectum in terram affigit, & detracta ſpolia caputque victor gerens terrore cæſi Regis

hoſtes

hoſtes fundit. Dictator triumphum egit. Coſſus quadrigis in Urbem invectus opima ſpolia in æde Jovis Feretrii alter a Romulo dono fixit. Eſt tamen cur Coſſum tum fuiſſe conſulem ſuſpicer: id enim & inſcriptus ſpoliis titulus, teſte Livio, præ ſe ferebat; & ea tantum ſpolia dicta ſunt *opima*, quæ dux duci detraxiſſet.

III. *T. Manlii Torquati contra Gallum.*

In præliis adverſus Gallos cum multorum virtus enituit, tum maxime T. Manlii & M. Valerii etiam tum juvenum. Ad Anienem an. 392. caſtra poſuerant Galli, ex altera fluminis ripa Dictator T. Quintius Pœnus conſederat: pons inter utroſque medius erat. Tum mira corporis proceritate Gallus in pontem proceſſit, Romanorumque fortiſſimum ad ſingulare certamen provocat. T. Manlius ad Dictatorem pergit. *Si tu permittis*, iniquit, *volo ego illi belluæ oſtendere me ex ea familia ortum, quæ Galloram agmen ex urbe Tarpeja dejecit*. Tum Dictator, *Macte virtute, hac pietate in patrem patriamque, T. Manli, eſto: perge, & nomen Romanum juvantibus Diis præſta*. Armis continuo inſtructus ad pugnam progreditur. Ubi conſtitere inter duas acies, Gallus Manlii arma ſcutumque ingenti ſonitu percutit; Manlius ipſius ſcutum elevat, hoſtique propior factus uno alteroque ſubinde ictu illum confodit, ipſique torquem detrahit, & collo induit cruore reſperſum; unde illi ipſiuſque poſteris honoris ergo *Torquati* cognomen inditum. Manlius a Dictatore & ſumis pro concione ornatus eſt laudibus, & corona aurea donatus: tantus hoſti ex hac victoria injectus eſt terror, ut relictis de nocte caſtris diceſſerit.

IV. *M. Valerii Corvini contra Gallum.*

T. Manlii audaciam M. Valerius haud multo poſt æmulatus eſt; L. Camillus Conſul, ut Gallos a populationibus arceret, an. 404. ſtativa in agro Pomptino delegerat: ubi cum ſtationibus quieti tempus tererent, Gallus & armi inſignis & robore in medium

dium proceſſit; unumque e Romanis, qui ſecum ferro decernat, ad certamen popoſcit. Tum M. Valerius Tribunus militum, Conſulis ſciſcitatus voluntatem, in prælium deſcendit. Jam conſerenti manum corvus repente in galea conſedit, & os oculoſque hoſtis roſtro & unguibus appetit; donec prodigio territum Valerius obtruncat: at dum parat Gallum ſpoliare, utrinque concurrunt acies, ſuiſque Conſul Valerium oſtentans, *hunc imitare miles*, ajebat, *& circa jacentem ducem ſterne Gallorum catervas*. Fuſi victique Galli, Valerius decem bobus aureaque corona a Conſule donatus, *Corvini* cognomen ſibi ſuiſque peperit.

V. *T. Veturii contra Samnites ad Furcas Caudinas.* Nonnulla interdum clade Romanorum contra Samnites dimicatum eſt: at præ cæteris nobilis ea eſt, quam Pontius ad Furcas Caudinas an. 432. intulit. Non procul a Benevento ſaltus duo alti anguſtique ſunt, montibus perpetuis inter ſe juncti: jacet inter eos ſatis patens campus, per quem medium iter eſt. Hic Pontius Samnitium dux caſtra quam occultiſſime locat: tum rumorem ſpargi jubet; Samnites Luceriam circumſedere, nec procul abeſſe quam vi capiant. Conſules T. Veturius Calvinus & Sp. Poſthumius Albinus, ut Lucerinis quam primum opem ferrent, per Furcas Caudinas viam, quæ brevior erat, ſequuntur; quo ut ingreſſi, alterum exitum arboribus & ſaxis, alterum Samnitium armis clauſum reperiunt. Pontins patrem Herennium per literas ſemel atque iterum conſulit: is primum filio auctor eſt, *ut Romanos omnes inviolatos dimittat*; deinde, *ut omnes ad unum interficiat*; *quo vel perpetuam cum Romanis tanto beneficio firmaret pacem, vel deleto tanto exercitum bellum multos in annos differret*. Neutra ſententia probata Pontio eſt; omnes ſub jugum mitti placuit. Nec diſſenſere Romani duces, quia nulla ſive pugnæ ſive fugæ ſpes erat: primum ſexcenti equites obſides dati; deinde Conſules

prope

prope ſeminudi ſub jugum miſſi, tum alii duces; (ut enim quiſque gradu proximus erat, ita ignominiæ objectus) denique ſingulæ legiones. Poſtquam e ſaltu evaſerunt, a Capuanis omni humanitatis officio excepti ſunt; militibus commeatus, Conſulibus ſua inſignia, faſces, lictores, arma, equi, veſtimenta miſſa: at Romani dejectis oculis præ pudore adſpexere neminem. De hac clade ut Romæ nunciatum eſt, clauſæ continuo tabernæ, juſtitiumque in foro cœptum; lati clavi annulique aurei poſiti; ipſoque exercitu mœſtior civitas: milites duceſque captorum habitu vultuque ingreſſi ſero in Urbem, & in ſuis quiſque ædibus ita ſe abditi, ut nec poſtero die nec ſequentibus diebus ullus in foro viſus ſit.

VI *L. Papirii Curſoris contra Samnites.*

Secundum hæc M. Valerius Corvinus Interrex Q. Publilium Philonem & L. Papirium Cornelio Conſules creat. Ii de pace Caudina ad Senatum referunt, & Publilius Poſtumii Exconſulis ſententiam rogat; qui Senatui perſuadet, ut tum ipſe, tum alii fœderis cum Samnitibus ſponſores, nudi vinctique dedantur Samnitibus: continuo & ipſe abdicato Magiſtratu & reliqui fœderi ſponſores traduntur fecialibus. Caudium omnes abducti, datique Samnitibus; ſed ab iis non recepti, & vinculis ſolvi juſſi in caſtra Romana liberata fide redierunt. Jam enim Conſul uterque cum gemino exercitu venerat, Caudium Publilius, Papirius Luceriam: ad Caudium primo pugnatum eſt, deinde ad Luceriam. Utrobique victi Samnites an. 433. & in eos a Romanis maxime ad Luceriam ſævitum eſt: inermes juxta ac armati cæſi ſunt, ſervi, liberi, puberes, impuberes, homines, jumenta; maxima pars prædæ ira militis corrupta capta Luceria; Samnites ad ſeptem millia ſub jugum miſſi, quos inter Pontius erat; recepti equites, qui ad Caudium dati erant obſides; utrique Conſuli decretus triumphus. Ita

deletum eſt ad Furcas Caudinas contractum dedecus.

VII. *Q. Fabii Rulliani contra Samnites.* Inter Romanos duces celebre Q. Fabii Rulliani ea ætate nomen erat, cujus victoriæ de Samnitibus duæ præ cæteris inſignes memorantur: alteram etiam tum Juvenis, alteram admodum ſenex retulit. L. Papirio, cui *curſoris* cognomen fuit, tum Dictatori Q. Fabius Rullianus datus eſt Magiſter equitum. Incertis auſpiciis in Samnium Dictator an. 429. venerat; quare monitus a Pullario auſpiciorum cauſſa Romam revertitur, ſimulque Magiſtro equitum denunciat, ne ſe abſente manum cum hoſte conſerat. Fabius tamen cum Samnitibus ſpe rei bene gerendæ conflixit. Iſque prælii fuit exitus, ut viginti hoſtium millia eo die cæſa eſſe dicantur. Sub hæc in caſtra redit Papirius. Fabium continuo nudari paloque alligari Jubet: cæteri duces omniſque exercitus orant Dictatorem, ne in Juvenem & nobilitate & victoria florentem ſæviat. Interim Fabius clam dilapſus Romam fuit; Senatus, Tribunorum, populi opem implorat. Romam paulo poſt Papirius advenit, & Senatus precibus repudiatis, Fabium prehendi jubet ſedetque pro tribunali; cumque populus univerſus Tribunique plebis pœnam deprecarentur, & Fabius ipſe ipſiuſque pater Dictatura & tribus Conſulatibus nobilis ad Dictatoris genua procumberent: tum Papirius facto ſilentio, *Bene habet*, inquit, *Quirites: vicit diſciplina militaris; vicit imperii majeſtas. Non noxæ eximitur Q. Fabius? ſed noxæ damnatus donatur populo Romano donatur Tribunicæ poteſtati. Vive, Q. Fabi, felicior hoc conſenſu civitatis ad tuendum te, quam qua paulo ante exultabas victoria* Hic ille eſt Q. Fabius, qui Conſul quinquies, ter Dictator, ſemel Cenſor, Princeps Senatus, tribus triumphis clariſſimus, primus e gente Fabia *Maximi* cognomen adeptus eſt.

VIII. *Q. Fabii* Nec minor Jam ſenis gloria fuit, quam Juvenis fuerat.

fuerat. Fabius Gurges ipſius filius re adverſus Samnites male geſta in Urbem refugerat. De abrogando ipſi imperio frequens Senatus convenit: tum Fabius pater hanc filio deprecatus infamia, ſi belli iterum gerendi facultas detur, Legatum ſe filio iturum pollicetur. Aſſenſere omnes quodque receperat, præſtitit, & victoriam filio virtute ſua peperit imbellis ſenex. Ubi enim ad pugnam an. 461. ventum eſt, Samnites pulſis Romanis Conſulem invadunt; filii periculo commotus pater in medium ſe injecit agmen. Romani equites illius exemplo illuc tota acie incumbunt, nec fruſtra: Conſul Conſuliſque pater liberati; fuſi hoſtes; Pontius eorum dux captus; cæſa Samnitium viginti millia, capta quatuor; honor triumphi Fabio Gurgiti permiſſus, cujus currum pater equo inſidens ſecutus eſt, *ſibique ſummæ gloriæ duxit triumphantem filium comitari, quem ipſe parvulum in triumphis ſuis geſtaverat.* *Rulliani ſenis contra Samnites.*

## CAPUT III.

### *Prælia contra Pyrrhum.*

PYrrhus Epirotarum Rex accitus a Tarentinis exercitum an. Urbis 474. in Italiam trajicit: habebat tria equitum millia, peditum viginti duo, ſagitarios quingentos, elephantos viginti. Ut audiit Valerium Levinum Romanum Conſulem vaſtare Lucaniam, ad eum caduceatorem miſit, *placerentne Romanis ut ſe diſceptatore & judice*: cui Conſul reſpondiſſe fertur, *populum Romanum neque diſceptatorem Pyrrhum cupere, neque reformidare hoſtem*: ita Plutarchus. Continuo Levinus adverſus Pyrrhum movet, qui Pandoſiam inter & Heracleam conſenderat. Is Romanorum exercitum contemplatus, Megaclem appellans, *Megacle*, inquit, *ordo hic barbarorum barbarus non eſt*: tum mutato cum Mega- I. *Levini.*

cle habitu in Romanos irruit. Romani Megaclem, Pyrrhum eſſe rati, poſt acre certamen perimunt, pyrrumque in acie cecidiſſe clamitant; dum Pyrrhus nudato capite aciem obequitat, ſuoſque voce & manu ad pugnam hortatur. Interea Romanorum equi elaphantorum odorem non ferentes, feſſores tranſverſos egere, turbarunt ordines, omnia tumultu miſcuere. Unde, *Romanos jam vincentes*, inquit Juſtinus, *inuſitata ante elephantorum forma ſtupere primo, mox cedere prælio coegit*: quam victoriam cum Pyrrho gratularetur neſcio quis; *ſi denuo*, ſubjecit Pyrrhus, *ita vicerimus*, *actum de nobis erit*: tum, *quam facile erat*, inquit, *orbis imperium occupare*, *aut mihi Roman s militibus*, *me aut Rege Romanis*! Florus. Ad Romam occupandam dum Pyrrhus properat, obviam proceſſit cum exercitu T. Coruncanus, ſecutus eſt a tergo auctis copiis Levinus; a quibus ſibi metuens Pyrrhus, *hyderæ inſtar*, ait, *Rmanorum legiones cædendo renaſcuntur*; deinde pugnam fugitans captivos Tarentum reduxit.

II. *Decii.* Miſſi ſub hæc de captivis redimendis ad Pyrrhum Legati C. Fabricius & Q. Æmilius. Captivos Fabricii fidei Pyrrhus credidit ea lege, ut illos, pacem ſi repudiaret Senatus, ad ſe remitteret: Romam venit Cyneas: de ineundo fœdere in Senatu actum eſt; ſed diſcuſſa auctore Appio Cæco pacis conſilia, iterumque ad arma ventum eſt. Ad Aſculum dimicatum eſt an. 475. Romanis tranſmittendi fluminis poteſtatem fecit Pyrrhus ut æquis utrinque viribus certaretur. Romanorum equitatus elephantorum metu actus eſt in fugam; vicerunt pedites. Conſul Decius avi patriſque exemplo ſe devovit; cæſa Romanorum quinque millia, hoſtium viginti; ſi Eutropio & Oroſio credimus. Pyrrhus ipſe vulneratus Tarentum victo ſimilis diſceſſi. Tum venit ad Fabricium Conſulem vel Timochares, ut ſcribit Gellius, vel Nicias, ut vult Zonaras, petit-

que

que ab eo præmium, ſi Regem veneno enecet. Fabricius Pyrrhum continuo monet, ut ſibi ab amicis caveat. Epiſtola erat hujuſmodi: *C. Fabricius & Q. Aemilius Conſules Romani, Pyrrho Regi ſalutem. Videris neque in amicis, neque in hoſtibus judicandis felix. Etenim lectis noſtris ad te literis cognoſces, bonis te & juſtis viris bellum facere; malis & injuſtis credere. Neque vero hæc tibi in tuam gratiam indicamus; ſed ne tuus caſus calumniam adverſus nos excitet, & videamur bellum, cum virtute non poſſemus, fraude confeciſſe:* hæc Plutarchus. Paulo aliter Gellius: *Communis exempli & fidei cauſſa viſum eſt, uti te ſalvum velimus ut eſſet, quem vincere poſſimus.* III.

*Curii.* Evocatus in Siciliam Pyrrhus prælia aliquot ſecunda adverſus Pœnos fecit: unde reverſus in Italiam an. 478. tertium cum Romanis conflixit. Ad Beneventum M. Curius conſederat: in hunc Pyrrhus, priuſquam Collega ſubveniret, fortiſſimos quoſque milites immiſit. Curius eductis copiis primam adortus aciem, multis cęſis, captiſque aliquot elephantis, terrorem Græcis incuſſit. Tum aperto Marte undique certatum eſt; in uno cornu acti in fugam Græci, in altero belluarum impetu Romani. Ut ad caſtra perventum eſt, Romani ex locis editis in elephantos undique tela conjecere; belluæ confixæ telis fuga retro per ſuos deferri, turbareque ordines: quæ res Romanis & de Pyrrho victoriam dedit & orbis imperium. *Eædem feræ*, inquit Florus, *quæ primam victoriam abſtulerant, ſecundam parem fecerant; tertiam ſine controverſia tradidere.* Cæſa hoſtium ex Eutorpio 23. millia, 33. ex Oroſio; capti elephanti quatuor, hoſtes mille trecenti.

## CAPUT IV.

### *Prælia contra Cartaginienſes, bello Punico primo.*

*Prælia contra Pænos.* UBI a Senatus decretum eſt, ferendum Mamertinis auxilium, Appius Claudius cum claſſe Meſſanam miſſus eſt. Is in urbem ut appulit, Mamertinis perſuadet, ut Annonem, qui a Pœnis

I. *Appii Claudii.* arci præfectus erat, accerſerent. Venit Anno, & a Romano milite comprehenſus in carcerem conjicitur. Tum Cartaginienſes caduceatorem mittunt, qui jubeat Romanos & urbe & inſula intra certum tempus excedere; cumque non parerent Romani, Meſſanam continuo an. 489. obſident. Claudius reditum in Italiam ſimulat, & Meſſanam de nocte reverſus, Hieronis, qui Pœnis auxilio venerat, caſtra aggreditur; eumque ea celeritate vicit, ut ille fateretur *prius ſe victum, quam hoſtem vidiſſet*. Claudius relicto Meſſanæ præſidio, in Italiam redit, primumque de Pœnis agit triumphum.

II. *C. Duillii.* Poſt Claudii triumphum ſummam in bello Punico laudem C. Duillius an. 493. adeptus eſt Claſſi Romanæ præfectus erat Cn. Cornelius Aſina. At is Liparæorum oppidum dum invadere per inſidias tentat, in portu concluſus, Cartaginienſibus vel deditionem fecit, ut ſcribit Polybius; vel a Pœnis ſimulato colloquio captus eſt ut tradit Florus: de quo ut audiit C. Duillius, qui terreſtribus copiis præerat, ad claſſem illico trajicit. Erat illa quidem rudi adornata artificio, ſed ferreis manibus ſive *corvis* inſtructa, quibus & alienas naves invadere facilius, & firmiore veſtigio pugnare poſſent. In eum Annibal dux hoſtium triginta naves immittit, quæ corvis illigatæ a Romanis captæ ſunt, quinquaginta aliæ demerſæ, cæteræ fugatæ. Victus Annibal

Cartha-

Carthaginienſium Senatum adiit, diſſimulata, fuga, omneſque interrogat, *Pugnandumne, an ſecus?* Cunctis ut pugnaret acclamantibns; *feci*, inquit, *&* *victus ſum*. Sic pœnam crucis effugit: *puduit quippe punire; quod ipſis auctoribus factum eſset;* ita Aurelius Victor. C. Duilius ingenti plauſu Romæ exceptus maritimum primus egit triumphum: *qui*, ut ait Florus, *non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem, ubi a cœna rediret, prælucere funalia & præcinere ſibi tibias juſſit, quaſi quotidie triumpharet*. III.

Nullius laus in eo bello major quam Attilii fuit, qui Pœnorum duces maritima pugna ſemel, terreſtribus ſæpius ſuperavit. Erant in Romana claſſe an. 498. naves 330, in Punica 350. Romanis præerant ambo Conſules, L. Manlius & M. Attilius Regulus; Pœnis Amilcar & Anno. Propoſitum Romanis erat Cartaginem belli caput peteret; Pœnis navali Prælio decernere. Primum fugam Pœni ſimulant, deinde ſigno ab Amilcare dato Romanos invadunt: paribus diu viribus certatum eſt, alii enim alia laude præſtabant. Pœni navium celeritate & uſu rei nauticæ, Romani pugnandi audacia & corvorum apparatu. Tandem fugato Amilcare, victoria penes Romanos ſtetit. Amiſſæ naves 24. hoſtium, 30. demerſæ, captæ 63. Claſſem dum reficit Amilcar, Annonem ad Romanos mittit, ut eos ab Africa ſpe pacis prohiberet; quem cum retinendum clamitarent Romani milites, quod Cornelium Conſulem Pœni pari fraude cepiſſent; *Si iſtud*, inquit *feceritis, Afris nihilo Jam præſtantiores eritis*: qua adulatione evaſit incolumis. Romana interim claſſis Clypæam Africæ oppidum appulit: capta Clypæa aliæque urbes bene multæ, qua vi, qua deditione occupatæ; caſtella trecenta direpta, mancipiorum viginti millia ad naves abducta. Tum Romam cum victrici claſſe Manlius rediit, manſit in Africa Attilius.

*M. Attilii Reguli.*

IV. *M. Attilii Reguli.* Adverſus Attilium tres a Pœnis creati duces; Aſdrubal, Boſtoarus, & Amilcar: Ii, dum Adin oppugnat Attilius, copias educunt: pugna commiſſa; ſed loco ita incommodo, ut Attilii induſtria nec equi Pœnis uſui fuerint, nec elephanti. Victi itaque Pœni, cæſa millia octodecim, quinque millia capta, & octo elephanti, ut refert Eutropius. Sub hæc octoginta duo oppida dedita ex Oroſio, ducenta ex Aurelio Victore, centum urbes ex Euſebio, cumque Cartagini jam immineret Attilius, ſcripſit ad Senatum, *ſe metu obſignatas habere portas Carthaginis*.

V. *M. Attilii Reguli.* Inter hæc miſſi a Carthaginienſibus, qui militem in Græcia mercede conducerent. Omnibus præfectus eſt Xantippus Lacedæmonius, vir militiæ peritiſſimus. Is Carthaginienſes e tumulis in planitiem deduxit; inſtructaque acie Romanos adortus, equitatum vertit in fugam an. 499. triginta millia ex Eutropio, viginti ex Oroſio occidit, quindecim capit una cum Imperatore Regulo: quingenti tantum Romani capti, ſi Polybio & Floro credimus. Reguli virtus in calamitate magis quam in victoria enituit, de quo poſtea.

VI. *L. Cæcilii Metelli.* Poſtquam Romana res & Attilii clade & duobus naufragiis afflicta eſt, Aſdrubal Carthaginienſium Imperator Lilybæum appulit an. 502. Habebat in exercitu elephantos centum triginta, equitum peditumque triginta millia; ad Panormum, ubi erat L. Cæcilius Metellus, caſtra ponit. Cæcilius intra muros de induſtria ſe continet, manumque expeditam in foſſis collocat, quæ beſtias telis obruat; nec eum ſpes fefellit: dum enim rectores belluarum in primam aciem irrumpunt, belluæ telis, haſtis, piliſque confoſſæ in ſuos ſævire cœperunt. Tum Metellus eductis copiis latera hoſtium invadit, eoſque magna ſtrage fugat: capti elephanti ſex & viginti ex Eutropio, 60. ex Diodoro, 104. ex Oroſio:

occiſa Carthaginienſium viginti millia; elephanti 26. cęteri per Italiam deducti jucundum Italicis gentibus ſpectaculum præbuerunt.

VII. *Claudii Pulchri.*

Hanc victoriam gemina clades excepit an. 504 altera Claudii Pulchri, Junii Pulli altera; quorum utrique ob neglecta auſpicia data crimini eſt. Adherbalem nec opinantem cum opprimere vellet Claudius auſpicia de more petiit; quodque pullos non exire de cavea pullarius nunciaſſet, in mare projici imperat. *Bibant*, inquit, *quia eſse nolunt*. *Qui riſus*, ut ait Cicero, *claſse devicta multas ipſe lacrymas, magnam populo Romano cladem attulit*. Ad Drepanum pugnatum eſt. Initio anceps aliquandiu fuit prælii exitus: tandem peritia remigum & Adherbalis fortitudine res Pœnorum ſuperior fuit; Claudius cum 30. navibus aufugit. Naves ſeu captæ ſeu demerſæ 73. ex Polybio, 90. ex Oroſio, 117. ex Diodoro; Romanorum octo millia cæſa, viginti amiſſa, ſi Oroſio credimus.

VIII. *Junii Pulli*

Eo etiam triſtior Junii clades fuit, quod abſque pugna victus ſit. Iis, qui Lilybæum obſidebant eodem anno, ferebat annonam, cum navibus longis 120. onerariis 80. aliiſque 60. cum illi occurrit miſſus ab Adherbale Carthalo. Junius pugnam committere non auſus, naves in loca aſpera ſenſim ſubducit: ubi orta tempeſtate, fluctibus & ſaxis ita afflicta claſſis eſt ut ne tabula quidem, quæ uſui eſſe poſſet, ſuperfuerit: ita Polybius, a quo nonnihil Diodorus diſſidet.

X. *Q. Lutatii Catuli.*

Romanam rem his cladibus pene perditam reſtituit an. 511. Lutatii Catuli diligentia & felicitas: quo auctore decretum eſt, ut pro facultatum modo ſinguli vel bini vel terni unam quinqueremem adornarent. Ita naves aut 200. ex Polybio, aut 300. ex Eutropio inſtructæ ſunt: ad Ægades inſulas dimicatum eſt. Romanis Lutatius præerat, Pœnis Anno. Ea fortitudine & audacia Romanis inita pugna

eſt,

eſt, ut primo impetu naves Pænorum 50. vel fractæ ſint vel demerſæ, 70. captæ, reliquæ fugatæ, decem millia hoſtium interfecta; ita Polybius: ſed cladem more ſuo auget Oroſius, qui Punicas naves 63. captas numerat, merſas 125. cæſa hoſtium millia 14 & 32. capta. Fugato Annone, ſumma rerum a Pœnis permiſſa eſt Amilcari, cui pacem petenti iis, quas diximus antea, conditionibus Lutatius indulſit.

## CAPUT V.

*Prælia contra Carthaginienſes, bello Punico ſecundo.*

I. *Contra Annibalem. P. Cornelii Scipionis ad Ticinũ.* INter duces Romanos, qui ab Annibale victi ſunt, principem locum obtinet P. Cornelius Scipio, & relatis poſtea in Hiſpania victoriis, & Africano filio clariſſimus. Is ad Ticinum amnem, qui in Padum influit, an. 535. occurrit Annibali: uterque de nocte cum equitibus & jaculatoribus dum ad caſtra hoſtium ſpeculanda tendit, alter alteri fit obvius: conſtitit utrinque agmen, ad manus continuo ventum eſt. Anceps aliquandiu certamen fuit: fuſi tandem Romani, gravique vulnere confoſſus Scipio, quem ut filius etiam tum adoleſcens ab hoſtibus circumventum vidit, ſuos illico turmales hortatur, ut Conſuli opem ferant: cumque illi cunctarentur, in circumfuſos hoſtes ipſe irruit, patremque liberat. Præſenti ereptus periculo Scipio filium ſalvatorem ſuum palam ſalutavit, & triplici donandum corona pronunciavit; *quod & Civem, & Imperatorem, & Patrem ſervaſſet.*

II. *Sempronii ad Trebiã.* Victus ad Ticinum Scipio Placentiam verſus proxima nocte diſceſſit. Annibal trajecto Pado aciem ad pugnam inſtruit: tum duo Gallorum millia ad ipſum deficiunt. Defectionem cæterorum vetitus

Scipio

Scipio tacito agmine ad Trebiam flumen abiit: huic venit auxilio, rebus in Sicilia bene geſtis, Collega Sempronius. Cornelius rem trahi mallebat; Sempronius fuſa hoſtium manu ferocior pugnam cupiebat. Erant in caſtris pedites Romani ad 16. millia, ſocii ad 20. equites ad 4. millia; habebat Annibal peditum 20. millia, decem equitum. Is Magonem fratrem cum equitibus mille & totidem peditibus in inſidiis locat: tum Sempronium ut alliciat ad pugnam, Numidas equites Romanorum portis obequitare jubet. Sempronius avidus pugnæ primo equitatum, deinde pedites educit; at refugientes Numidas dum inſequitur per aquas, occurrit a fronte Annibal, inſtat a tergo cum ſuis Mago. Immota aliquandiu acies ſtetit, ſed cædes & fuga mox facta undique. Decem Romanorum millia perrupta hoſtium acie Placentiam ſe receperunt; alii dum caſtra repetunt, pars hauſti fluctibus, pars ab hoſtibus cæſi an. 535. Haud multo poſt, adverſus Sempronium duodecim peditum millia, equitum quinque ad Placentiam ducit Annibal; nec certamen detrectat Sempronius. Primo congreſſu vincunt Romani: at hoſtium caſtra dum temere oppugnant, Annibal, emiſſis dextra lævaque equitibus, ipſe cum peditum robore e caſtris erupit. Atrox tum orta pugna eſt; ſed nocte diremta, & pari utrinque clade diſceſſum eſt.

Annibal ſuperato Apennino, ut ad Traſymenum lacum prope Peruſiam pervenit, locum ibi offendit aptum inſidiis. Inter montes geminos anguſta via eſt, deinde paulo latior pateſcit campus, tum colles aſsurgunt. Ibi caſtra in aperto locat Annibal, ubi ipſe cum Afris Hiſpaniſque conſedit. Baleares levemque armaturam poſt montes, equites ad fauces ſaltus conſtituit, ut ubi intraſsent Romani, omnia clauſa eſsent, equitatu, lacu, ac montibus. Romanis præerat C. Flaminius Conſul, iterum, homo plebejus, III. *Flaminii ad Traſymenũ.*

bejus, ingenio ferox, conſiliiſque præceps. Is patribus cum ſe inviſum ſciret, nullo peracto ſacrificio in provinciam abiit an. 536. cumque paulo ante pugnam nunciaret ſignifer ſigna loco ſuo convelli non poſse; *Num literas quoque a Senatu affers* iniquit, *quæ me rem gerere vetent? abi, nuntia; ſignum effodiant; ſi ad convellendum præ metu manus obriguerunt:* cumque Pullarius prælium differret, quod pulli non veſcerentur; *Præclara*, iniqut, *auſpicia: ſi eſurientibus pullis res geri potuiſſet, ſaturis nihil gereretur*: ita Cicero. Sub hæc inexploratis locis in montium anguſtias ſe conjecit Flaminius; quem ut lacu montibuſque clauſum vidit Annibal, dat ſuis pugnæ ſignum, undique irrunt Pœni. Pugnatum eſt a Romanis acriter, dum aut viam aperire ferro, aut fortiter mori ſatagunt; tantaque contentione ardoreq; animorum trium horarum ſpatio dimicatum eſt, ut terræ motum, quo nonnullæ urbes everſæ ſunt, nemo pugnantium ſenſerit. Circa Flaminium acrior pugna erat, & ipſe quacunque in parte premi ac laborare ſuos videret, ferebat opem; cum Inſuber (Ducario nomen erat) illum ex armis & facie agnoſcens, *Conſul* inquit, *hic eſt, qui legiones noſtras cecidit; jam ego hanc victimam Manibus peremtorum fœde civium dabo:* ſubditiſque equo calcaribus per confertiſſimam hoſtium turmam impetum facit, obtruncatoque prius armigero, Conſulem lancea transfixit. Inde fuga undique fieri cœpta eſt. Romanorum quindecim millia cæſa, ſex millia capta, decem millia ſparſa per Hetruriam fuga Romam diverſis itineribus petiere.

VI. *Q. Fabii Cunctatoris.* Annibalem victoriis exultantem cunctando repreſſit Q. Fabius, qui ſub Flaminii cladem Dictator an. 536. appellatus eſt. Is per alta loca agmen ducere, in caſtris continere militem, impetus Annibalis levibus præliis retundere; certus illius fraudes & vim omnem conſilio & conſtantia eludere, licet Magiſter-

ſter equitum Minucius illius tarditatem carperet. Interim rediturus Romam Fabius precatur obnixe Minucium, ne ſe abſente cum Annibale prælium committat; at ille pugnæ impatiens, hoſtes aggreſſus ſex millia cecidit. Quare, agente Tribuno plebis, Plebiſcitum Romæ invito Senatu factum eſt, quo jus Magiſtri equitum cum jure Dictatoris æquaretur. Deinde duas in partes deſcriptus eſt exercitus, altera Minucio attributa, Fabio altera. Suos in planitiem deduxit Minucius, in montibus ſe Fabius continuit: paulo poſt Minucium aggreditur Annibal, certaque jam erat Romanorum clades; cum Fabius, *O Dii imortales*, inquit, *quanto celerius quam timui, ſerius tamen quam cupivi, perdidit ſe Minucius! Nunc milites, ſi quis meminit M. Minucii, properet; vir enim eſt egregius & amans patriæ. Aliud jurgandi ſuccenſendique tempus erit nunc ſigna extra vallum proferte, victoriam hoſti extorqueams, confeſſionem erroris civibus*. Ut deſcendentem e collibus Fabium conſpexit Annibal, receptui cecinit, dum diceret *a ſe Minucium, ſe a Fabio victum; eamqne nubem quæ ſedere in jugis montium ſolita ſit tandem cum procella imbrem dediſſe*: Liberatus Minucius ad caſtra Dictatoris cum ſuis properat, ſignaque ante ipſius tribunal conſtitui jubet. *Parentibus* inquit, *meis, Dictator, vitam tantum debeo: tibi cum meam ſalutem, tum omnium horum. Duplicem victoriam obtinuiſti; virtute de hoſtibus, conſilio & humanitate de Collega*: ita Livus.

V. *Terentii Varronis ad Cannas.*

Dictatoris Fabio ſublecti ſunt Conſules duo L. Æmilius Paulus & M. Terentius Varro; alter alteri, ut generis nobilitate, ita rei militaris ſcientia longe inferior: Æmilius jam Conſulatu & triumpho nobilis erat, Terentius, plebejus homo, popularibus artibus ad honores irrepſerat; qui ut Conſulatum adeptus eſt cum nobiles omnes, tum maxime Fabium

bium Maximum carpere inſtituit: *bellum in Italiam accerſitum a nobilibus, hæſurumque diu in Riepublicæ viſceribus, ſi plures Fabios imperatores haberet.* Ante diſceſſum, Æmilium monet Fabius, *ne cum Annibale dimicet, Collegæ obſiſtat.* Paruit quidem Æmilius, ſed fruſtra: ut enim ad Cannas ventum eſt, Varro penes quem eo die imperium erat, nihil conſulto Collega an. 537. pugnæ ſignum proponit. Conſules cornua tenuerunt, Terentius lævum, dextrum Æmilius; Servilio media acies tuenda data. Annibal Gallis Hiſpaniſque Aſdrubalem in lævo cornu præficit, Numidis in dextro Maharbalem, ipſe cum Magone fratre mediam aciem tenuit. Numerus peditum, qui tum ſteterunt in acie, millium fuit quadraginta, decem equitum; Romanis peditum erant 80. millia, equitum novem: ita locati erant, ut ſplendor ſolis & pulvis, qui plurimus ibi eſſe ſolet, Romanorum ora verberarent. Clamore ſublato initum prælium eſt; fuſi Romani equites: pedeſtris pugna longe acrior. Dum ingentibus animis utrinque dimicatur, Numidæ perfugium ſimulant, & in mediam aciem recepti in Romanorum terga ſævire cœperunt: unde tumultus, pavor, & fuga. Terentius Varro cladis auctor cum 50. equitibus Venuſiam fugit, ſeptem millia in minora caſtra, duo millia in oppidum Cannas. Cæſa ſunt 40. millia peditum, 2700. equites, pari prope civium ſociorumque numero: in his Conſulum alter Æmilius, duo præcedentis anni Conſules, Quæſtores duo, Tribuni militares 21., multi & Prætorii & Ædilitii, 80. præterea Senatores; capta tria millia peditum, equites trecenti, *nulluſque ſuperfuit*, inquit Livius, *niſi quem hoſtis cædendo feſſus reliquit. Documenta cladis fuerunt* ex Floro, *cruentus aliquandiu Aufidus, pons de cadaveribus juſſu Ducis factus in torrente Gello, duo modii annulorum Carthaginem miſſi.* Sunt tamen, qui unum modium;

dium; ſunt etiam qui tres modios miſſos fuiſſe velint, ut Valerius & Eutropius.

Sub prælii exitum dum cæteri duces gratulantur Annibali, ſuadentque ut aliquid temporis quieti daret; contra Maharbal auctor eſt, ut quamprimum Romam petat: *die quinto*, inquit, *in Capitolio epulaberis; ſequere cum equite, ut prius veniſſe te, quam venturum ſciant*. Annibal, *voluntatem ſe laudare Maharbalis*, ait; *ad conſilium penſandum temporis opus eſſe*: tum Maharbal, *non omnia nimirum eidem dii dedere; vincere ſcis, Annibal, victoria uti neſcis*. Mora ejus diei urbi atque imperio ſaluti fuit. Auctor etiam eſt Livius, cum poſthac Cannarum veniret in mentem Annibali, ſuam hac voce negligentiam incuſare ſolitum, *O Cannæ, Cannæ!* quod etiam uſurpaſſe dicitur tum, cum aliquanto poſt ad Urbem inſtructas acies fœda tempeſtas ſemel atque iterum diremiſſet; apud Deos conqueſtus, *potiundæ urbis Romæ modo mentem ſibi non dari, modo fortunam*. Duo etiam illi tum ægre fuerunt; alterum, quod dum ad Urbis mœnia armatus ipſe conſideret, milites ſub vexillis in Hiſpaniæ ſupplementum miſſi ſint; alterum, quod per eos dies ager, in quo ipſe caſtra haberet, non minori, quam ſi abiiſſet, pretio venierit. Id vero adeo ſuperbum ipſi viſum eſt, ejus ſoli, quod bello ceperat, inventum Romæ eſſe emtorem, ut vocato præcone tabernas argentarias, quæ circa forum Romanum erant, venire juſſerit: at, qui eas emeret, invenit neminem.

Gemina ſubinde clades illata eſt Pænis; altera ad Beneventum ad Metaurum flumen altera. Beneventum juſſu Fabii occupaverat Sempronius Gracchus, Anno ad Calonem fluvium cum 17. millibus Pœnorum conſederat. Gracchus volones ſuos ſpe libertatis ad prælium accendit; qui caput hoſtis retuliſſet, continuo liberum fore; qui loco ceſſiſſet, in eum ſe ſer- VI. *Sempronii Gracchi ad Calonẽ.*

ſe ſervili ſupplicio animadverſurum. Poſtero die ad Prætorium volones conveniunt, prælium conſeritur pn. 539. quatuor horis dubia victoria fuit quod capita hoſtium, pretia libertatis facta, propugnantes retardarent; quare Gracchus capita projicit jubet, hoſtemque invadere, *teſtatam jam eſſe virtutem, non dubiam ſtrenuis viris fore libertatem*: cumque incertus eſſet etiam tum prælii exitus, pronunciat Gracchus, *Nihil eſſe cur libertatem ſperarent, niſi fuſi hoſtes fugatique eſſent*. Unde tanta vi in hoſtes irruunt, ut fuga undique hoſtium fieri cœpta ſit. Duo tantum millia per avios colles dilapſa, cæteri vel cæſi ſunt, vel capti. Gracchus volones omnes liberos eſſe juſſit.

VII. *C. Claudii Neronis & Livii Salinatoris ad Metaurum.*

Hanc cladem longe gravior excepit. Ambo Conſules hoſtibus obviam ire juſſi, Annibali C. Claudius Nero, Livius Salinator Aſdrubali, qui cum ingenti exercitu fratri veniebat auxilio. Non procul a Senis aberat Aſdrubal, cum Claudius qui jam Annibalem juſto prælio vicerat, occiſis Pœnorum octo millibus, educit equites mille, peditum ſex millia; jubetque legatis ut eædem in caſtris & vigiliæ & ſtationes agerentur: ipſe magnis itineribus ad Collegam tendit. Ne quid vero Aſdrubali de adventu alterius Conſulis ſuboleat, Tribunus Tribunum, eques equitem, peditem pedes apud ſe noctu excipit. Ut illuxit, ſignum pugnæ proponitur, cornu dextro præerat Claudius, Livius ſiniſtro. Oppoſitus erat Livio Aſdrubal, Claudio Galli & Ligures. Gallos fudit Claudius: inter Livium & Aſdrubalem inita eſt atrox pugna; tum Claudius cohortes aliquot e dextro cornu ſubducit, & mira celeritate incurrens in ſiniſtrum hoſtium latus ſuis peperit victoriam. Aſdrubal & Imperatoris & militis munere egregie perfunctus concitato equo ſe in Romanam cohortem imiſit; ubi, ut *Amilcare patre & Annibale fratre dignum erat, pugnans cecidit*. Cæſa ſunt, ut

tradit Polybius, Pœnorum decem millia; ſi Livio credimus, quinquaginta ſex; capta quinque redditaque Pœnis æqua Cannenſi clades. Poſtero die cum nunciatum eſſet Livio Gallos ſine duce, ſine ſignis fugere; ſi una equitum ala mittatur, poſſe deleri: *ſuper ſint*, inquit, *aliqui nuncii & hoſtium cladis & noſtræ virtutis*. Nero eadem nocte citatiore quam venerat, agmine caſtra repetit, caputque Aſdrubalis ante ſtationes hoſtium projici jubet, captivoſque Afros partim vinctos, ut erant oſtendi, partim ſolutos ire ad Annibalem; qui & publico & domeſtico luctu afflictus *agnoſcere ſe fortunam Carthaginis* dixiſſe fertur. Decretus utrique Conſuli triumphus; quos inter ita convenit, ut Livius (cujus in provincia res geſta erat) quadrigis in Urbem proſequente exercitu, Claudius equo ſine milite inveheretur. *Ita conſociatus utrique triumphus glorioſus fuit*, inquit Florus: *ſed ejus magis gloriam auxit, qui tantum honore ceſſerat Collegæ, quantum illi & nobilitate & merito anteibat.*

VIII. *In Hiſpania. L. Marcii contra Aſdrubalem.*

Poſt Scipionum in Hiſpania cædem, Romana res duorum juvenum virtute reſtituta eſt. Alter L. Marcius fuit Romanus eques; alter P. Cornelius Scipio Publii filius. L. Marcius juvenis impiger, & ad omnes militiæ artes a Cn. Scipione edoctus, poſt cæſos duces, Romanos milites alios e fuga revocat, alios e præſidiis educit; junctiſque cum T. Fontejo Scipionis Legato viribus dux militari ſuffragio eligitur. Sub hæc, Aſdrubal Giſgonis filius ad delendas belli reliquias an. 541. Iberum tranſit; at Romani milites a luctu in furorem verſi, imperatorum ulturi cædem, in hoſtem irruunt. Acti in fugam primo impetu Pœni, dum mirantur unde repente Romani & exercitus & dux extitiſſet; fœdaque eorum cædes fuiſſet, niſi Marcius receptui dediſſet ſignum. In caſtra ut Marcius rediit, omnia apud hoſtes neglecta eſſe comperit, ſuiſque

perſuadet, ut de nocte bina hoſtium caſtra invadant. Ad propriora caſtra continuo itum eſt; nulla ſtatio erat pro portis, nullæ in vallo cuſtodiæ. Romani, pars portas occupant, ne quis eſſet fugæ locus, pars in caſtra irrumpunt: hoſtes cæſi ad unum omnes. Marcius rei bene geſtæ famam prægreſſus, eadem nocte alia caſtra oppugnat. Atrox intra portas prælium fuit; ſed cruenta Romanorum ſcuta & indicium alterius cladis & terrorem hoſtibus objecerunt, factaque undique & fuga & fugientium cædes. Ita Pœni una nocte & geminis exuti caſtris, & ad 37. millia cæſi. Magnum ſubinde apud omnes fuit L. Marcii nomen.

IX. *P. Scipionis contra Aſdrubalem ad Betulam.* Duæ etiam P. Scipionis inſignes de Aſdrubale in Hiſpania victoriæ memorantur, altera ad Bætulam, ad Salpiam altera. Capta nova Carthagine, nobiles Hiſpanos & humanitatis & liberalitatis fama ad partes ſuas Scipio allexit quorum auctus auxiliis movit adverſus Aſdrubalem. Is ad Bætulam urbem erat an. 544. qui ut ſenſit adventare Romanos, copias in tumulum recipit, inde fluminis ripa, hinc alta crepidine munitum. Romani nihil loci aſperitate territi, tumulum magno impetu invadunt, dum Scipio a lævo cornu; a dextro Lælius nuda hoſtium latera petunt. Perierunt hoſtium octo millia, decem peditum capta, duo equitum. Aſdrubal ante pugnam fuga dilapſus eſt; Hiſpani omnes ſine pretio dimiſſi; Afri venditi; Maſſiva puer, Maſſiniſſæ nepos, ornatus muneribus ad avunculum cum honore remiſſus: præda omnis permiſſa militi.

X. *P. Scipionis contra eundem ad Salpiam.* Victus Aſdrubal 70. peditum, 4. equitum millia armat an. 547. Scipio habebat ſub ſignis 45. peditum millia, tria equitum ex Romanis, ex ſociis, ex barbaris. Primo concurſu fuſi in omen victoriæ Pœni; deinde commiſſa ad Salpiam pugna, victi & Romanorum virtute & Scipionis prudentia: qui & ordinem aciei mutavit præter expectationem hoſtium,

ſtium, & ſuos paſtos in aciem eduxit, pugnamque de induſtria extraxit in multam diem, ut hoſtes & jejuni, & feſſi labore, æſtu, fame deficerent. In caſtra refugerunt Pœni; ſed deficientibus ſociis, cum ſuis fugit Aſdrubal, clauſoque Bœotis tranſitu, flectit ad Oceanum: ſed quod a tergo & a lateribus inſtarent Romani, cum ſeptem millibus in proximos colles evaſit. Unde ſuorum defectionem veritus ipſe relicto exercitu nocte Cades profugit. Milites partim ad Romanos tranſierunt, partim fuga in vicinas civitates dilapſi, alii alio: ita ejecti ex Hiſpania Carthaginienſes.

Major etiam in Africa fuit P. Scipionis felicitas, ubi Pœnos illorumque ſocius tribus ingentibus prælіis divicit. Carthaginienſibus venerat auxilio Syphax Mauritaniæ Rex cum peditum 50. millibus, 10. equitum. Aderat etiam Aſdrubal cum 30. millibus peditum, equitum tribus: De pace ſancienda dum agitur, miſſi ſæpe utrinque legati, & inter eos a Scipione calonum loco primi ordinum milites, qui aditus omnes formamque caſtrorum curioſius inſpicerent. Ut accepit Scipio caſtra vel lignea eſſe vel contexta arundine, pacis conditiones repudiat, & adverſus hoſtes movet an. 550. Lælius & Maſſiniſſa Syphacis caſtra, ipſa Aſdrubalis oppugnat: gemina ſimul caſtra incendio abſumta ſunt; cæſa vel hauſta flammis 40. hoſtium millia, ſex millia capta, ſigna militaria 178. Senatores multi, elephanti ſex: hæc Polybius & Livius. XI. *In Africa P. Scipionis contra Syphacem.*

Poſt cladem Aſdrubal novum in urbe agriſque delectum habet, quatuor Celtiberorum millia mercede conducit; redit cum novis Numidarum copiis Syphax. Uterque exercitus triginta ferme millium armatorum erat: ad Magnos Campos (loco id nomen erat) eodem anno pugnatum eſt. Pœni iterum fuſi fugatique ſunt; Celtiberi ad internecionem cæſi: continuo Lælius & Maſſiniſſa juſſi ſunt XII. *Contra eoſdem.*

Syphacem & Aſdrubalem perſequi. Ut perventum in Numidiam eſt, illis Syphax occurrit; qui dum Romanorum turmis obequitat, equo graviter icto effuſus capitur. Vinctus Cirtam regni caput a Maſſiniſſa deducitur; urbs a Romanis capta: Syphax a Scipione Romam miſſus, ut ipſius triumphum cohoneſtaret.

XIII. *Contra Anibalem.* Secundum hæc, ex Italia revocatus Annibal Adrumetum appulit. Primum exploratores miſit ad hoſtium caſtra; ſed ii capti a cuſtodiis Romanis juſſu Scipionis per caſtra circumducti a tribunis, ut omnia diligentius explorant, muneribus etiam donati, ut tradit Polybius, ad Annibalem remiſſi ſunt: deinde de pace ineunda actum eſt; locus inter caſtra delectus, ubi ambo duces ſummotis pari ſpatio armatis congreſſi ſunt. Pauliſper alter alterius conſpectu admiratione mutua prope attoniti conticuere: tum Annibal pacis conditiones proponit; illas reſpuit Scipio, durioreſque imperat; *Alioqui*, inquit, *bellum parate, quoniam pacem pati non potuiſtis. Quis igitur*, ait Annibal *orationis noſtræ finis erit; Nimirum*, ſubjicit Scipio, *ut vos patriamque veſtram fidei noſtræ permittatis, aut prælio dimicantes vincatis*. Ita infecta pace ad ſuos uterque rediit, militeſque hortatur ad certamen, in quo victoriæ præmium terrarum orbis futurum ſit. Poſtera die acies utrinque ſcientiſſime inſtructa eſt an. 551. Annibal ad primum terrorem 80. elephantos in fronte collocat: in prima acie auxilia Ligurum. Gallorum, Maurorum; in ſecunda acie Afros & Carthaginienſes; in ſubſidiis Italicum militem. Scipio læto vult ut jam viciſſe crederes, Romanorum more primos haſtatos inſtruit; poſt eos principes, denique triarios; cavetque imprimis, ut inter ſingulos ordines ſpatium eſſet, quo elephanti hoſtium accepit nihil nocerent: Lælium in ſiniſtro cornu, in dextro Maſſiniſſam curare jubet. A principio

cipio pugnæ tantus editus eſt clamor, ut elephanti alii irruerint in ſuos, alii inter ordines accepit telis confoſſi ſint. Fuſi primum a Romanis Galli & Ligures. Ut ad ſecundam aciem, quæ Afrorum erat perventum eſt, difficile & cruentum initum eſt prælium; ſed tandem fugato hoſtium equitatu Lælius & Maſſiniſſa in Afrorum terga ſævire cœperunt, tumque cædes & fuga Pœnorum undique fieri cæpta eſt. Perierunt hoſtium ſupra 20 millia, par prope numerus captus, cum ſignis militaribus 133. & elephantis undecim: Romanorum ad duo millia ceciderunt. Annibal primum Scipioni, deinde Maſſiniſſæ obviam factus, utrumque haſta congrediens ex equo dejeciſſe dicitur; poſt cum paucis equitibus elapſus Adrumetum perfugit, deinde Carthaginem, ſexto ac trigeſimo poſt anno, quam puer inde profectus erat. Sapientis Imperatoris laudem ab ipſo Scipione Annibal, & ab ipſo Annibale Scipio adeptus eſt, quod uterque ſingulari arte aciem eo die inſtruxerit. Continuo terra marique a Scipione obſeſſa Carthago eſt. Venit quidem auxilio Syphacis filius Vermina; ſed continuo amiſſo exercitu in Numidiam refugit: paulo poſt auctore Annibale inter utramque gentem pax ſancita eſt.

## CAPUT VI.

### *Prælia contra Macedonas & Antiochum.*

UT Romanos a Macedonia Philippus arceret, fauces ad Antigoniam, quibus *Stena* nomen erat, inſedit an. 555. montiumque juga occupat. Quintius vero Conſul dum levibus eum præliis diſtinet, quinque peditum millia per montium anfractus paſtorem ſequi jubet. Ab his ad ſumma montium tertio die perventum eſt, ſignumque fumo Conſuli datum, qui hoſtium caſtra continuo aggreditur;

I. *T. Quintii Flaminini contra Philippum*

dumque contentione ſumma utrinque certatur, exortus a tergo clamor Macedonas in fugam vertit. Deleri totus exercitus poterat, niſi per aſpra loca gravis armis miles tardaretur. Rex ad quinque millia progreſſus caſtris amiſſis ſuos collegit.

*Contra eundem.* Altera cum Philippo pugna inter tumulos, quos ob ſimilitudinem *Cynocephalas* vocabant; caſu commiſſa eſt an. 556. Uterque exercitus altis diſtinctus collibus, alter alterum videre cum non poſſet, biduum eoſdem tumulos inſedit. Quare Romani velites, dum caute explorant loca, imprudentes ob diei tenebras in Macedonum ſtationes incurrunt. Inter illos oritur pugna, ſuis uterque auxilia ſubmittit: modo Macedones cedere, modo Romani: donec utraque acies ad pugnam educitur. Ingenti clamore concurſum eſt: dextra Romanorum acies vicit, victa ſiniſtra eſt; at Tribuni unius prudentia victoriam Romanis peperit. Is Philippum ut vidit longe ultra reliquum cornu progreſsum, cum viginti ſignis in terga victorum ſævire infeſtus cœpit; cumque phalanx prælium viritim capeſsere non poſſet, projectis armis fugam arripuit. Philippus fugit verſus Tempe; ipſius caſtra direpta; octo millia militum cæſa, quinque capta. Hæc fere Polybius & Livius.

Longe L. Æmylii Pauli de Perſeo victoria illuſtrior an. 582. Ubi in conſpectum venerunt ambo exercitus, ſuos ad pugnam eduxit Perſeus: at Æmylius poſtquam ſuam inſtruxit aciem, ne ſuos & via & æſtu defeſsos integro hoſti objiceret, caſtra metari imperat, pugnamque in poſterum diem differri: quod cum multi ferrent ægrius; tum maxime Naſica; qui unus ex omnibus auſus eſt monere Conſulem, *vereri ſe ne nocte hoſtis abeat, ſequendus maximo labore ac periculo in intima Macedoniæ: ſe magnopere ſuadere, dum in campo patenti hoſtem habeat, aggrediatur, nec oblitam occaſionem vincendi*

*cendi amittat*. Conſul nihil offenſus libera admonitione tam clari adoleſcentis: *Et ego*, inquit, *animum iſtum habui Naſica, quem tu nunc habes; & quem ego habeo, tu habebis. Multis belli caſibus didici, quando pugnandum, quando abſtinendum pugna ſit. Non operæ ſit ſtanti nunc in acie docere, quibus de cauſſis hodie quieſſe melius ſit: rationes alias repoſcito; nunc auctoritate veteris Imperatoris contentus eris*. Caſtris permunitis, C. Sulpitius Gallus Tribunus militum Conſulis permiſsu milites ad concionem evocat, illoſque monet nocte proxima lunam defecturam eſse, ne quis id pro portento accipiat; ſtatis temporibus id ſciri ante & prædici poſſe. Edita hora luna deficit. Romani milites Galli ſapientiam mirari; Macedones vero triſte prodigium, tanquam gentis perniciem portendens, averſati inſolitos clamores edere. Poſtero die fortuna certamen contraxit. Inter utrumque exercitum flumen erat; erant utrinque poſita præſidia: jumentum a Romanis in alteram ripam evadt; ſequuntur Romani tres; ne reducant, duo Thraces prohibent: fit rixa; Tharx unus occiditur: continuo Thraces octingenti, ut illius mortem ulciſcantur, fluvium tranſgreſſi, mox omnis exercitus in aciem proceſſit; idem factum a Romanis: commiſſa pugna. Conſulis virtus Romani ſaluti fuit; dum enim celso & læto ore aciem obequitat ſine galea & lorica videt Pelignos a phalange diſperſos; tum diſciſſo paludamento per hiantem certis in locis phalangem ſuos immiſit, aditumque aperuit victoriæ. Dum phalanx cæditur, equitatus Macedonum prope integer pugna exceſſit; princeps fugæ Rex erat. Cæſa dicuntnr Macedonum 20. vel 25. millia, capta undecim: e Romanis centum ex Poſſidonio, 80. ex Naſica ceciderunt.

III. *Contra Antiochum*.

Nec difficilior de Antiocho victoria fuit. Poſtquam in græciam Conſul appulit an. 562. M. Aci-

*M. Acilii Glabrionis.* lius Glabrio, Antiochus & a ſociis in Græcia & a ſuis in Aſia deſtitutus, intra ſaltum Thermopylarum ſe recipit: fauces ipſe occupat, juga montium Ætoli, caſtra communit vallo, foſſa, muroque duplici. Habebat ſub ſignis peditum decem tantum milla, & equites quingentos, ſi Polybio credimus; ſi Valerio Antiati, 60. militum millia. Conſul M. Catonem & L. Valerium Flaccum Conſulares cum duobus peditum millibus adverſus Ætolorum caſtella in jugis poſita immittit: dum ipſe prima luce inſtruit aciem. Primum magno utrinque impetu certatum eſt, tum in jugis, tum ad caſtra, quo refugerat Antiochus; at ubi M. Cato vel cæſis vel pulſis Ætolis apparuit in collibus, tantus hoſtes invaſit terror, ut abjectis armis undique fuga fieri cœpta ſit. Antiochus lapide in os ictus excuſſiſque dentibus Elateam fugit, inde Chalcidem, poſt Epheſum: ipſius caſtra direpta ſunt, cæſa ad decem millia ex Polybio, vel ex Valerio Antiate quadraginta.

IV. *L. Cornelii Scipionis.* Acilium excepit an. 563. L. Cornelius Scipio Africani frater. Ambo Conſules Scipio & Lælius Græciam cupiebant: res non ſorti, ut mos erat, ſed Senatui utriuſque conſenſu permiſſa; cumque Senatus pars major faveret Lælio. P Scipio Africanus dixit ſi L. Scipioni fratri ſuo Græciam decreviſſent, ſe legatum iturum. Hæc vox audita certamen ſuſtulit: *experiri libebat, utrum plus Regi Antiocho in Annibale victo, an in victore Africano, Conſuli Romaniſque legionibus auxilii foret.* Græcia continuo Scipioni, Lælio Italia decreta eſt; tantaque Africani apud omnes gratia erat, ut quinque ſive Romanorum ſive ſociorum millia, qui emerita jam ſub ipſo habebant ſtipendia, præſto fuerint exeunti Conſuli, & nomina dederint. Per Græciam, Macedoniam, & Thraciam ad Helleſpontum perventum eſt; unde Eumenis Pergameni opera tranſmiſsus in

Aſiam

Aſiam exercitus. Tum ad Africanum Antiochus legatos miſit, ſi per eum pacem impetraſſet, & auri pondus ingens pollicitus, & filium abſque pretio redditurum: is enim; ſive dum Helleſpontum trajicit, ſive dum hoſtium ſtationes ſpeculatur incautius, captus erat. Ad ea Scipio *Ego*, inquit, *ex munificentia regia maximum donum filium habebo: aliis deos precor, ne unquam fortuna egeat mea; animus certe non egebit. Pro tanto in me munere gratum me eſſe in ſe ſentiet, ſi privatam gratiam pro privato beneficio deſiderabit; publice nec habebo quidquam ab illo, nec dabo. Quod in præſentia dare poſſim, fidele conſilium eſt: abi, nuncia meis verbis, bello abſiſtat, pacis conditionem nullam recuſet*; Et paulo poſt, ubi audiit Antiochus Scipionem ægrum delatum Elæam, eo legatos, qui filium ad eum reducerent, miſit: illis Scipio, *Renunciate*, inquit, *gratias Regi me agere; referre gratiam aliam nunc non poſſe, quam ut ſuadeam, ne ante in aciem deſcendat, quam ut in caſtra me rediiſſe audierit*. Morem geſſit Antiochus, & circa Magneſiam, quæ ad Sipylum montem eſt, caſtra poſuit, eaque, ne cogeretur ad pugnam, vallo duplici circumdedit. Conſul & Cn. Domitius, quem ſuo loco æger Africanus reliquerat, ut vident detrectari certamen, duces cæteros in conſilium advocant: *inſtare hyemem; aut ſub pellibus habendos milites, aut bellum in æſtatem differendum*. Contemtu hoſtis conclamatum undique eſt, *ducerent extemplo; paratos eſſe per foſſas, per vallum hoſtes invadere*. Tertio die poſt, Conſul aciem inſtruit; Antiochus ne ſuis animos minueret, copias educit. Erant Conſuli 28. militum millia ex Livio, 30. ex Appiano: Antiocho 70. peditum millia tribuit Appianus 12. millia equitum Livius addit. Ut ad manus ventum eſt, dextrum Romanorum cornu vicit & fortitudine & induſtria Eumenis,

qui falcatos Antiochi currus territis equis avertit; ſiniſtrum vero victum eſt: jamque in caſtra effuſo curſu fuga erat, cum M. Æmylius Tribunus militum, qui præſidio caſtris relictus fuerat, fugientibus occurrit, iiſque mortem, ni ad pugnam redeant, intentat. Hic major timor minorem vicit: in pugnam redeunt, ipſeque Æmylius acriter reſiſtit ſequenti Antiocho: qui ut vidit novam e caſtris aciem, aliamque a dextris victricem ingruere, in fugam vertit equum, Sardeſque, deinde Apameam, denique in Syriam refugit. Ad 50. peditum millia ea die periiſſe perhibent, quatuor equitum; mille præterea & 400. captos: ceciderunt e Romanis plus 300. pedites, 24. equites. Romanos, dum in ſua caſtra redeunt illud proverbii loco uſurpaſſe refert Appianus; *fuit Rex Antiochus magnus.*

## CAPUT VII.

### *Prælia contra Gallos Gæſatas, Jugurtham, Teutonas, & Cimbros.*

I. *M. Marcelli contra Virdomarum.* VIrdomarus Gallorum Gæſatarum Rex an. 532. Claſtidium obſedit; de quo ut ad Marcellum Conſulem allatum eſt, Cornelium Collegam ad Acerras dimiſit, ipſe cum equitatum & peditibus paucis magnis itineribus in hoſtem pergit, & eum, Galli licet equite & pedite multo inferior, aggreditur. Virdomarus, & armis & corporis proceritate inſignis, Marcellum ad ſingulare certamen provocat; nihil cunctatus Marcellus in illum invectus equo facit impetum, mediumque lancea tranſfixit: tum detracta oſtentans ſpolia, *Arbiter inſignium factorum*, iniquit, *Juppiter, Feretrie, te teſte Dux Ducem, Conſul Regem manu mea tertius ego hunc confoſſum interfeci; tibi conſecro opima ſpolia.*

*lia*. Terrore cæſi Regis fuſi Galli, & magna ſtrage conciſi.

II. *Contra Jugurtham Q. Metelli.*

Dum Metellus Jugurthæ verbis pacem nunciat, reipſa bellum gerit. Jugurtha ex loci opportunitate in ſpem victoriæ adductus Romanos an. 644. adoritur: Metellus pro loco & tempore copias inſtruit, Rutiliumque, ut caſtris locum capiat præmittit. Interim Numidæ alii poſtremos cædere, pars a ſiniſtra ac dextra tentare: ſicubi vero Romanorum turma inſequi cœperat, non confeſtim fugere ſed alii alio quam maxime diverſi; facies totius negotii varia & incerta: pars cedere, alii inſequi, ubi quemque periculum ceperat, ibi reſiſtere. Ut videt Metellus Numidas minus inſtare, milites in collem ſubducit, reſtituitque ordines. Interea Bomilcar Rutilium invadit, ſed continuo fuſus fugatuſque eſt: plerique abjectis armis, collis & noctis beneficio, integri abeunt; quatuor elephanti capti, 40. cæſi.

III. *C. Marii contra Bocchum & Jugurthã.*

Jam fractus a Metello Jugurtha Bocchum Numidiæ Regem in auxilium evocat: a Mario, qui Metello, ſublectus erat, uterque ſemel atque iterum victus an. 646. Primum ſub veſperam in Romanos incurrunt. Romani, quamvis improviſo metu trepidi, virtutis tamen memores arma capere, alii obviam ire hoſtibus, omnes ſine ſignis, ſine ordinibus pugnare. Tum Marius vicinos colles occupat; ibi per noctem maximum ſilentium haberi jubet, ne ſigna quidem canere: dum Barbari plerumque noctis lætari, exſultare, & Romanis inſultare. Ut lux advenit, defeſſis jam hoſtibus, tubicines ſimul omnes canere Marius imperat, milites clamorem tollere, & portis erumpere. Numidæ horribili ſonitu repente exciti, neque fugere neque arma capere poterant: omnes fuſi fugatique, arma & ſigna militaria pleraque capta, pluresque eo prælio quam ſuperioribus interemti.

Nec

VII. *Contra eoſdem ad Cirtam.* Nec lætor Jugurthæ inita ad Cirtam pugna fuit: ubi copiis in quatuor partes diſtributis Romanos undique invadit; ipſe equitibus, Boccus peditibu preærat. Dum Marius apud primos agit, Jugurtha clam cum paucis ad pedites ſe convertit: ibi Latine exclamat, *fruſtra illos pugnare; paulo ante Marium ſua manu interfectum*: ſimul gladium ſanguine oblitum oſtendere, ſimul Barbari animos tollere; atrocitate rei contra terreri Romanos: jamque paulum a fuga aberant, cum, hinc Sylla, inde Marius (profligatis iis, quos adverſum ierant) accurrunt auxilio ſuis; tum fuga a Numidis fieri undique cœpta eſt, multaque millia trucidata.

V. *Contra Teutonas ad Aquas Sextias.* Partam in Africa gloriam Marius duabus de Cimbris & Teutonibus victoriis cumulavit. Dum Italiam Cimbri per Noricum petunt, & Teutones per Galliam, Teutonibus ad Rodanum Marius occurrit: quod vero Barbarorum & multitudo & proceritas terrorem incuteret militi, ſe in caſtris continuit; unde Barbari per ludibrium a Romanis quærebant indentidem, *Ecquid mandare vellent uxoribus ſuis? brevi eas ſe viſuros.* Ubi vero ſenſit Marius milites & aquæ inopia laborare, & pugna ultro expoſcere; flagitante aquam exercitu, fluvium qui ultra hoſtes erat oſtendit: *viri*, inquit *eſtis; en illic habetis*. Continuo tanta audacia contra hoſtem itum eſt an. 651., ut Ambrones ad unum omnes conciſi ſint. Plus cum Teutonibus negotii fuit, qui dum magno impetu ruunt ad collem, quem Romani inſederant, hinc a Mario inde a Marcello magna ſtrage cæſi ſunt: 100. millia trucidata ex Plutarcho, 200. ex Oroſio 150. ex Vellejo; capta vel 80. vel 90. millia, ex, Liviana Epitome; vix tria millia evaſerunt. Rex Teutoboccus, qui tanta erat agilitate corporis, ut ſenos equos ſaltu tranſiliret, captus Marii poſtea triumphum cohoneſtavit. Cæſorum oſſibus

bus ferunt vineas a Maſſilienſibus multo poſt circumſeptas.

Non par Catuli contra Cimbros fortuna fuit. Ad Atheſim conſederat, ut tranſitum hoſtibus prohiberet; at Cimbri mira feritate ſaxis, rupibus, arboribus replere amnem: unde tantus Romanos terror invaſit, ut fugam plerique caperent; quos cum retinere non poſſet Catulus, quo illorum pudori conſuleret, pæmiſſa, aquila, ſe fugæ ducem præbuit. Sub hæc, de Teutonibus victor Marius venit auxilio: petit ab eo Bojorix Cimbrorum Rex, ut die & loco prodiret in aciem. Dies ab eo tertius, & campus ad Vercellas, cui Raudis nomen erat, delecti ad pugnam an. 652. Habuit ſub ſignis Catulus militum 20. millia, Marius 32. In orientem ita converſa eſt Romanorum acies juſſu Marii, ut pulvis in oculos hoſtium ferretur, & galearum ſplendore ardere cœlum Cimbris videretur. Hoſtium fortiſſimi quique conciſi ad 140. millia ex Plutarcho, 60. millia capta ex Eutropio, & 33. ſigna militaria: Beleus Rex in acie dimicans nec inultus cecidt, ex Floro; plures Regulos numerat Oroſius, e quibus Lucius & Bojorix cæſi. Claudius & Cæſorix capti: prædam Marii milites diripuerunt; ſpolia, tubæ, ſigna militaria relata in caſtra Catuli, penes quem partæ victoriæ laus fuit. Nec minor fuit cum mulieribus pugna, cum objectis undique plauſtris deſuper, quaſi e turribus, contis lanceiſque pugnarent: cumque nec libertatem, nec ſacerdotium a Mario impetrarent, in furorem actæ, pars maritos, parentes, filios fugientes e pugna occidere; pars parvulos propriis elidere manibus; omnes denique vel mutuis ſe confecerunt vulneribus, vel vinculis e crinibus factis ex arboribus jugiſque plauſtrorum pependerunt. Eodem die quo geſta res eſt, juvenes laureatos pro æde Caſtoris literas dediſſe perhibent. Marius tertius Romæ conditor appellatus, ipſique & ſextus Conſulatus

*VI. Contra Cimbros ad Vercellas.*

tus

tus & honor triumphi delatus eſt, quem tamen cum Catulo communicare voluit.

## CAPUT VIII.

### *Prælia contra Mithridatem & Tigranem.*

I. *Contra Mitridatem, Syllæ ad Chæroneam.* ARchelaum Mithridatis ducem bis Sylla devicit, primum ad Chæroneam, deinde ad Orchomenon: habebat Archelaus militum 120. millia, Sylla ne tertiam quidem partem. Quare ad loci temprorisve occaſionem intentus, oblatam ſibi ab Archelao pugnam ſæpe detrectare inſtituit; donec ad Chæroneam ventum eſt, ubi ob loci anguſtias nihil juvat multitudo, & propter rupes nullum victis patet effugium. Hic hoſtes Sylla tanto militum ardore invadit, fundit, cædit, ut e 120. millibus vix 10. millia effugerint: e Romanis militibus, quod vix quiſquam ſibi perſuadeat, decem tantummodo ceciderunt, an. *666.*

II. *Ad Orchomenon.* Mithridates per hyemem novos milites ad 80. millia conſcribit, quibus Dorylaum præficit, ut ad Archelaum duceret. Ad Orchomenon Bœotiæ oppidum an. *667.* pugnatum eſt. Cum Romani equitum multitudine territi ſegnius pugnam capeſſerent nec Sylla quidquam precibus miniſve proficeret; deſiliit ex equo, & arrepto ſigno inter duas acies procurrit clamitans: *Si quis vos rogarit, milites, ubinam Syllam Imperatorem veſtrum prodideritis; reſpondete, pugnantem ad Orchomenon.* Tum Præfecti, Tribuni, milites victi pudore ſe ipſos invicem hortari & in hoſtes certatim irruere. Ea die 15. millia hoſtium cæſa; poſtero die expugnata caſtra factaque magna ſtrages; ipſe Archelaus dies aliquot in palude delituit, unde navicula profugit Chalcidem: ducentis annis poſt, ſi Plutarcho credimus, loricæ, galeæ, & alia id genus in cœno reperta.

Tri-

Tribus Mithridatem præliis fregit Lucullus, cujus in eo eluxit ſcientia militaris, ut ipſæ ſemper, nuſquam Mithridates omnibus viribus decertaret. Erat Mithridati infinita prope militum multitudo, Lucullo 30. peditum millia, & 1600. equites; quare bellum ducere, detrectare pugnam, & hoſtes fame vincere inſtituit. Ad certamen cum eum elicere non poſſet Mithridates, Cizycum, amicam Romano nomini civitatem, obſidet an. 679. tum Lucullus advocata concione palam dicere non dubitavit, *ſe paucis diebus victoriam iis incruentam daturum*; Nec eum ſpes fefellit; vexatus inedia Mithridates primum copiarum partem in Bithyniam ad hyberna, deinde ſoluta obſidione cæteros milites Lampſacum dimittit: omnes ſeparatim aſſecutus Lucullus magna ſtrage concidit, cepit equorum ſex millia, virorum quindecim. In Pontum poſtea penetrat, ubi equeſtri prælio bis a Mithridate fuſus eſt: at hoſtilem equitatum tandem in montium faucibus delet an. 681. unde tantus & Mithridati & ipſius ducibus incuſſus terror, ut omnes deſertis caſtris fugam ceperint: quo vero Romanos retardaret Mithridates, ſarcinam muli aurum ferentis de induſtria concidi jubet. Ita ſparſos per viam nummos cum colligunt Romani, ipſe elabitur, & ad Tigranem fuit Armeniæ Regem.

III. *Luculli ad Cyzicum.*

IV *In Ponto*

Jam ad Tigranem Metrodorum Sceptium præmiſerat Mithridates, ut eum in belli ſocietatem alliceret. Sceptium rogavit Tigranes, quidnam ipſe conſilii de auxilio contra Romanos mittendo daret? *ut legatus*, inquit ille, *conſulo; ut conſiliarius deterreo*: quod cum Mithridati paulo poſt Tigranes aperuiſſet, Sceptium occidi juſſit. Sub hæc advenit a Lucullo Appius Claudius, qui Mithridatem Romanis tradi poſceret: negavit Tigranes, nec Lucullum titulo *Imperatoris* ornavit, quod ille non *Regem Regum*, uti mos erat in Syria, ſed *Regem* tantum-

V. *In Armenia contra Tigranem.*

tummodo in epiſtola ipſum appellaſſet. Erant Tigrani peditum 250. millia, 50. equitum, ex Appiano: ſcribit Plutarchus ſagittariorum & funditorum fuiſſe 20. millia, equitum 55. peditum gravis armaturæ 150., reliquorum ad varia miniſteria 35. millia: unde tam certa aulicis victoriæ ſpes erat, ut *inſignem ducem fore Lucullum dicerent, ſi Tigranem opperiretur Epheſi, & non ſtatim ex Aſia profugeret*. Is tamen, relicto ad regendam provinciam Sornatio, ipſe cum 12. peditum millibus, tribus fere equitum tranſmiſſo primum Euphrate, deinde Tirgri, Tigranocertam Armeniæ caput obſidet an. 683. Veniſſe Lucullum nemo Regem monere audebat, quod neſcio quem, qui primus monuerat, aulicum ſuſpendi juſſiſſet; Regem tamen ut ſibi caveret Mithrobarſanes admonuit: quare continuo juſſus eſt a Rege Lucullum ſibi vivum adducere, & obterere cæteros; at is ſive a Lucullo, ſive a Sextilio legato cum ſuis oppreſſus eſt. In Lucullum tandem movit Tigranes, ne Mithridates, qui aberat, in gloriæ ſocietatem veniret; Romanorumque paucitatem conſpicatus (erant enim tum Lucullo undecim tantum militum millia, cæteris ad Tigranocertam relictis) *ſi hi legati ſunt*, inquit, *multi ſunt; ſin autem hoſtes, perpauci*: idque unum ægre ferebat, quod cum uno ſibi Lucullo, non cum omnibus Romanorum ducibus decertandum eſſet. Ex alia parte dum Lucullus aciem inſtruit, illum monent cæteri duces, ne pugnet die nefaſta, qua cæſus a Cimbris cum exercitu Cæpio fuerat; quibus ille, *hæc dies*, inquit, *victoria noſtra deinceps fauſta Romanis erit*. Tum in frontem immiſit equites, qui hoſtem laceſſerent & ultro cederent, dum pedites ipſe ad tumulum circumducit; ut vero conſpexit hoſtes quaſi jam victores in perſequendo diſperſos, exclamavit, *Vicimus milites*; & continuo in jumenta, quæ intra tumulum erant, irruit: illa confoſſa

telis

telis in pedites incurrunt, hi in equites, moxque effuſa undique facta fuga eſt, neſcientibus Armenis unde eſſet cladis initium. In hoſtes ſævitum eſt per 120. ſtadia; e quibus ceciderunt pedites ſupra centum millia, equitum 40. millia: e Romanis centum vulnerati, quinque tantum cæſi, ex Plutarcho; quamvis, ut Livius auctor eſt, ne vigeſimus quidem bellatorum pro Romanis pugnaret.

VI. *Cn. Pompeii Magni contra Mithridatem in Ponto.*

Subrogatus Lucullo Pompejus bellum una nocte confecit anno 687. Poſt aliquam equitum velitationem preſſus inopia Mithridates in regni interiora ſe recipit; ſequitur Pompejus: rex vicum occupat circumquaque munitum rupibus. Dum utrinque ſtationarii de nocte per declivia dimicant, primum regii equites, deinde Romani ſuis quique opem ferunt injuſſi: dumque utrinque pugnatur, duo Mithridaticis fraudi fuerunt, unum, quod cum luna a tergo Romanis eſſet, ii umbras hoſtes eſſe rati cuncta in irritum tela fuderunt: alterum, quod dum equites regii Romanis numero impares caſtra præcipiti curſu repetunt, cæteri eos caſtris captis fugere arbitrati, continuo abjectis armis ipſi fugiunt; alii, quod exitus ad fugam non pateret, deſiliunt in præceps; alii a Romanis interfecti; rex per rupes elapſus ad Colchos fugit. E Romanis vulnerati mille, necati 40. e regiis decem millia cæſa, caſtra cum omni apparatu direpta, eaque nocte cum Mithridate debellatum eſt.

## CAPUT IX.

*Prælia C. Cæſaris contra Gallos & Germanos, & Craſſi contra Parthos.*

I. *C. Julii Cæſaris contra Helvetios in Æduis.*

PRimum Cæſari bellum cum Helvetiis fuit, qui in Galliam irruperant anno 695. Contra illos in Æduis pugnatum eſt; ubi Cæſar, ut æquato pe-

 riculo

riculo ſpem fuga tolleret, primo ſuum, deinde omnium equos removet. Tum cohortatus ſuos, in hoſtium phalangem facit impetum, qua disjecta, in montem hoſtes ſe recipiunt; unde redintegrata pugna, diu ancipiti prælio dimicatum eſt a ſeptima hora ad veſperam. Tandem Helvetii vulneribus defeſſi pars ad Carros, pars ad montem iterum ſe conferunt, ubi ad multam noctem certatum eſt. Romani tandem Carris potiti ſunt; fugientes Helvetii, rerum omnium inopia adducti, deditionem faciunt; quos Cæſar in fines ſuos, unde profecti erant, reverti juſſit.

II. *Contra Germanos.*

Partam de Helvetiis victoriam altera eodem anno de Germanis excepit. Arioviſtus Germanorum rex Æduos Romanorum ſocios vexabat. Per legatos ab eo petit Cæſar, ut locum medium utriuſque colloquio deligeret: reſpondet Arioviſtus, *ſi quid ipſi a Cæſare opus eſſet, ſeſe ad eum venturum; ſi quid ille a ſe velit, illum ad ſe venire oportere.* His reſponſis commotus Cæſar imperat, ut hoſpites, quos haberet ab Æduis, redderet; ne illos injuria laceſſeret. Utrumque negat Arioviſtus; quare ad arma ventum eſt. Sed Romani milites ab hoc bello vehementer abhorrebant: alii lacrymari, alii in tabernaculis ſuum fatum queri, vulgo totis caſtris teſtamenta obſignare; quem timorem ubi oratione ſua Cæſar depulit, in Arioviſtum movet. Dies continuos quinque Cæſar aciem inſtructam habuit; tandem copias e caſtris eduxit Arioviſtus. Ita utrinque concurſum eſt, ut ſpatium pila in hoſtes conjiciendi non fuerit; cominus gladiis pugnatum. Siniſtrum Cæſaris cornu vicit, in dextro laboratum eſt vehementer; donec P. Craſſus tertiam aciem præſidio miſit. Ita reſtitutum prælium eſt; hoſtes tandem terga verterunt, pauci cum Arioviſto lintribus Rhenum trajecerunt: cæteri a Romanis trucidati.

Secun-

Secundum hæc, dum Cæſar in citeriori Gallia agit, Belgæ cum vicinis populis in Romanos conjurant; diebus quindecim Cæſar ad Belgarum fines advolat an. 696. Noviodunum & Bellovacum deditione accipit; Ambiani ſe ſuaque tradunt, Belgæ ad Axonam fluvium conciſi: plus cum Nerviis negotii fuit. Dum Cæſariani milites ad Sabim caſtra communiunt, Ædui, qui intra ſylvam ordines conſtituerant, omnibus copiis provolant. Pulſi primo impetu equites, cæteri undique oppugnati, legio nona & decima e colle ad flumen compulſæ, multi Centuriones vel occiſi, vel vulnerati; reſque in anguſto erat, cum Cæſar ſcuto militi detracto in primam aciem proceſſit; cujus exemplo ſpe illata militibus, paulum hoſtium impetus tardatus eſt. Cæteræ legiones, ut nunciatum eſt, quanto in periculo & caſtra & exercitus & Imperator verſaretur, undique auxilio advolant; unde tanta rerum commutatio eſt facta, ut qui confecti vulneribus procubuiſſent, ſcutis innixi prælium redintegrarent; calones etiam inermes armatis occurrerent; equites, ut fugæ dedecus virtute delerent, pugnarent omnibus in locis. Ita victi tandem Nervii, quorum gens & nomen pene ad internecionem hoc prælio deletum eſt: ex 600. enim Senatoribus tres tantummodo, ex hominum millibus 60. vix 500. ſuperfuerunt, quos Cæſar ſuis finibus & oppidis uti juſſit. *III. Contra Nervios ad Sabim.*

*IV. Contra Germanos*

Par prope clades Germanis aliquanto poſt illata. Ad 600. millia a Suevis pulſi Rhenum tranſierant an. 698. Amiſſis ſedibus, petunt a Cæſare ut ejectis domo agros attribuat; poſſe Romanis eſſe utiles amicos: a Cæſare ad Ubios remiſſi ſunt. Interim Cæſar, ne quid fraudibus ſubeſſet, equitatum evocat; qui dum conveniunt, 800. Germani equites in quinque Cæſariorum millia nihil hoſtile timentium impetum faciunt, & 72. perimunt: deinde

Germani, quaſi criminis purgandi cauſſa, majores natu mittunt ad Cæſarem. Illos Cæſar retinet, copias omnes educit, priuſque ad hoſtium caſtra pervenit, quam quid ageretur Germani ſentire poſſent. In caſtra undique irrumpitur, pauci inter carros & impedimenta reſiſtunt, reliqua multitudo fugam capit: pars ab equitatu Cæſaris oppreſſi, pars Rheno ſubmerſi perierunt.

V. *Contra Ambiorigem.* Illuſtrior etiam C. Cæſaris de Ambiorige victoria an. 699. Is Eburonum Princeps, Sabino & Cotta per fraudem oppreſſis, Q. Ciceronem in caſtris obſidet. Unam tantum legionem habebat Cicero; 60. militum millia Ambiorix: caſtra magna vi undique oppugnat, a Romanis diu noctuque ingenti audacia reſiſtitur: nulla ægris, nulla vulneratis facultas quietis datur; caſæ Romanorum illorumque impedimenta incenſa; nullus tamen, ut flammam extingueret de vallo deceſſit: eoque die plurimi hoſtes vulnerati. Erant in legione Centuriones duo fortiſſimi viri; iis perpetua contentio erat, uter præſtaret alteri. Ex iis Pulfio; *quid dubitas*, inquit, *Varene? aut quem locum probandæ virtutis tuæ expectas? hic dies de noſtris controverſiis judicabit.* Hæc quum dixiſſet, procedit extra munitiones, & in hoſtes conſertiſſimos irrumpit, pilum in eos mittit, unumque ex multitudine trajicit. In eum univerſi tela conjiciunt; ſcutum transfigitur, verutum in balteo defigitur. Tum ſuccurrit illi, qui ſubſecutus erat, Varenus: ad hunc ſe confeſtim a Pulfione omnis multitudo convertit. Is dum gladio rem gerit inſtatque cupidus, in locum inferiorem dejectus concidit; huic rurſus fert ſubſidium Pulfio, atque ambo incolumes multis interfectis ſumma cum laude ſeſe intra munitiones recipiunt: ita alter alteri inimicus auxilio ſalutique fuit, nec judicari potuit, uter utri virtute anteferendus videretur. Interea de Ciceronis periculo Cæſar factus certior

tior, venit in Nerviorum fines; Galli re cognita ad Cæſarem omnibus copiis contendunt. Cæſar caſtra communit in loco quam poteſt æquiſſimo, eoque hoſtes timoris ſimulatione allicit; qui ſpe victoriæ pronunciari jubent, *ſeu quis Gallus ſeu Romanus velit ante horam tertiam ad ſe tranſire, ſine periculo licere: poſt id tempus non fore poteſtatem*. Tunc Cæſar omnibus portis eruptione facta celeriter hoſtes dat in fugam, magnumque ex iis numerum occidit, atque omnes armis exuit: eodem die pervenit ad Ciceronem, eumque pro merito legionemque collaudat.

Non eadem Romanorum adverſus Parthos felicitas. M. Craſſus Orodi bellum ſine cauſſa intulerat an. 698. tranſmiſſoque Euphrate, quadrato agmine procedebat, cum Parthi ſigno dato Romanos invadunt. Alii primos telis configere, pars a ſiniſtra ac dextra intrare, undique infeſti adeſſe: ſi vero Romanorum turma eos inſequi cœperat, non confeſtim pugnare, nec in unum ſe recipere; ſed uti docti erant a ſurena, alius ab alio quam maxime diverſi. Ubi videt Craſſus eminus ſauciari ſuos, nec contra feriendi & cominus pugnandi copiam eſſe, filium advocat, jubet cum hoſte manum conferat. Tum Parthi ſimulare fugam, Publius inſequi imprudentius; poſtquam enim a patre longius abſtractus eſt. Parthi prælium inſtaurant, alios ſagittis, alios contis transfodiunt, magnamque equitum edunt ſtragem. Publius trajecta telo dextera invitatus ab amicis, ut fuga ſibi conſuleret, negavit deſerturum eos, qui ſua cauſſa perirent; tum ab armigero latus gladio transfigi juſſit. Continuo Parthi illius caput haſta ſuffixum oſtentant, patrique ad auxilium filii properanti occurrunt: *quo patre, qua gente natus ſit Publius, per ludibrium quærunt; nec enim Craſſi patris ignaviſſimi tam fortem filium fuiſſe*. Poſt iteratum prælium ſub veſperam tandem ſe recipiunt

*VI. M. Luscinii Craſſi contra Parthos.*

cum dicerent Craſſo *largiri ſe unam noctem ad filium lugendum*. Craſſus de nocte primum Carthas, deinde Syriam verſus longius, fugit, ſed a Parthis circumventus, cæſus eſt; amiſſaque hoc bello Romanorum 20. millia.

## CAPUT X.

### *PRÆLIA*

### *In Bello Civili Marii & Syllæ.*

I. *L. Cornelii Syllæ contra Carinam & Marcium ad portam Collinam*

MArianos inter & Syllanos multa quidem prælia ſummo publicæ rei damno commiſſa ſunt; at illud præ cæteris inſigne, quod ad portam Collinam datum eſt an. 671. Præerant Marianis Carinas, Marcius, & Damaſippus, Syllanis ipſe Sylla, multarum palmarum Imperator. Summa utrinque vi concurſum eſt: poſt acre diuturnumque certamen, dextrum Syllæ cornu vicit, ſiniſtrum fuſum eſt; in quo dum pugnat Sylla ſummo vitæ diſcrimine, ſigillum Apollinis aureum Delphis ſublatum, quod ſemper in ſinu ferebat, tum deoſculatus dicitur, atque ita precatus: *Felicem me Cornelium Syllam, Pythi Apollo, quem tot decoraſti victoriis, hoc loco adduxiſti, ut in patriæ foribus cum civibus ſuis caderet*. Hoc prælio, in quo de ſumma rerum certatum eſt, 50. utrinque hominum millia periiſſe perhibent: qua clade Marianorum vires conciſæ ſunt.

II. *Cn. Pompei contra Hiarbam & Domitium in Africa.*

Habet vero id præcipui de Hiarba & Domitio Pompeji victoria, quod & ſumma celeritate & a juvene parta ſit. Juſſus a Sylla Pompejus Domitium bello perſequi in Africam, quo fugerat, ſeptem legiones ducit an. 672. Domitium & Hiarbam Numidiæ Regem magna ſtrage vincit. Cæſis hoſtium 17. millibus, illorum caſtra expugnat; ubi cæſus Domitius, captus Hiarbas, urbes multæ par-

tim

tim vi, partim deditione captæ, ſubacta Africa; quæ intra dies 40. Pompejus annos natus 24. præſtitit. Tum dimiſſo juſsu Syllæ exercitu, Romam venit: cum omnes civitatis principes, tum ipſe Sylla proceſſit obviam, qui Pompejum amice complexus, *Salve*, inquit, *Magne Pompei*: quod ille cognomen tanquam ſpolium ex Africa cepit, ait Plinius. Triumphum petenti negavit primum Sylla ob ætatem immaturam: at ubi reſpondit Pompejus, *plures orientem ſolem quam occidentem adorare*; juvenis audaciam admiratus Sylla, *triumphet*, inquit, *triumphet*. Animus erat curru elephantis juncto in Urbem invehi: ſed quod porta erat anguſtior, tranſiit ad equos, nec in Senatum prius admitti voluit, quam triumphaſset, quia & ipſi ad gloriam illuſtrius erat, & plebi jucundius equitem triumphare. III.

Non eadem Pompejus adverſus Sertorium fortuna uſus eſt an. 676. Lauronem Hiſpaniæ oppidum dum Sertorius obſidet, advenit ex Italia cum exercitu Pompejus, ſcribitque civibus bono eſsent animo, ſpectarentque e muris obſidentem Sertorium obſideri. Quod ut nunciatum Sertorio eſt, riſit, & *diſcipulum Syllæ docturum ſe ait Imperatoris munus*; & ſimul e caſtris ſex millia militum evocat, qui Pompejum a tergo adorirentur: quare Pompejus, ne obſideretur ipſe a Laurone, receſſit longius. Ad Sucronem haud multo poſt juſto prælio pugnatum eſt an. 667. præcipiti jam in veſperam die; veriti enim ambo, ne ſuperveniret Metellus, Pompejus ut ſolus; Sertorius ut cum ſolo dimicaret. Alterum cornu regebat Pompejus, Afranius alterum; oppoſitus Afranio Sertorius, Pompejo Perpenna. Cornu ſiniſtrum urgente Pompejo labare cœpit: continuo inclinatæ aciei ſuccurrit Sertorius; ſuos confirmat, Pompejumque vertit in fugam; qui amiſſo equo acceptoque vulnere pene oppreſſus eſt, vix,

*Sertorii contra Pompejum ad Sucronem.*

de equo & phaleris dum altercantur Afri, fuga dilapſus. Interim Afranius oppoſitum cornu vincit, caſtra diripit; cum victor in ipſum Sertorius irruit, intentoſque prædæ milites cædit fugatque. Ut illuxit, copias Sertorius iterum educit in aciem; at ubi Metellum advenire audiit, inde abiit, cum diceret: *hunc ego puerum, niſi anus illa ſuperveniſſet, verberibus caſtigatum Romam dimiſiſſem*.

## CAPUT XI.

### *PRÆLIA*

### *In Bello Civili Pompeji & Cæſaris.*

I. *C. Cæſaris ad Pharſalum contra Pōpejum.* POſtquam Cæſar ad pugnam elicere Pompejum apud Pharſalum diu fruſtra tentaſſet, ex hoc loco caſtra movere conſtituit; jamque ſigno dato agmen in portis erat, cum animadverſum eſt longius a vallo eſse Pompeji aciem progreſsam; Tum Cæſar, *differendum eſt* inquit, *iter in præſentia nobis, & de prælio cogitandum:* confeſtimque expeditas copias educit an. 705. In ſiniſtro cornu M. Antonium curare jubet, in dextro P. Syllam, in media acie Cn. Domitium, ipſe contra Pompejum conſtitit: ne vero dextrum cornu ab equitatu hoſtili circumveniretur, ex tertia acie ſex cohortes detrahit, & ex iis quartam aciem conſtituit, monuitque ejus diei victoriam in earum cohortium virtute conſtare. Tum Craſtinus evocatus, vir ſingulari virtute, *faciam*, inquit, *hodie*, *Imperator*, *ut aut vivo mihi*, *aut mortuo gratias agas*. Hæc cum dixiſset, primus in dextro cornu procurrit. Pompejus paulo ante ſuis victoriam pollicitus erat, & T. Labienus juravit ſe niſi victorem in caſtra non reverſurum; idemque juravit Pompejus cæterique duces. Ita instructa Pompeji acies erat: ſiniſtrum cornu regebat Pompejus,

jus, Afranius dextrum, mediam aciem Scipio: habebat ſub ſignis 110. cohortes, hoc eſt militum 45. millia; Cæſar cohortes 80. id eſt 22. millia: inter utramque aciem tantum erat relictum ſpatii, ut ſatis eſset ad concurſum. Cæſariani de more ad medium uſque ſpatium procurrunt; Pompejani non item: pilis primum certatum eſt, deinde gladiis. Pompejanorum impetum equitatus Cæſaris non tulit: jamque Pompejani Cæſaris aciem circuire cœperant, cum Cæſar quartæ aciem ſignum dedit, quæ tanta vi in Pompeji equites incurrit, ut omnes primo impetu in montes verſi ſint; deinde eædem cohortes ſiniſtrum Pompeji cornu adoriuntur, tertiamque aciem Cæſar procurrere jubet: ita cum recentes atque integri defeſſis ſuccederent, Pompejani fuſi ſunt. Pompejus ut equitatum, cui maxime fidebat, pulſum videt, aliis diffiſus acie exceſſit, & ſe in caſtra equo contulit: ubi Centurionibus, *Tueamini*, inquit, *caſtra*, *ſi quid durius acciderit; ego reliquas portas circumeo*, *&* *caſtrorum præſidia confirmo*. Tum in tentorium ſe recipit, ubi aliquandiu ſedit attonitus; cumque magnam hoſtium manum fugientium tergo inhærentem vidiſſet, *etiamne in caſtra*? dixit: & depoſitis Imperatoris inſignibus fugit a caſtris, & equo citato Lariſsam contendit. Caſtris Cæſar potitus eſt, & ſcriniis Pompeji, cujus literas incendi juſſit, ne quid in quemquam gravius ſtatuere cogeretur. Erant in caſtris triclinia ſtrata, magnum argenti pondus expoſitum, multaque præterea, quæ nimiam luxuriam & ſpem victoriæ indicarent. Ceciderunt ex Cæſarianis 200. non amplius milites, e quibus 30. Centuriones & Craſtinus ille, de quo modo meminimus, gladio in os adverſum conjecto: e Pompejanis 15. millia ex Appiano & Hirtio, 6. millia ex Plutarcho 24. millia deditione capta, ſigna militaria capta 180. Cæſar, ut ait Appianus, parci civibus juſserat, & in ſola ſævire auxi-

auxilia: dedititios legionibus adſcripſit ſuis; dumque cæſorum corpora conſpiceret: *hoc voluerunt*, inquit, *tantis rebus geſtis C. Cæſar condemnatus eſſem, niſi ab exercitu petiiſſem auxilium.*

II. *Ad Alexandriam contra Ptolemæum.* Ex Pharſalica victoria novum Cæſari bellum ortum eſt. Ptolemæus Dionyſius, etiam tum puer, in Ægypto ſolus regnabat; Alexandriam ut appulit Cæſar, ex patris Auletis teſtamento par Cleopatræ imperium detulit: quod cum multis, tum maxime Photino Ptolemæi nutritio ægre fuit. In copias e Peluſio evocat, quibus Achillam præfixit; Cæſar viribus inferior intra oppidum ſe continet. In portu acriter pugnatum eſt; 120. naves hoſtium incenſæ, tectis etiam ignes injecti, quibus celebris illa Philadelphi bibliotheca deflagravit an. 706. Auxilia Cæſar accerſit ex Aſia: commiſſo iterum prælio penes Cæſarem victoria ſtetit; naves hoſtium partim captæ, partim demerſæ, fugataque reliqua claſſis. Inſula potiri dum Cæſar nititur, ipſius navis nimio pondere ſubmerſa eſt; ipſe ne madefactis quidem, quos ſiniſtra manu tenebat, libellis, natando incolumis evaſit; quamvis & veſte gravaretur, & jaculis peteretur ab Ægyptiis. Sub hæc ab Alexandrinis de pace actum eſt, Rex quidem, quem apud ſe habebat Cæſar, ab eo dimiſſus; ſed bellum mox renovatum eſt: auxilio venerunt Cæſari & Mithridates Pergamenus & Judæus Antipater. Continuo Cæſar tranſmiſſo fluvio hoſtium caſtra expugnat; cæſa 20. millia, capta 12. Rex ipſe, dum fugit, exceptus ſcapha merſus eſt; occupata Alexandria: Ægyptus data Cleopatræ. Hæc fere Hirtius, Appianus, Plutarchus.

III. *In Ponto contra Pharnacem.* Rebus Ægypti compoſitis Cæſar per Syriam Pontum petit an. 707. Pharnaces Mithridatis filius, dum Romanos civili bello diſtractos videt, Armeniam minorem & Cappadociam occupat. Domitius Calvinus Aſiæ præfectus a Cæſare illum utroque regno

dece-

decedere jubet, non parentem bello perſequitur: at inita pugna victus eſt; Cæſaris tamen adventu territus Pharnaces veniam petit. Legatos benigne excipit Cæſar, ut ſpe pacis, inquit Dio, incautum evertat; quod ſubveritus Pharnaces Cæſarianos, dum caſtra ad Scotium metantur, invadit. Romani omiſſo opere arma capiunt, hoſtem fundunt, caſtra expugnant; Pharnaces cum paucis equitibus profugit: quæ tanta celeritate præſtita ſunt, ut ad Anitium amicum ſcripſerit Cæſar tria tantum verba hæc, *veni, vidi, vici*. Ita pontus receptus, regnumque Boſphori Mithridati Pergameno conceſſum.

Hæc dum geruntur in Aſia, Pompejani bellum in Africa reparant. Eorum principes erant M. Cato, Afranius, Labienus, Petrejus, Fauſtus Sylla; & præerat omnibus ſpe victoriæ Scipio Pompeji ſocer, quaſi fatale eſſet Scipionibus in Africa vincere. Romam ut rediit Cæſar, media hyeme trajicit in Africam: cum primum terram attigit, prolapſus eſt; & quaſi de induſtria procubuiſſet, terram oſculatus exclamavit: *teneo te, Africa*. Primum illi res fuit cum Labieno & Petrejo; utrumque vicit gemino prælio, alterum altero, ut refert Hirtius. Deinde acceptis ex Italia copiis, crebris velitationibus hoſtes vexare inſtituit an. 707. utque illos aliceret ad pugnam, Thapſum amicam illis civitatem obſedit: eo etiam tendit Scipio. Ibi Cæſar perite aciem inſtruit, cohortes ſelectas elephantis opponit, ſinguloſque milites blande compellans ad prælium hortatur: tum a multis animadverſum eſt trepidare hoſtes, circa caſtra pavidos concurſare: quare legati obſecrant Cæſarem, ne dubitet ſignum dare; qui dum dubitat diutiuſque ſuſtentat aciem, in dextro cornu tubicen a militibus coactus canere cæpit, & continuo a ſingulis cohortibus ſigna in hoſtes inferri cœpta: quare Cæſar, ſigno felicitatis dato, contra principes ire contendit. Ab elephantis

IV. *Ad Thapſum contra Jubam & Scipionem.*

tis & cladis & fugæ initium factum eſt, qui lapidum & fundarum ſtridore perterriti ſuos proterere cœperunt; ubi militis, cujus ignotum nomen eſt, virtus enituit. Is armatus furenti elephanto concurrere auſus, & ipſius proboſcide elatus in ſublime, gladio proboſcidem, qua erat circumdatus, cædere non deſtitit; donec dolore adductus elephas, abjecto milite, maximo ſtridore ad reliquas beſtias refugit. Ab elephantis proriti principes fugam capeſſunt; inſtant Cæſaris legiones, valloque potiuntur; tum milites Scipionis amiſſis caſtris in collem ſe recipiunt, fidemque Cæſaris implorant; ſed a veteranis, Cæſare vel invito, ut ait Hirtius, vel auctore ut ſcribit Dio, ad unum omnes cæſi ſunt: equites fugerunt Uticam, unde a Catone cum Fauſto Sylla dimiſſi; Scipio captus a Sittio, Juba excluſus Numidia, ſibi mortem conſciverunt; Sylla & Afranius in militari ſeditione cæſi; Petrejus a Juba necatus, dum inter ſe pugnant, ut uterque aliena manu caderet. Cæſar trinis potius caſtris Jubæ. Scipionis, Afranii, decem hoſtium millibus interfectis ex Dione, 50. millibus ex Plutarcho, ſubacta Africa Romam rediit; ubi de Gallia, de Ægypto, de Ponto, de Africa quater triumphavit.

V. *Ad Mundam contra Pompeji filios.*

Nec diu tamen a bello otium fuit: poſt Thapſenſum cladem Pompeji filii Cneus & Sextus occupaverant Hiſpaniam; ad Mundam Bæticæ oppidum omnibus viribus an. 708. dimicatum eſt. Pompejanorum exercitus præter auxilia conſtabat 13. aquilis, & ſex millibus equitum levis armaturæ: acies Cæſariana 80. cohortibus, & 8. equitum millibus. Primo conflictu ſociorum auxilia ex utraque parte terga verterunt; a Romanis legionibus ſumma contentione pugnatum eſt. Poſt anceps & diuturnum certamen, factum utrinque ſilentium eſt; tum veterani Cæſaris poſt 14. annorum victorias retro gradum tulerunt, inquit Florus, adeo ut pudore

dore magis, quam virtute retineri viderentur: quare Cæſar equo dimiſſo, rejectaque galea ut agnoſcerent, in primam aciem procurrit, prenſatque fugientes, confirmat, orat, *ne ſe poſt tot victorias pueris prodant*; oculos, manus, vocem per totum circumfert agmen, *denunciatque militibus veſtigio ſe non receſſurum; proinde videant quem & quo loco deſerant Imperatorem*. Victus tamen erat, niſi Labieni imprudentia ipſi ſaluti, Pompejo exitio fuiſſet. Is tum forte periclitantibus caſtris cohortes quinque præſidio miſit, quas fugere Cæſar aut credidit ipſe, aut ſuis ſane perſuaſit: quare in eas invectus & ſuorum erexit animos, & hoſtes perculit. Poſt multam cædem acies Pompeji verſa in fugam, partim in oppidum refugit: ceciderunt hoſtium 30. millia ex Hirtio, in quibus Labienus & Attius Varus; equitum tria millia: ex Cæſarianis ſive equites ſive pedites circiter mille. Poſt pugnam amicis dixit Cæſar, *ſæpe ſe pro victoria, in præſentia vero pro vita primum dimicaſſe*. Cæſus in fuga Cn. Pompejus, recepta Hiſpania, & de civibus præter morem a Cæſare triumphatum eſt.

## CAPUT XII.

## *PRÆLIA*

### *In Bello Civili Triumvirorum.*

NEc cæde Cæſaris extingui civile bellum potuit, duaſque iterum in factiones diſtracta eſt Romana res. Unius principes erant ambo Conſules Hirtius & Panſa, & Octavius Cæſar; alterius M. Antonius. Ad Mutinam initum prælium eſt an. 710 Dum Panſa Collegæ venit auxilio, M. Antonius duas robuſtiſſimas legiones ponit in inſidiis; Panſæ Octavius & legiones Martiam & Prætorianos miſit. I. *Octavii Cæſaris ad Mutinam contra Antonium.*

Panſa

Panſa veruto per ilia transfixus, Prætoriani Cæſaris ad unum cæſi: ſub hæc cum altera legione Hirtius advolat, Antonius pro tempore iſtaurat ordines; feſſi tamen a recentibus fuſi, & magna pars interfecti, aquilæ duæ captæ, ſigna ſexaginta: ne unum quidem militem Hirtius emiſit, ſi Ciceroni credimus. Haud multo poſt, contracta iterum pugna, in Antonii caſtra Hirtius irrupit, & circa Prætorium pugnans cecidit. Octavius caſtris primum potitus eſt, mox pulſus eſt ab Antonio: in armis uterque pernoctavit; at veritus Antonius, ne ab Octavio vallo cingeretur, ſoluta obſidione fugit ad Lepidum.

II. *Octavii Cæſaris & M. Antonii ad Philippos contra Brutum & Caſſium.*

Poſtquam Octavius Cæſar cum Antonio & Lepido ſocietatem iniit, Antonius & Octavius Brutum & Caſſium bello perſequi cœperunt. Erant Bruto & Caſſio 80. peditum millia, equitum 17. Triumviris equitum millia 13. peditum 90. Ut ventum eſt ad Philippos, an. 711. Cæſariani ad certamen provocare hoſtes: illi contra bellum ducere, & commeatus inopia Cæſarianos vincere. Antonius clanculum ad Caſſii caſtra viam per paludem ſtruxerat, quam Caſſius interrumpi imperat, ut iis, qui paludem tranſierant, nullus ad ſuos receptus eſſet; quare Antonius copias ad oppugnanda Caſſii caſtra convertit: quod Bruti milites indecorum rati, abſque imperio in eos ex latere irruunt pleroſque occidunt; deinde vertunt ſe in oppoſitam Cæſaris aciem, conjiciunt in fugam, caſtra potiuntur: tum forte aberat Cæſar & ægritudinis & ſomnii cauſſa, cujus lectica a Brutianis pugionibus confoſſa eſt. Interim Antonius ingenti audacia in adverſum clivum evaſit, dumque Caſſiani extra vincebantur, caſtra capit ac diripit; Caſſianorum cæſa ſunt octo millia, Cæſarianorum duplo plura: ita æquata ferme utrinque damna, cum Caſſius Brutum itidem ac ſe victum ratus, ſibi mortem conſcivit. Tum

Brutus

Brutus advocata concione milites, collaudat, hoſtes fame premi edocet, præliumque vitare conſtituit; quod ægre militibus fuit, quaſi eorum virtute diffideret Imperator. Quare Brutus ſubveritus, ne tranſirent ad Cæſarem: eos invitus producit in aciem; ordineſque obequitans, ſingulos admonet, *ut quoniam ab invito Imperatore pugnam extorſiſſent, darent operam, ut ne vel ducem vel milites pugnæ pœniteret*. Ea tum virtute, tum victoriæ cupiditate pugnatum eſt, ut par prope fuerit & apud victores & apud victos cæſorum numerus; dextrum cornu, in quo pugnabat Brutus, ſiniſtrum hoſtium impulit; at ſiniſtrum verſum eſt in fugam. Cæſariani viam, quæ ducebat ad caſtra, magno & periculo & damno occupant, dum Antonius magnam hoſtium edit ſtragem: diſperſas copias & interclusum ad caſtra regreſſum ut vidit Brutus, in montes cum quatuor legionibus ſeceſſit; quas cum fruſtra hortatus eſſet ut per hoſtes erumperent, a Stratone occidi ſe juſſit. His præliis 150. fere hominum millia cæſa fuiſſe perhibent.

Poſt partam de Bruto victoriam, Octavium inter & Sext. Pompejum bellum exarſit; eventum vario ſæpe certatum erat, cum de rerum ſumma dimicare an. 717. inter utrumque convenit. Erat utrique & navalis & terreſtris exercitus; claſſe pugnatum eſt, dum terreſtres copiæ ſpectant e littore. Ex turrium coloribus, quod ſolum inter utramque claſſem diſcrimen erat, ut vidit Agrippa plures Pompeji naves periiſſe, & ſuos proximos quoſque cohortatus, majori impetu in hoſtes irruit, & obvios quoſque vertit in fugam: tum Cæſaris & claſſis & terreſtris exercitus ingenti jubilo victoriam ſignificat; ingemuit Pompejanus; Pompejus ipſe, qui mox trecentis præerat navibus, vix ſeptem navibus fugit in Aſiam, dum reliqua claſſis deditionem facit, terreſtreſque copiæ ad Cæſarem deficiunt.

III. *Octavii Cæſaris in Sicilia contra Sext. Pompejum.*

IV. *Actium contra M. Antonium.* Sub hæc orto inter Octavium & Antonium bello, ingens utrinque apparatus ad prælium fieri cæpit. Italia, Gallia, Hiſpania, Sicilia, Sardinia, Africa parebant Octavio; Antonio Græcia, Macedonia, Aſia omnis, Ægyptus, & imperio Romano ſubditi Reges undecim. Habebat Antonius naves 500. centum peditum millia, 12 equitum: par Cæſari equitum numerus, peditum 80. millia, naves 250. Duobus præliis ultimæ pugnæ proluſum eſt; altero navali, terreſtri altero: utroque victus eſt Antonius an. 722. quare ſuorum virtuti diffiſus, redire in Ægyptum conſtituit: at claſſico dato dum ex portu Actiaco claſſem educit Cæſar, ſuos ad pugnam parat, graveque prælium vel invito Antonio contractum eſt: navium magnitudine vincebat Antonius, celeritate Cæſar. Dum æquo Marte certatur, Cleopatra, quæ ſtabat in anchoris, in Ægyptum vela facit: abeuntem ſubſequitur Antonius, *fugientiſque Reginæ*, inquit Vellejus, *quam pugnantis militis comes eſſe maluit*. Nec ceſſere tamen Antoniani milites, donec a Cæſarianis pugnari cœptum eſt incendio, quo naves multæ perierunt; cæſa hominum 5. millia, naves captæ trecentæ, terreſtris exercitus 19. legionum ſe dedit Cæſari. Eaque die Octavius ſummum Romani orbis imperium adeptus eſt.

## CAPUT XIII.

### *Urbes a Romanis captæ.*

I. *Veji a Camillo capti.* UT Troja, ita Vejorum decennis obſidio fuit, tumque primum a Romanis ſub pellibus hyematum. Multæ utrinque & acceptæ & illatæ clades, donec a Camillo cuniculus in arcem hoſtium agi cœptus; tum multis locis urbs oppugnata, dumque Vejentes Romanos a muris prohibent, delecti mili-

milites per cuniculum irrumpunt an. 358. Vejentes, qui in armis erant, cæſi; inermes in deditionem accepit; præda data militi. Camillus urbis calamitatem miſeratus illacrymaſſe fertur; deinde precatus eſt ſuperos, *ut ejus rei invidiam quam minimo & ſuo privato publicoque incommodo lenirent*: quæ haud multo poſt & ipſius exilio, & urbe a Gallis incenſa, rata fuerunt. Ipſe ſumma civium lætitia juncto equis albis curru urbem invectus eſt; ſed crimini aliquanto poſt ipſi datum eſt, quod decimam prædæ partem voviſſet Apollini, ipſiuſque dies dicta a Tribuno plebis. Verum is in exilium ſponte abiit, precatus ſuperos, *ut ſi hæc ſibi innoxio fieret injuria, ingratæ civitati ſui deſiderium quamprimum facerent*; quod & aliquanto poſt contigit, cum capta urbe Dictator abſens appellatus eſt. II.

Poſt cladem Cannenſem Capua a Romanis defecit ad Annibalem; quare ubi primum Romana res reſtitui cœpit, Q. Fulvius Flaccus Capuam obſidet. Auxilio venit Annibal; nec tamen aut Romanos elicere ad pugnam, aut urbem obſeſsam liberare licuit. Cum igitur nulla præterea auxilii ſpes eſset, urbs Romanis dedita eſt an. 542. mœnia diruta; domus, magna pars, incenſæ; civitas a ruſticis tantum & vinitoribus habitari permiſsa; populus alio migrare juſsus; Senatores 25. Cales, 32. Theanum in cuſtodiam miſſi, de quorum ſupplicio ad Senatum ſcripſit Ap. Claudius Fulvii Collega: de quo ut ſuboluit Fulvio, homo paulo ſeverior, illico de media nocte cum equitum duobus millibus Theanum advolat, & Campanos Senatores cædi virgis & ſecuri percuti imperat. Inde citatis equis Cales pervenit; jamque in tribunali conſederat, cum ecce a Senatu afferuntur literæ: tum univerſa concio fremere, Senatorum ſupplicium ad Senatum deferre. At Fulvius rem, uti erat, ſuſpicatus, literas clauſas in gremio reponit, Campanoſque a lictoribus necari jubet: ub

*Capua a C. Fulvio Flacco.*

Jubellii Tatireæ facinus memoratur, qui ultro ſe Fulvio obtulit: *quoniam*, inquit, *Fulvi, cupiditate tanta hauriendi noſtri ſanguinis teneris, quid ceſsas in me cruentam ſecurim diſtringere, ut gloriari poſſis, fortiorem aliquanto virum, quam ipſe es, tuo juſsu eſse interemptum? aſpice oculis tuis quidem gratum, animo vero tuo majus opus edentem.* Tum interfectis & conjuge & liberis gladio incubuit.

Syracuſarum & Capuæ par & in Romanos levitas

III. & calamitas. Poſt Hieronis obitum auctore Hieronymo

*Syracuſæ a Marcello.*

Rege ad Annibalem deſciverant. Miſsus in Siciliam M. Marcellus, qui fuſis ſæpe & Pœnis & Siculis urbem obſidione cinxit. Ex quinque veluti urbibus conſtabat, Inſula, Neapoli, Tyche, Epipoli, Acradina, quæ cæteris & arte & natura loci firmior erat. Producta in annum tertium obſidio eſt, tum Siculorum virtute, tum Archimedis maxime induſtria, qui lapidibus, telis miſſilibus Romanos ſæpe ab urbe repulit, ita ut Marcellus interdum diceret; *næ ille fabuloſos Centimanos ſuperat, qui tantam telorum vim ſimul conjicit*: tantuſque timor Romanos inceſserat, ut ſi vel funiculum, vel lignum ex muro conſpicerent, continuo Archimedem inclamantes aufugerent. Nulla Romanis capiendæ urbis ſpes erat, cum Damaſippus Lacedæmonius a Marcello captus eſt: tum ad Trogilorum portum utrinque miſſi, qui de ejus redemtione paciſcerentur. Ibi dum pauliſper ſubſiſtunt Romani milites, muri altitudinem æſtimant, rem Marcello referunt; clam ſcalæ comparantur: dumque cives aut vino madidi, aut obruti ſomno jacent die Dianæ ſacro, Romani evadunt in murum an. 541. Terrendi hoſtis cauſsa ſignum captæ urbis tuba datur. Marcellus fracto hexapylo copias in urbem inducit, quam e ſuperiori loco contemplatus illacrymaſse dicitur, illiuſque juſsu a civium cæde, tectorumque incendio temperatum eſt, cætera prædæ data; nec rapinis

nis ante modus fuit, quam diuturna felicitate cumulatas opes Romanus miles diripuit. Id Marcello præ cæteris ægre fuit, quod præter ipſius voluntatem interfectus ſit a militibus Archimedes: de cujus morte alia aliorum ſententia eſt; vel enim domi confoſſus eſt a milite, dum ducit lineas, illumque orat obnixe, ut ſuſtineat pauliſper, ne quod quærebat, relinqueret imperfectum; vel juſſus a milite, Marcello ſe quamprimum ſiſtere, dum horologia, ſphæras, aliaque id genus abſcondit ſub veſte, a militibus, qui aurum ab eo occultari putabant, trucidatus eſt.

Eadem fraude, qua Syracuſæ a Marcello, a Scipione capta in Hiſpania Carthago eſt. Scipio paternæ cædis ultor in Hiſpaniam ut appulit, novam Carthaginem regionis caput obſidet terra marique. Primum fuſi ad muros Pœni, deinde urbs undique oppugnata; quod vero ſcalæ aut breviores eſſent aut nimio pondere fractæ, Scipio receptui ſignum dat. Tum recentes & integros milites ſcalis admovet, dum ipſe delectos pedites per paludem ad murum ducit: nulla ibi hoſtium ſtatio erat; urbem inopinatus invadit an. 543. & in terga hoſtium, qui ad portas pugnabant, ſævire cæpit. Mago, qui urbi præerat, refugit in arcem, ſeque paulo poſt dedidit. Prædæ ſumma 600. talentorum fuit, naves captæ 113. civibus libertas data, bona etiam illis ſua cuique conceſſa, cætera ſervorum multitudo remigio addicta, aliarum civitatum legati ad ſuos cum honore remiſſi, teneriori etiam ætati data munuſcula. Mago & Senatores 15. Romam miſſi in vincula; cumque inter duos milites contentio eſſet, uter muralem coronam obtineret, uterque corona donatus eſt: at nihil ad Scipionis laudem illuſtrius, quam ipſius & juvenis victoris continentia.

IV. *Carthago nova a P. Scipione.*

V. *Ambracia a M. Fluvio Nobilior.*

Par prope Ambraciæ obſidendæ fuit cauſſa; at captæ etiam lætior conditio fuit. M. Fulvius Nobilior ſortitus Ætoliam, Ambraciam Epirotarum conſilio obſi-

obſidet an. 564. Eupolemus in urbem cum mille expeditis militibus ſe proripit: Nicander vicinam regionem populatur. Eruptio ſæpe ab obſeſſis facta eſt cum Romanorum clade; pars operum incenſa, repulſi ſæpe a mœnibus Romani. Quod tamen nulla ſpes eſſet auxilii, orant per legatos Conſulem, ut gentis quondam ſociæ miſereatur. Ille ut equos armaque tradant, imperat; dena quingenta Euboica talenta, eoſdemque cum Romanis amicos hoſteſque habeant. Iis legibus ſe ſuaque cives permittunt Conſuli. Signa tum ænea, tum marmorea, tabulæ pictæ, quibus præ cæteris Græciæ urbibus ornata civitas erat, a Romanis ſublata devectaque Romam: nihil præterea damni ſive urbi ſive civibus illatum eſt.

VI *Carthago vetus a P. Scipione Æmiliano*

Sortem Carthaginis novæ Carthago vetus aliquanto poſt experta eſt; eoque durior illius conditio fuit, quod a Scipione altero & incenſa fuerit & diruta. Pœni a Romanis, uti dictum eſt, deluſi, ſervos ad libertatem vocant, Aſdrubalem appellant Imperatorem, ferri inopia arma conflant ex argento & auro, claſſem ex domorum ruinis conſtruunt, nectunt funes ex mulierum crinibus, Romanam incendunt claſſem, eaque audacia pugnant, ut eorum fortitudine Calpurniique Piſonis ſegnitie obſidio in tertium annum propagata ſit. Quare Scipio Æmilianus contra leges fit Conſul immatura ætate, eique extra ſortem decreta eſt Africa. Ab eo reſtituta diſciplina militaris; Megara (locus erat ſpatioſus muris contiguus) occupata; caſtra hoſtium incenſa; obſtructus portus urbis, Nepheris vi capta, ibique cæſa hominum 70. millia; tandemque urbs ipſa Carthago an. 607. arxque Byrſa, quo cives fugerant, oppugnata: tum ædibus ſubjectus ignis vix poſt dies 17. extingui potuit. Pœnis tamen a Scipione datum eſt, ut ex arce, qui vellent eſſe ſalvi, excederent. Exiiſſe ferunt virorum

& mu-

& mulierum 50. millia; cæteri cum Aſdrubale, illius uxore, liberis, & transfugis in ſummam arcem ſe proripiunt: unde Aſdrubal cum oleæ ramis ad Scipionem confugit. Illum Scipio ad ipſius pedes aſſidere juſſum oſtentat civibus, cujus fuga acti in furorem transfugæ templo ſubjiciunt ignem. At uxor Aſdrubalis, Scipioni bene precata, in maritum multa probra congerit; duos, quos ex ipſo ſuſceperat, filios coram ipſo jugulat, & eos in ignem ſeque inſuper abjicit. Præda militi conceſſa præter aurum, argentum, & donaria: multa ſociis reſtituta, 4470. pondo argenti delata in ærarium. Ita Carthago poſt 700. annos, ex quo condita fuerat, flammis abſumta eſt; cujus cladi illacrymaſſe Scipio dicitur, veritus ne urbs Roma pari aliquando clade deflagraret. VII

Eodem anno Corinthus, quo Carthago, deleta eſt. Victus, uti alias diximus, apud Leucopetram a Mummio Diæus, domum refugit; illam incendit, conjugem perimit, ipſeque veneno occidit. Corinthii, qui urbis mœnia tuebantur, omnes periiſſe arti, urbem deſerunt: quam civibus vacuam Mummius occupat, diripit, incendit præcinente tuba; arma, dona templorum, tabulas, ſigna, aliaque ornamenta Romam deferri jubet. Quantas opes abſtulerit vel cremaverit, inquit Florus, hinc ſcias, quod quidquid Corinthii æris toto orbe laudatur, incendio ſuperfuiſſe comperimus: nam æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit injuria, quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri, argentique venæ in commune fluxere. Scribit Polybius vidiſſe ſe tabulas in ſolum projectas, & milites ſuper iis ludentes talis, quas inter Bacchus erat, pictus ab Ariſtide; de quo illud, *nihil ad Bacchum*.

*Corinthus a Mummio.*

VIII. *Numantiæ a Scipione Æmiliano*

Numantiam, Hiſpaniæ munitiſſimum oppidum, ſub hæc tempora idem, qui Corinthum, exitus excepit. Fuſis ſæpe Romanis imperatoribus ſumma

erat Numantinorum gloria; cum populus Romanus belli diuturnioris pertæſus, Scipioni Æmiliano nec ambienti nec præſenti & alterum conſulatum detulit, & extra ſortem Hiſpaniam. Is ut venit ad exercitum, militarem diſciplinam ita reſtituit: milites ſingulos & frumentum ad 30. dies, & ſeptenos vallos ferre jubet, & militi ægre propter onus incedenti, *cum gladio*, inquit, *te vallare ſciveris, vallum ferre deſinito*: ſi quem extra ordines deprehendiſſet, ſi Romanus erat, vitibus, ſi extraneus, virgis cædi imperat: jumenta omnia vendi, lectos removeri, nova ſubinde caſtra & munire & demoliri, foſſas ducere, muros exſtruere & diruere. Ubi patientes laboris milites reddidit, propius Numantiam promovit caſtra; oblatum ſæpe ſibi a Numantinis prælium refugit, cum diceret ſibi vitio datum iri, ſi cum hominibus omnium rerum deſperatione efferatis mallet confligere, quam incluſos fame expugnare. Numantini tandem fame vexati, cum nec pugnæ copia fieret, nec ulla ſpes ſupereſset vel pacis vel fugæ, in rabiem furoremque converſi an. 620. duces ſuos, ſe, patriamque ferro, veneno, ſubjectoque igne peremerunt: ne unus quidem fuit, qui in vinculis duceretur, prædaque ut de pauperibus nulla, triumphuſque tantum de nomine, inquit Florus. Aliis tamen aliter ſuper hac re viſum eſt. Scribit Oroſius ſe potu & ſemicrudis carnibus ingurgitaſse, deinde atroci contra Romanos prælio dimicantes periiſse. Sunt etiam, qui deditionem ab iis factam velint, armaque Scipioni tradita; alioſque poſtea ſibi conſciviſse mortem; alios in eum, quo juſſi erant, locum fœdo corporis habitu ſe contuliſſe. Ut ut eſt deleti penitus Numantini, & ſolo æquata Numantia eſt.

IX. *Athenæ a Cornelio Sylla.*

Duæ urbes munitiſſimæ bello Mithridatico a Romanis captæ ſunt, Athenæ & Tigranocerta; illa literarum ſtudiis, hæc opibus celebris; primam cepit

Sylla,

Sylla, Lucullus alteram. Orto Romanos inter & Mithridatem bello, Ariſtio ſive Athenio (aliter enim ab aliis appellatur) Athenas occupavit. In Atticam ut appulit Sylla, Athenas a parte copiarum obſideri imperat, ipſe Pyræeum cum altera petit, ubi vario eventu ad hyemem certatum eſt. Interim ſame laborabatur Athenis, quibus auxilium ferre tentavit Archelaus; at monitus a proditoribus Sylla ſemel atque iterum commeatum avertit: cumque egeret pecunia, ſacros e tota Græcia theſauros corradit, ea tamen lege, ut omnia confecto bello redderet. Cumque Caphis, quem Delphos miſerat, auditum ex adyto citharæ ſonum ſcriberet, vererique ſe, ne Deus Syllæ cladem minaretur, reſcripſit Sylla mirari ſe Caphim, qui non intelligeret, gaudentis Dei eum ſonitum eſse, non indignantis, ne ergo capere dubitet, propitio & largiente Deo. Sub hæc Athenas ſcalis & arietibus oppugnat, urbemque poſt longam obſidionem noctu capit an. *666*. In cives, nulla habita ætatis ſexuſve ratione, ſævitum eſt: erat enim iis infenſus Sylla, quod & ad barbaros nulla cauſsa defeciſsent, & ipſum e muro laceſſiſſent convitiis. Ariſtio in arcem refugit, ubi diu Curionis, quem obſidioni Sylla præfecerat, eluſit impetus, donec fame ſitique vexatus ſe dedit; eoque & die & pene momento maximus imber e nubibus in arcem decidit.

Tigranocerta a Tigrane Armeniæ Rege condita fuit, ornata Regis palatio, hortis, piſcinis, & valida arce munita: hanc urbem ſuperato Euphrate Lucullus obſidet. Regiam extra mœnia ſitam diripit, urbem arcemque foſsa valloque cingit; quodque Tigranes cum infinita barbarorum multitudine obſeſſis veniret auxilio, Murenam obſidioni præficit, ipſe cum undecim Romanorum millibus Regi occurrit: commiſsa pugna Tigranes vincitur. Audita clade Mancæus, qui urbi præerat, mercenarios mi- X. *Tigranocerta a Lucullo.*

 lites,

lites, ſive Græci fuerint, ut ſcribit Appianus, ſive Cilices, ut placet Dioni, arma ponere jubet; tum eos cum armatis barbaris invadit: at ii nihil territi, brachiis veſtibus vice clypei obvolutis, fuſtibus inſtructi, in barbaros irruunt, vertunt in fugam, armis ſpoliant, turres aliquot occupant, in eaſque Romanos evocant. Ita Romani intra mœnia urbemque recepti ingenti præda potiti ſunt, an. 684. urbs direpta, pars diruta, Græci cum viatico in patriam remiſſi, octo millia talentum pecuniæ ſignatæ inventa; inſuper octingentæ drachmæ in ſingulos milites diviſæ, ſcenici ad ludos & ſpectacula reſervati; plerique barbari, qui Tigranis juſſu migraverant Tigranocertam, in ſuas quiſque urbes redire juſſi: ita multæ urbes, una ſpoliata, reſtauratæ.

Dum in Gallia Ciſalpina ob Clodii cædem Cæſar

XI. diſtinetur, Galli de bello conſilia ineunt. Defectio-

*Avaricum a C. Julio Cæſare.*

nis initium a Carnutibus factum eſt: ii dato ſigno Gennabum concurrunt; Romanos, qui negotiandi cauſſa ibi conſtiterant, interficiunt. Fama ad Arvernos celeriter perfertur, ubi Vercingentorix ſummæ potentiæ adoleſcens clientes ad bellum accendit, in agris delectum habet, Rexque a ſuis appellatur. Cæſar magnis itineribus in Lingones prius advenit, quam de ejus adventu hoſtibus nunciari poſſet. Vellaudunum & Noviodunum recipit, Gennabum diripit & incendit, Avaricum obſidet an. 701. Subſequitur Vercingentorix, locumque caſtris non procul deligit, ut Romanos a pabulatione & frumentatione prohiberet: tanta erat difficultas rei frumentariæ, ut plures dies & frumento & pecore caruerint; nulla tamen vox eſt ab iis audita tot indigna victoriis: quin etiam cum Cæſar oppugnationem dimiſſurum ſe diceret, ſi inopiam ferrent acerbius, univerſi ab eo, ne id faceret, petere; præſtare omnes perferre acerbitates, quam non civibus Romanis, qui Gennabi cæſi fuerant, parentare. Interim

terim Cæſar aggerem apparare, vineas agere, turres exſtruere cœpit: contra obſeſſi aggerem cuniculis ſubtrahere, crebris eruptionibus aut aggeri ignem inferre, aut milites in opere occupatos adoriri, & Romanos pice & ſaxis a muris prohibere. Romani 25. diebus aggerem latum pedes 330. & altum 80, exſtruunt: hunc Galli tentant incendere, alii faces atque aridam materiem, alii picem in aggerem jacere, alii e portis erumpere, & Romanos cædere. Reſtincto tandem aggere, Cæſar poſtero die turrim promovet, quodque paulo incautius ob coortum imbrem cuſtodias in muro diſpoſitas videret, jubet ſuos languidius in opere verſari, legiones intra vineas in occulto collocat; iis, qui primi murum aſcendiſsent; præmia proponit: dato ſigno milites evolant, murumque celeriter complent. Galli abjectis armis in ultimas urbis partes refugiunt, parſque ibi a militibus, pars jam egreſsa portis ab equitibus eſt interfecta. Nec fuit quiſquam qui prædæ ſtuderet; nec ſenibus, nec mulieribus, nec pueris parcitum eſt: ex 40. civium millibus vix 800.; qui primo clamore audito ex oppido ſe ejecerant, incolumes ad Vercingentorigem pervenerunt.

XII. *Aleſia a C. Julio Cæſare.*

Cladem Biturigum gravior Galliæ fere totius defectio excepit; mali auctores fuerunt, qui in officio hactenus perſtiterant, Hedui. Hi petunt a Vercingentorige, ut ad ſe veniat, rationeſque belli gerendi communicet. Totius Galliæ concilium Bibracte indicitur: ad unum omnes Vercingentorigem probant Imperatorem. Collectis undique copiis jurare jubent equites, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ne ad parentes aditum habeat, qui non bis per hoſtium agmen perequitaſſet. Continuo equeſtre certamen committitur, vincuntur Galli Vercingentorix Aleſiam verſus, quod Mandubiorum oppidum erat, iter facere cœpit, ubi iterum equeſtri certamine funditur. Quare equitatum a ſe dimittit;

man-

mandat, ut civitatem ſuam quiſque adeat, omneſque ad bellum cogant: ipſe in oppidum ſe cum peditibus recipit, quod circumvallare Cæſar inſtituit. Munitionis circuitus erat undecim millia paſſuum, caſtella opportunis locis 22. facta, omneque opus varia arte munitum. Interim Galli collectis equitum 12. millibus, peditum circiter 250. ad Aleſiam perveniunt; ſæpe inita equitum certamina, ſæpe oppugnatæ munitiones, dum Vercingentorix ex urbe erumpit, ſemper fuſi Galli; tandem omnibus prope viribus pugnatum eſt. Jamque vallum & lorica reſciſſa erant a Gallis, cum Romanis venit auxilio Labienus, accurrit ipſe Cæſar. Clamore ſublato ad conſpectum Imperatoris renovatur prælium; miſſis pilis, gladiis res geritur; hoſtes terga vertunt, occurrunt fugientibus equites. Fit magna cædes, & continuo e caſtris Gallorum fuga; magnus numerus capitur, reliqui in civitates diſcedunt. Poſtero die Vercingentorix concilio convocato ad utramque rem ſe offert, ſive morte ſua Romanis ſatisfacere, ſeu vivum tradere velint. Mittuntur de his rebus ad Cæſarem legati an. 701. Jubet arma tradi, principes produci; ipſe in munitione pro caſtris conſedit: eo duces producuntur, Vercingentorix deditus, Cæſar captivos prædæ nomine militibus diſtribuit; tum & Ædui & Arverni, quæ imperaret, facturos ſe pollicentur. Ita iterum pacata omnis Gallia eſt.

DIS,

# DISSERTATIO TERTIA.

## MORTES ILLUSTRIUM ROMANORUM.

## CAPUT PRIMUM.

*Mortes illuſtrium Romanorum, ab Urbs condita ad Reges exactos.*

DE Romuli morte alia ab aliis traduntur. In eo tamen pleriq; conveniunt, quod a Patribus, quibus erat inviſus, propter impotentiam diſcerptus ſit, an. regni 37.; ſive in curia, ut vult Valerius; ſive in æde Vulcani, ut placet nonnullis apud Plutarchum; ſive potius quæ Dionyſii & Livii ſententia eſt, ad Capreæ paludem, dum concionem haberet aut recenſeret exercitum. *Orta tempeſtas ſoliſque defectio*, inquit Florus, *conſecrationis ſpeciem præbuere. Cui mox Julius Proculus fidem fecit, viſum a ſe Romulum affirmans auguſtiore forma, quam fuiſſet; mandare præterea, ut ſe pro Deo colerent; Quirinum in cœlo vocari. Abi, nuncia, inquit, Romanis, Cœleſtes ita velle, ut mea Roma caput orbis terrarum ſit: proinde rem militarem colant.* *Mortes* I. *Romuli.*

Ut Romulus bello, ita Numa pace Romanam rem auxit: nec enim quoad vixit, aut inteſtina ſeditio, aut externum bellum civitatis otium turbavit; *id conſecutus*, inquit Livius, *ut & ſubditi eum amarent, & finitimi æmularentur, & poſteri honorifica memoria celebrarent. Integris ſenſibus annum vitæ* II. *Numæ.*

*vitæ agens octogeſimum, nullo conflictatus infortunio, facillima morte abſumptus eſt*, V. C. an. 81. Ne corpus ſuum de more cremaretur, prohibuit: corpus in una arca conditum eſt, ipſius libri incluſi in altera. Aliquanto poſt arcæ ſive ab agricolis effoſſæ ſunt, ſive aquarum impetu e tumulo avulſæ; quæ titulum Regis ſepulti habuerat, inanis inventa abſque ullo veſtigio humani corporis, in altera vel lapis repertus, ut vult Plinius l. 13. c. 13.; vel duo faſces, ut Livius l. 40. & in ſingulis ſeptem libri non integri modo, ſed recentiſſima ſpecie. Librorum alii alium numerum produnt: Livius & Valerius quatuordecim, apud Plinium duodecim Varro, Valerius Antias quinque tantum numerat, quos tradit Pythagoricos fuiſſe partim Græcos, partim Latinos. Valerius illos, quod ad ſolvendam religionem pertinerent, crematos ſcribit; hos vero ſumma ſervatos diligentia. Combuſtos omnes Livius & Plutarchus memorant.

III. *Servii Tullii.* Tullia Servii Tullii filia Tarquinio, cui poſtea Superbo nomen fuit, per ſummum ſcelus nupſerat; cum ipſa maritum, ille uxorem veneno ſuſtuliſſet. Tarquinius ſumtis regni inſignibus in comitium prodiit an. 219. tum Patres vocari in Senatum jubet. Convenere alii rerum novarum ſpe, alii metu, ne non veniſſe fraudi eſſet. Trepido nuncio excitatus Servius accurrit, & a veſtibulo curiæ, *quid hic*, inquit, *Tarquini, rei eſt? qua tu audacia, me vivo, vocare auſus es Patres, aut in ſede conſidere mea?* Quum ille ferociter ad hæc, *ſe Patris ſui tenere ſedem; multo quam ſervam potiorem filium Regis regni hæredem*. Tum clamor ab utriuſque fautoribus oritur, & Servium Tarquinius arripit medium, & per curiæ gradus in comitium dejicit. Sub hæc advenit Tullia Tarquiniumque prima Regem ſalutat, Tullius prope exſanguis domum repetebat, cum ab iis, qui a Tarquinio miſſi erant, occiditur:

tur:

tur. Creditur admonitu Tulliæ id factum, quæ recenti cadaveri ſupervenit; dumque horrore commotus hæreret auriga, illum Tullia ſcabello petit inclamans; *non ages, ſceleſte, vel per mortuum?* Ipſe vi mulos per cadaver egiſſe fertur; unde hic vicus *ſceleratus* dictus eſt.

VI Filiorum L. Bruti.

Exul apud Etruſcos Tarquinius Romam legatos miſerat, qui bona ipſius repeterent. Hi cum multos e civibus, tum Bruti filios Titum & Tiberium ad ſuas partes alliciunt an. 245. In ædes Aquiliorum conveniunt conjurati: interim pincerna quidam nomine Vindicius Valerium admonet. Ille continuo cum amicis advolat; capit conjuratos, eoſque ante Conſules ſiſtit. Tum Brutus filiis dicendi, ſi quid vellent, poteſtatem facit: cum uterque fleret, indicto ſilentio capitalem in eos pater profert ſententiam. *Exuit patrem*, inquit Valerius, *ut Conſulem ageret; orbuſque vivere, quam publicæ vindictæ deeſſe maluit*. Continuo juvenes pro tribunali virgis cæſi, & relegati ad palum ſecuri percuſſi ſunt; *quum inter omne tempus pater, vultuſque & os ejus ſpectaculo eſſet, eminente animo patrio inter pœnæ publicæ miniſterium.*

V. L. Junii Bruti.

Tarquinio inſidiæ cum male ceſſiſſent, ad apertam vim progreſſus exercitum an. 245. contra Romanos ducit. Venienti occurrunt Romani, & trajecto fluvio copias inſtruunt: dextro cornu præerat Valerius, ſiniſtro L. Brutus. Provectus ex acie Etruſca Aruns Tarquinius convitiis Brutum inceſſit: *Ille eſt vir qui nos extorres expulit patria; Dii Regum ultores adeſte:* eumque ad ſingulare certamen vocat. Probrorum impatiens Brutus procurrit extra ordines, tantoque uterque impetu alter in alterum ruit, ut certo uterque ictu confoſſus ſit, cuſpide alter in coſtas, alter in ilia impacta: equi etiam colliſis pectoribus in poſteriores pedes erecti seſſores excuſſerunt. Valerius Bruti Collega, fuſis hoſtibus,

ſtibus, illius corpus in forum deferri juſſit, & funebrem orationem habuit.

VI. *Valerii Poplicolæ.* P. Valerius, cui a ſingulari in populum Romanum amore *Poplicolæ* cognomen fuit, patricia dignitate, pulſis ex urbe Regibus, quatuor intra ſeptennium conſulatibus, bellis duobus confectis, totidem triumphis clariſſimus, an. urbis 251. obiit. Ea fuit viri illius continentia, ut moriens non haberet, unde pro patricii dignitate ſepeliretur: quod ut per urbem vulgatum eſt, eximius in ipſum civium ſuorum amor enituit, Senatus impenſas in ſepulturam ex ærario decrevit, ipſiuſque corpus intra urbem præter morem ſepeliri prope forum juſſit; quo honore, inquit Dionyſius, præterea dignatus eſt neminem. Mulieres quoque communi conſenſu depoſitis auro & purpura eum per annum luxerunt, quod ſummo ipſi honori ac decori fuit.

## CAPUT II.

*Mortes illuſtrium Romanorum, ab exactis Regibus ad bella Punica.*

I. *M. Coriolani.* M. Coriolanus, cujus virtus tum in bello contra Volſcos, tum in Coriolanæ urbis expugnatione enituerat, injuria damnatus ad Volſcos confugit. Volſcorum copiis præficitur; Romanos ſæpe vincit, urbem denique obſidet an. 266. Miſſi ad eum legati, deinde ſacerdotes cum infulis; ſed fruſtra: tum Veturia illius mater uxorque Volumnia caſtra Volſcorum petunt. Coriolanus quum ferret matri obviæ complexum, mulier in iram ex precibus verſa; *ſine, priuſquam complexum accipio, ſciam ad hoſtem, an ad filium venerim.* Tum eam complexum Coriolanus, *viciſti*, inquit, *mater, quod nec tibi, nec mihi bene vertet: patriam quidem ſervaſti, pium vero filium perdidiſti.* Ubi copias ab urbe reduxit,

duxit, invidia oppreſſum a Volſcis ferunt; ſed alii alio mortis genere. Lapidibus obrutum Plutarchus; ſibi mortem conſciviſſe Cicero in Lælio; Fabius Pictor apud Livium ad ſenectutem perveniſſe refert, eumque exacta ætate hanc ſæpe uſurpaſſe vocem: *Multo miſerius ſeni exilium eſſe*.

II. *Sp. Caſſii.*

Spurius Caſſius, triplici Conſulatu & duplici triumpho inſignis, a Quæſtoribus Cæſone Fabio & L. Valerio ambitæ tyrannidis poſtulatus anno 269. e rupe ſpectante populo præceps actus eſt; illius ædes dirutæ, bona fiſco addicta, filiique hæreditate privati. Sunt qui patrem, cognita domi cauſſa, eum necaſſe velint.

III. *Sp. Melii.*

Dum cives Romæ fame laborant, Sp. Melius ex equeſtri ordine, ut illis temporibus, prædives, frumento privata pecunia emto, largitiones facere inſtituit; cumque & ambire regnum & in domum arma conferre diceretur, Dictator appellatur an. 329. L. Quinctius Cincinnatus, Magiſter equitum C. Servilius Ahala. Is Sp. Melium ad Dictatorem venire jubet, eumque, dum populi implorat fidem, obtruncat. Tum Dictator vocata concione pronunciat Melium jure cæſum: illius etiam & domus diruta & bona publicata.

IV. *Fabiorum ad Cremeram.*

Quod Vejentes agrum Romanum identidem popularentur, a Senatu decretum eſt, ut poſitum in Vejentum finibus præſidium ipſos ab agro Romano prohiberet. Fabii id ultro in ſe recipiunt, M. Fabio & Cæſone Fabio ducibus; ab his ad Cremeram caſtrum excitatum, duplicique foſſa cinctum. Inde multæ Vejentibus illatæ clades, quibuſcum fœdus tandem initum eſt; ſed undecim Etruriæ populi Fabiis bellum minantur, ni diruant caſtrum Cremerenſe: de quo ut nunciatum Romæ eſt, juſſus Menenius Conſul auxilium ferre, qui dum circa urbem moras trahit, Cremera ab Etruſcis obſeſſa, Fabii alii poſt alios an. 277. per inſidias cæſi. Trecenti &

ſex

ſex viri ex ea gente fuiſſe perhibentur, omneſque ad unum necati; e quibus præſtabant Cæſo, Marcus, & Quintus, ſeptem continuis Conſulatibus inſignes. Unus ex tota gente Marco ſuperſtes fuiſſe filiolus dicitur; vere an falſo, incertum: negat Dionyſius affirmant alii. Poſt Menenius ab Etruſcis actus eſt in fugam: ſed paulo poſt victi ſunt ab Horatio altero Conſule.

M. Manlius, vir quidem fortiſſimus, quippe qui
V triginta ſeptem dona militaria tulerat, ſed *nimius*
*M. Manlii.* *animi*, inquit Livius, *& vitio ingenii vehemens & impotens*, cum alios civitatis principes ſperneret, uni invideret Camillo, popularis factus eſt; noviſque tabulis & largitione regnum affectare viſus, a Cornelio Coſſo Dictatore in carcerem conjicitur: ſed mox populi metu liberatus, plebem ad vim concitat. Quare dies ipſi a Tribunis plebis dicitur an. 370. tum ille res a ſe præclare geſtas commemorare, hoſtium ſpolia ducumque dona proferre, & ad Capitolium, quod contra Gallos tutatus erat, ſupplices manus identidem tendere; cumque plebs amica ferret ſuffragia, in locum, unde in Capitolium conſpectus non erat, abductus eſt. Ibi a Tribunis plebis damnatus e ſaxo Tarpejo in præceps dejectus eſt; *locuſqe idem in uno homine & eximiæ gloriæ monimentum & pœnæ ultimæ fuit*. Hæc Livius. Adjectæ etiam duæ ad infamiam notæ ſunt publica una, gentilitia altera: latum enim ad populum eſt, ne quis Patricius in Capitolio habitaret; & gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis deinde M. Manlius vocaretur. *Vir*, ut ait Livius, *niſi in libera civitate natus eſſet, memorabilis*. Paulo poſt peſtilentia ex Manliano ſupplicio orta multis viſa eſt, *violatum Capitolium eſſe ſanguine ſervatoris*, &c.

VI. Latinis bellum illatum eſt, quod Magiſtratus pa-
*L. Decii.* ri cum Romanis & numero & imperio poſcerent,

& L.

& L. Annius Setinus eorum Legatus in Senatum ſuperbius reſpondiſſet. Duo Conſules an. 413. M. Manlius torquatus & P. Decius ad Capuam caſtra locant; utrique in quiete viſa ſpecies viri auguſtioris quam pro humano habitu, dicentis ex una acie Imperatorem, ex altera exercitum diis Manibus deberi: utrius exercitus Imperator ſe devoviſſet, ejus populi victoriam fore. Inter Conſules convenit, ut ab utra parte cedere exercitus cœpiſſet, inde ſe Imperator devoveret. Manlius dextro cornu, Decius lævo præerat: primo utrinque æquis viribus gerebatur res; deinde ab lævo cornu haſtati Romani non ferentes impreſſionem Latinorum, ſe ad principes receperunt. Tum Decius incinctus ritu Gabino in equum inſiluit, ac ſeſe in medios immiſit hoſtes; conſpectus ab utraque acie aliquanto auguſtior humano viſu: Latinorum turbavit ſigna, & quocunque equo invectus eſt, vaſtam edidit ſtragem: ubi vero telis obrutus corruit, inde conſternatæ Latinorum cohortes fugam ac vaſtitatem late fecerunt. Hæc fere Livius. Plus tamen momenti ad victoriam attulit Manlii prudentia, quam Decii mors. Is enim contra feſſos Latinorum triarioſ ſuos & integros & recentes immiſit, a quibus tanta cæde ſævitum eſt, ut vix quarta hoſtium pars evaſerit. Caſtra poſt prælium capta; Decii corpus inter hoſtium acervos repertum, & ſumma pompa a Manlio tumulatum eſt. Ea virtute eoque conſilio M. Manlius in hoc prælio fuit, ut facile convenerit inter omnes, utrius partis Manlius dux fuiſſet, ejus futuram baud dubie fuiſſe victoriam.

Eodem quo Decius cecidit bello, Manlius Torquati filius juſſu patris cæſus eſt Edixerant Conſules, ne quis extra ordinem pugnaret. Sub hæc T. Manlius Conſulis filius inter cæteros turmarum præfectos exploratum miſſus an. 413. ſupra hoſtium caſtra ad teli jactum evaſit. Tum illum Metius ad ſin- VII. *T. Manlii.*

gulare certamen provocat: movet ferocem juvenis animum ſeu ira, ſeu pudor; oblitus itaque paterni imperii, præceps ad id certamen agitur, ſpiculumque fixit inter aures equi hoſtilis. Doloris impatiens equus excuſſit equitem, quem cuſpide Manlius terræ affixit; deinde detractis ſpoliis ad tentorium patris redit. *Ut me omnes*, inquit, *pater, tuo ſanguine ertum vere ferrent, provocatus equeſtria hæc ſpolia capta ex hoſte cæſo porto*. Quod ut Conſul audiit, filium averſatus, concionem claſſico advocari jubet: quæ ut frequens convenit, filium arguit violati imperii; tum ad palum alligari, cervicesque amputari imperat. In Conſulem coortæ omnium voces, ut neque lamentis, neque execrationibus parceretur. Peracto bello, Manlio redeunti a ſenibus obviam proditum eſt; ſed eum omni vita Romana juventus averſata eſt, quod patrem oblitus tyrannum egiſſet in filium innocentem. Unde factum, ut Manliana imperia non in præſentia modo horrenda ſed exempli etiam triſtis in poſterum eſſent.

Adverſus Gallos, Samnites, Etruſcos, Umbros

VIII. lecti Conſules, Q. Fabius quintum, & P. Decius

*P. Decii Junioris.*

quartum; qui tribus Conſulatibus & Cenſura Collegæ fuerant, duo his temporibus Reipublicæ lumina. Uterque in Etruriam miſſus; in patenti campo an. 458. pugnatum eſt: dextro cornu Galli, ſiniſtro Samnites conſtiterunt; Etruſci enim & Umbri aberant. Primo concurſu æquis viribus geſta res eſt. Fabii milites Gallos arcebant magis, quam inferebant pugnam, ut feſſos facilius vincerent; Decius quidquid virium habuit primo certamine effudit: jamque bis Gallicum equitatum averterat, cum Galli pugnantes e curribus fragore Romanorum equos conterrent, equitatumque omnem inanis pavor diſſipat. Tum Decius patris exemplo ſe hoſteſque diis Manibus, Livio Pontifice præeunte, devovet; deinde in confertiſſimam Gallorum ſe conjecit

aciem,

aciem ubi hoſtium telis confoſſus eſt. Poſt Fabius acrius hoſti inſtare cœpit, juſſitque equites in Samnites irruere: ii non tulerunt impetum. Galli teſtudine facta conferti ſtabant; nec dum victi, donec a tergo circumventi ſunt: Cæſa eo die 25. hoſtium millia & octo capta perhibentur. Decii corpus poſtridie inventum, cui ſummo honore juſta perſoluta ſunt. Redux in urbem Fabius triumphavit.

## CAPUT III.

*Mortes illuſtrium Romanorum, a bello Punico primo ad Gracchorum ſeditiones.*

MUltis attriti cladibus Carthaginenſes, Romam de pace & captivis permutandis legatos mittunt. Inter Pœnos miſſus Attilius Regulus, antea Romanus Imperator, tum captivus; ſed adſtrictus jurejurando, ut niſi ea impetraret, Carthaginem rediret ad vincula. Romam ut venit, pro Pœno ſe geſſit. dixitque ſe *ex illa die, qua in Pœnorum poteſtatem venerat, Romanum eſſe deſiiſſe*; ita Eutropius. In Senatum extra urbem coactum admiſſus, *Nos*, inquit, *P. C. Carthaginenſes ad vos miſerunt (nam ego quoque jure belli ſervus eorum factus ſum) petentes imprimis, ut pax iis conditionibus, quas utrinque probaveritis, fiat: ſin id nolitis, ſaltem captivi permutentur.* Tum juſſus a Conſulibus inter Senatores aſſidere, non paruit, priuſquam annuiſſent Carthaginienſes. Rogatus ſententiam, *Ego*, inquit, *P. C. ſi vel millies captus fuero, unus veſtrum ſum; corpus Africani juris eſt, animus Romanus eſt: itaque cum vobis conſultum cupiam, pacem cum Pœnis nullo modo re veſtra eſſe duco.* Ita fere Zonaras; ſubiecitque certam ſibi eſſe perniciem: cumque ipſius cauſſa ad pacem Senatus propenderet, reſpondit, *ſe nec diu victurum*, *qui*

I. *M. Attilii Reguli.*

*qui dudum Carthagine venenum ebibiſſet; nec in ea manſurum civitate, in qua dignitatem boneſti civis Pœnorum captivus retinere non poſſet*. Eaque fuit ſeu fide in Pœnos, ſeu ſeveritate in ſuos, ut nec urbem ingredi, nec uxorem ad colloquium admittere ſuſtinuerit. Reverſus Carthaginem an. 502. in carcerem conjectus eſt. Primum id tantum cibi datum eſt, unde vitam ægre ſuſtentaret; & adductus elephas, a quo territus nec corpore nec animo conquieſceret. Tum præciſis palpebris, ne connivere poſſet, Solis radiis objectus eſt. In dolio denique incluſus præfixo claviculis, quorum aculeis miſere laceratus interiit; quæ tradunt Gellius & Zonaras. De quo Romam ut allatum eſt, Pœnorum captivorum nobiliſſimi quinque Attilii liberis deditì ſunt, & ab iis aud abſimili mortis genere interemti.

II. *Cn. & P. Scipionum.* Cneo & Publio Scipionibus fratribus paria prope omnia fuerunt, animi magnitudo, ſcientia rei militaris, victoriarum ſplendor, & mortis etiam genus. P. Scipio a Maſſiniſſa diu laceſſitus in caſtris, dum Indibili an. 541. obviam iret, ut, quocunque occurreret loco, pugnam conſereret. Ab equitibus Numidis circumventus, dum fortiter dimicat, lancea transfixus occubuit. Continuo Aſdrubal & Mago, aſſumto etiam Aſdrubale Barchino, movent in Cn. Scipionem fraternæ cladis ignarum, qui militum numero longe inferior ſubductis in collem copiis reſtitit aliquandiu; donec vel in eo tumulo, ut volunt nonnulli, vel, ut Livius, in turri quo fugerat, interficitur. Ambo ſummi viri, & ſummorum virorum parentes. Publius enim Scipionum Africani majoris & Aſiatici pater fuit; Cneus vero Scipionis Naſicæ, qui vir optimus dictus eſt.

III. *M. Claudii Marcelli.* M. Claudius Marcellus quinque Conſulatibus, opimis ſpoliis Jovi Feretrio conſecratis, fuſo ſemel atque iterum Annibale, captiſque Syracuſis clariſſimus,

mus, ob virtutem bellicam populi Romani *gladius* vulgo dictus, inſidiis tandem Annibalis an. 545. occidit. Inter Punica & Romana caſtra tumulus ſilveſtris erat ab neutris primo occupatus; poſtea tamen Annibal aliquot Numidarum turmas medio in ſaltu condidit: cumque fremerent in caſtris Romani occupandum illum tumulum, ambo Conſules Marcellus & Criſpinus cum equitibus 200. eo ſe conferunt. Ubi in tumulum ventum eſt, continuo Numidæ clamore ſublato impetum faciunt: fugiunt, qui cum Conſulibus erant, 180. Etruſci; Fregellani quadraginta fortiter pugnando rem ſuſtinent, donec vulneratus uterque Conſul, ſed alter altero multo gravius: Criſpinus enim fuga ſibi conſuluit; Marcellus transfixus lancea prolapſus ex equo occubuit. Tanta fuit in Marcello cum Annibale pugnandi cupiditas, ut id aſſiduis diu uſurparet ſermonibus, id noctu ſomniaret, frequentibus votis a diis expoſceret. Cum fuſus ab Annibale ad pugnam poſtero die aciem inſtrueret, dixiſſe fertur Annibal: *Papæ! quid hoc homine ſacias, qui nec bonam nec malam fortunam ferre poteſt? ſolus, nec victor ſinit nos quieſcere, nec quieſcit ipſe victus.* Mors Marcelli, cum alioqui miſerabilis, tum quod nec pro ætate neque pro veteris prudentia ducis tam improvide ſe, collegam, & publicam rem in præceps dederat.

L. Æmylius Paulus, jam Conſulatu & triumpho de Illyriis clarus, Terentio Varroni homini plebejo datus eſt Collega. Eum privatim monuit Fabius, plus ipſi cum Varrone, quam cum Annibale negotii fore; illius temeritati obſiſteret; arte & induſtria, non præliis fugandum Annibalem. Paruit Æmylius, ſed fruſtra fuit: pugna Varronis imprudentia commiſſa eſt an. 537. Victi Romani: Paulus, dum fortiter dimicat, funda graviter ictus, ſuos & voce & exemplo, quamdiu per vires licuit, ad pu-

IV. *L. Æmylii. Pauli.*

gnandum cohortatus eſt. Romanis tandem vel cæſis vel fugatis, ipſe, deficientibus viribus, in tumulo conſedit; quem cruore oppletum cum Cn. Lentulus Tribunus militum vidiſſet, oblato equo hortatus eſt ad fugam. Recuſat Æmylius, & abeuntem monet *nunciare Patribus, ut urbem muniant, & antequam hoſtis victor adveniat, præſidiis firment; privatimque Fabio, L. Aemylium præceptorum ejus memorem & vixiſſe & mori. Tu me in hac ſtrage militum meorum patere expirare, ne ut reus inteream, aut cauſſa Conſulatus accuſator Collegæ exiſtam, ut alieno crimine innocentiam meam protegam*. Paulo poſt ab hoſtibus, ignorantibus quis eſſet, telis confoſſus eſt.

V. *P. Africani Majoris*. Utriuſque Scipionis Africani vita rebus geſtis clariſſima extitit, mors obſcurior civium invidia. Africano Majori, poſt devictum a fratre Antiochum, dies a M. Nævio Tribuno plebis, vel Petiliis, agente (ut fama tum erat) Catone, ad populum dicta eſt. Accuſationis capita erant hæc, filium, captum ab Antiocho, ſine pretio redditum; ipſum ab Antiocho, quaſi pacis bellique fuiſſet arbiter, cultum eſſe: & alia hujuſmodi. Juſſus dicere cauſſam Scipio, magno amicorum comitatu deductus in forum an. 566. roſtra conſcendit; & orationem adeo magnificam ſine ulla criminum mentione de rebus a ſe geſtis exorſus eſt, *ut ſatis conſtaret neminem unquam neque melius neque verius laudatum eſſe*. Producta dies eſt, quæ ut illuxit, Scipio magno agmine amicorum clientiumque feſto habitu per mediam concionem ad roſtra ſubiit; ſuoque capiti corona triumphali impoſita: *Hoc*, inquit, *die, Tribuni plebis, voſque Quirites, cum Annibale collatis ſignis in Africa bene ac feliciter pugnavi; æquum eſt me hinc recta in Capitolium ad gratias Superis agendas ire. Ite mecum, Quirites, & orate deos, ut mei ſimiles principes habeatis: ſi ab annis 17. ad ſenectutem ætatem meam honoribus veſtris anteiſtis, ego*

*veſtros*

*veſtros honores rebus gerendis præceſſi*. Continuo univerſa concio, Senatus, equeſter ordo, plebs cuncta in Capitolium ſecuta eſt. A Capitolio per totam urbem omnia templa circumiit, ac majore prope gloria, quam cum triumpharet de Syphace Rege & Carthaginienſibus, urbem eſt invectus. Librum rationum coram populo concerpſiſſe dicitur: *indignans*, inquit Livius, *quod cum bis millies in ærarium intuliſſet*, *quadragies*, *quæ illius ſummæ tantula par eſt*, *ab ſe poſceretur*. Hic ſpecioſus ultimus dies P. Scipioni illuxit: nam certamina cum Tribunis plebis proſpiciens, Linternum, Campaniæ ad maris littus oppidum, conceſſit; *major enim natura & animus erat, quam ut reus eſſe ſciret*: ubi abſque urbis deſiderio obiiſſe perhibetur, & uxori moriens imperaſſe, ne funus ſibi in ingrata patria fieret. Ubi tamen & obierit & ſepultus ſit, incertum eſt, Romæ, an Linterni: erant enim utrobique illius monumentum & ſtatua, Livio teſte. Cum in exilium abiit Scipio, multi dicebant, *duas maximas orbis terrarum urbes ingratas in Principes fuiſſe*, *Romam ingratiorem*; *ſiquidem victa Carthago victum Annibalem expuliſſet*, *Roma victrix victorem Africanum*.

Par Æmylii Pauli virtus fuit, felicior exitus. Is VI.
Romæ poſt devictum Perſeum obiit an. 593. cujus *L. Æmylii Junioris.*
pompa funebris, inquit Plutarchus, nec auro, nec ebore, ſed eximia tum civium tum populorum, quos devicerat, benevolentia ornata eſt. Nam qui tum Romæ fuerunt juvenes (Legatos appellat Valerius) Macedonum, Ligurum, Hiſpanorum, ejus feretrum honoris ergo ultro ſubierunt. Id etiam Æmylio gloriæ datum eſt, ut teſtantur Florus & Victor, ut cum maximas opes in Urbem tribus triumphis intuliſſet, vix ex auctione bonorum ejus redactum ſit, unde dos uxori ejus redderetur.

## CAPUT IV.

*Mortes illuſtrium Romanorum, a Gracchorum ſeditionibus ad bellum civile Marii & Syllæ.*

I. *Tib. Gracchi.* TIberio & Cajo Gracchis fratribus par ingenium fuit, eadem conſilia, idem etiam exitus. Erant Tiberii Conſularis filii, & Africani majoris ex filia nepotes. Cum ægre ferret Tiberius improbatum a Senatu Mancini turpe cum Numantinis fœdus, quod ipſo & auctore & quæſtore ictum erat, a recta via deflexit; *vir alioqui innocentiſſimus* inquit Vellejus, *& ingenio florentiſſimus*. Hæc illi crimini data, quod Tribunus plebis pecuniam Attali dividi juſſiſſet, quod civitatem pollicitus eſſet Italis, tuliſſet legem agrariam, vetuiſſet ne quis amplius quadraginta poſſideret agri jugera, ſe Cajumque fratrem & Appium ſocerum Triumviros agris dividundis legiſſet. Dum concionem ad ſuos in Capitolio habet Gracchus an. 630. Conſules, quid agendum opus ſit, conſulunt: per vim cum agendum nihil diceret Conſul Mutius Scævola, tum Scipio Naſica, privatus licet & togatus, magna voce clamavit, *qui ſalvam vellent Rempublicam, ſe ſequerentur*. Continuo optimates Senatus, ex equeſtri ordine multi, multi e plebe una tendere in Capitolium, & in Gracchanos irruere. Illi nec numero nec viribus pares non reſiſtere; ſed primum cedere loco, deinde palam fugere: at Tiberius, dum relicta toga in tunica clivo Capitolino decurrit, prolapſus eſt; ſurgentique unus e Collegis Satureius, caput afflixit ſubſellii pede. Illo mortuo, in ſocios ſævitum eſt; trecenti ſive fuſtibus ſive lapidibus cæſi, ferro nullus; cadavera projecta in Tiberim: *quod initium in urbe Roma*, inquit Vellejus,

civilis

*civilis ſanguinis gladiorumque impunitatis fuit: inde jus vi obrutum, potentiorque habitus prior; diſcordiæque civium, antea conditionibus ſanari ſolitæ, ferro dijudicatæ.* Tiberii Gracchi indolem ita expreſſit Vellejus l. 2. *Vir alioqui vita innocentiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſanctiſſimus; tantis denique adornatus virtutibus, quantis perfecta & natura & induſtria mortalis conditio recipit.*

C. Gracchus, poſt quæſturam in Sicilia ſumma cum laude geſtam, ſemel atque iterum Tribunus plebis factus eſt. Cum in multis Senatum offendit, tum in iis duobus præcipue; quod & legem frumentariam tulerit, & judicia communicarit Equitibus. Cum vero eandem, quam frater, ſectam ſequeretur, eundem habuit exitum. Primum L. Opimius, Graccho multis nominibus infenſus, ejus leges antiquavit. Quod cum ille ferret acerbius, plebis implorat opem; una cum Fulvio Conſulari armat multitudinem, & Aventinum an. 632. occupat: deinde Opimius Patribus imperat, ut arma capiant; Equitibus, ut ſinguli binos ſervos armis inſtructos adducant: tum in Gracchanos fit impetus. Sagittariorum Cretenſium metu alii alio dilapſi ſunt. Fulvius in balneum confugit; unde extractus una cum filio natu majore obtruncatus eſt. Cajus in ædem Dianæ, inde in lucum Furinæ ſe proripuit; dum amici Pomponius & Junius ad pontem ſublicium hoſtium impetum ſuſtinent: nec prius cuiquam patuit aditus, quam uterque occumberet. Denique Cajus vel ab Euphoro famulo, ipſo lubente, necatus eſt, ut vult Vellejus; vel, ut alii apud Plutarchum, a fuga cum Euphoro retractus una cum ipſo, dum ille heri corpus ſuo tegit, ab Opimianis confoſsus eſt: caput ab Septimulejo lancea præfixum ad Conſulem delatum. Corpus Corneliæ matri ad ſepulturam permiſsum. Tria hominum millia vel cum Graccho, vel paulo poſt ſuppliciis cæſa. Luctuoſa imprimis

II. *C. Gracchi.*

Ful-

Fulvii natu minoris cædes, qui annorum duodeviginti, pugnæ & armorum expers, in cuſtodia necatus eſt; id tantum ætati & innocentiæ datum, ut genus mortis ſuo arbitratu eligeret. Hæc Plutarchus & Appianus. Ita de Cajo Graccho Vellejus: *Qui Tib. Gracchum, idem Cajum fratrem ejus occupavit furor, tam virtutibus ejus omnibus, quam huic errori ſimilem; ingenio etiam eloquentiaque longe ſuperiorem.* Utriuſque Gracchi imago his a Plutarcho coloribus depicta eſt: *Vultu & obtutu blandus erat, & compoſitus Tiberius; acer Cajus & vehemens. Itaque in concionando ille modeſte non ſe movebat loco; hic primus Romæ deambulavit inter dicendum, & togam ex humero divulſit ..... Deinde oratio fulminans & exaggerata affectibus; dulcior Tiberii, magiſque commiſerationem movens: dictione pura hæc, atque exquiſite elaborata; Caji artificioſa & ſplendida: pari modo in victu & menſa frugalis & ſimplex Tiberius; Cajus, ſi cum aliis eum contendas, reſtrictus & continens, ſi cum fratre, grandis & exquiſitus. Mores reſpondebant orationi: ſuperior lenis & placidus; iracundus alter & fervens .... audacia vero adverſus hoſtes, juſtitia adverſus populares, officiorum in muneribus ſedulitas, & adverſus voluptates continentia par in utroque.*

III. *Pub. Scipionis Africani Minoris.*

Luctuoſa fuit Africani Minoris ſeu mors, ſeu cædes. Agris dividundis Triumviri creati ſunt, Fulvius Flaccus, C. Cabro, & C. Gracchus, Tiberii, qui nuper cæſus erat, frater. Iis cum obſiſteret Scipio, nuper e Numantia victor; interrogatus de cæde Tib. Grachi, *jure cæſum videri*, reſpondit, *ſi Rempublicam opprimere ſtatuiſset*: clamoremque cum concio omnis tolleret, *hoſtium*, inquit *armatorum toties clamore non territus, qui poſsum veſtro moveri, quorum noverca eſt Italia?* Tum de periculo ſalutis ſuæ conteſtatus, domum ſanus rediit; po-

ſtridie

ſtridie mortuus in cubiculo inventus eſt an. 624. Nocturna vis dormienti illata creditur; quædam enim eliſarum faucium notæ in cervice repertæ ſunt, ſi Vellejo credimus. Nulla de ipſius morte quæſtio habita eſt; ejuſque corpus velato capite elatum eſt. Criminis admiſſi ſuſpicio tum in Fulvium recidit, tum in Semptoniam Scipionis uxorem; quod & ſoror eſſet Gracchorum, quibuſcum Scipioni ſimultas erat, & ob deformitatem nec a Scipione amata, nec amaſſe Scipionem diceretur. Hæc multis Appianus. Scipionis Æmiliani laudes his verbis complexus eſt Vellejus l. 2. *P. Scipio Aemylianus, vir avitis P. Africani paterniſque L. Pauli virtutibus ſimillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingenii ac ſtudiorum eminentiſſimus ſæculi; qui nihil in vita niſi laudandum aut fecit, aut dixit, aut ſenſit: tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque doctrinæ & auctor & admirator fuit, ut Polybium & Panætium præcellentes ingenio viros domi militiæque ſecum habuerit: neque enim quiſquam hoc Scipione elegantius intervalla negotiorum diſpunxit; ſemper inter arma & ſtudia verſatus, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercuit.*

IV. *L. Apuleji Saturnini & C. Servilii Glauciæ.*

Triſtiorem etiam exitum an. 653. ſortiti ſunt L. Apulejus Saturninus & C. Servilius Glaucia. Ab iis percuſſores in comitia immiſſi, qui Memmium, Glauciæ in prætura competitorem, conficerent; inde ingens oritur tumultus, ſolviturqne concio. Populus Apulejum & Glauciam ad mortem depoſcit; M. Æmilius Scaurus Senatus Princeps, quamvis confectus ſenio, arma induit, & ſpiculo innixus imbellis ſenex, ante fores curiæ, Equites, Senatores, & maxime Marium Conſulem hortatur, ut libertatem legeſque manu defenderent. Continuo Saturninus & Glaucia hoſtes a Senatu appellati, & a Mario Conſule in Capitolio, quo fugerant, obſeſſi; tum ab eo incluſi in curia, ubi a populo

pulo convulſis tecti tegulis oppreſſi ſunt. Hæc fere Appianus.

Nec Tiberii nec Caji Gracchorum cædes M. Livium Druſum aliquanto poſt a ferendis agrariis legibus deterruit: leges quidem tulit, ſed Italicis civitatem dare aggreſus, ab hoſtibus an. 662. oppreſſus eſt. Quo enim urbis omnes ſibi conciliet ordines, in Italiam Siciliamque multas colonias deducit; inter Senatores ex equeſtri ordine trecentos adſcribi jubet; judicia, quæ Gracchanis legibus penes Equites erant, Senatui communicat: unde in ordinis utriuſque odium incurrit. Ægre enim erat Senatoribus, tot in Senatum allegi Equites; & Equitibus, Senatui communicari judicia. Quare inviſus pene omnibus cum raro prodiret in publicum, & in obſcura porticu cœtus haberet domi, ſub veſperam dimiſſurus multitudinem exclamavit & continuo cecidit, & *lateri infixo cultro*, inquit Vellejus, *intra paucas horas expiravit*. Nulla de ejus cæde habita quæſtio eſt, latæque ab eo leges reſciſsæ ſunt. De M. Druſo hæc pauca l. 2. Vellejus. *M. Livius Druſus vir nobiliſſimus, eloquentiſſimus, ſanctiſſimus, meliore inter omnia ingenio animoque, quam fortuna uſus.*

V. *M. Livii Druſi.*

## CAPUT V.

*Mortes illuſtrium Romanorum, a Bello Civili Marii & Syllæ uſque ad Bellum Pompeji & Cæſaris.*

I. *Sulpicii.*

P. Sulpicius in bello Syllano, cujus auctor fuerat, primus occubuit. Cum enim gratia, opibus, ingenio floreret, ſive odio Syllæ, ſive novarum rerum ſtudio ſeſe Mario addixit; anno enim 666. Tribunus plebis imperium Syllæ abrogat, & Mario bellum Mithridaticum decernit. Sylla urbe pellitur, qui

qui paulo poſt ab exercitu receptus urbem occupat, Marium & Sulpicium ejicit. Sulpicius dum fugit, proditus a ſervo in Laurentinis paludibus occiſus eſt. Sylla ſervo, quod inimicum tradidiſſet, primo dari pileum juſſit; deinde, quod dominum prodidiſſet, e Capitolio egit præcipitem. Sulpicii eloquentiam Cicero deſcribit in Bruto: mores Vellejus l. 2. Cicero. *Fuit Sulpitius, vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis, &, ut ita dicam, tragicus Orator; vox cum magna, tum ſuavis & ſplendida; geſtus & motus corporis ita venuſtus, ut tamen ad forum, non ad ſcenam inſtitutus videretur: incitata & volubilis, nec ea redundans tamen, nec circumfluens oratio.* Vellejus. *P. Sulpitius Tribunus plebis, diſertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenii & animi celeberrimus ..... quaſi pigeret eum virtutum ſuarum, & ei bene conſulta male cederent, ſubito pravus & præceps.*

Fœdatam multis cædibus urbem ſive Marii ſive Cinnæ juſſu proditum eſt: principem in ea ſtrage locum obtinet Conſul Octavius. Ejecto ex Italia Mario, Conſules a Sylla creati Octavius & Cornelius Cina; at is pecunia corruptus. Italos in urbem evocat. Quare ab Octavio aliiſque civibus urbe pellitur, Conſulatu, bonis, honoribus ſpoliatur, illique ſufficitur Cornelius Merula: tum Cinna receptus ab exercitu, qui circa Nolam erat, junctis cum Mario copiis Romam obſidet, & in ea an. *666.* recipitur, ea tamen lege ne ſæviret in cives. Ille ultro pollicitus, *ſe ſcientem mortis cauſſam fore nemini*, Octavium ex urbe diſcedere jubet. Parere recuſat Octavius; cum diceret, *malle ſe Conſulem agere, quam fugitivum*. Quare a Saturnino quodam in Conſulari habitu & Sella Curuli, ut auctor eſt Vellejus, capite truncatus eſt: caput delatum ad Cinnam primum pro roſtris poſitum fuit. II. *Octavii.*

In

III. *L. & C. C. ſarum Q. Catuli, Corn. Merulæ P. Craſſi.* In cæteros Syllanæ factionis principes itidem ſævitum eſt. L. & C. Cæſares fratres ambo, ille Conſularis & Cenſorius, hic Ædilitius, Poeta, & Orator eximius, de quo multa in Oratore Cicero: Q. Catulus Marii & in quinto Conſulatu & in victoria Cimbrica Collega: Cornelius Merula Cinnæ Conſuli ſubrogatus: P. Craſſus cognomento Sapiens, triumpho & cenſura nobilis, civilis illius belli furore perierunt; ſed alii alio mortis genere. Lucius Cæſar domi, Cajus hoſpitis, quem ſæpe defenderat; proditione a Marianis necatus eſt. Catulus in domo calce nuper obſita incluſit ſe, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, mortem magis voto ſuo quam arbitrio inimicorum obiit. Merula, abdicato magiſtratu, *inciſis venis ſuperfuſoque altaribus ſanguine*, inquit Vellejus, *deos in Cinnæ execrationem precatus ſpiritum reddidit*. Craſſus, ne quid ſua virtute indignum pateretur, gladio ſe transfixit. Capita in roſtris ad ludibrium expoſita; corpora alitibus & feris projecta.

IV. *M. Antonii Oratoris.* Octavii cæde territi urbis principes alii alio diffugiunt. M. Antonius Orator ille clariſſimus, quem in libris de Oratore loquentem inducit Cicero, apud hominem plebejum aliquandiu delituit; at cauponis perfidia an. 667. proditus eſt. Dum enim ſervus hoſpitis Antoniani ab caupone vinum emit, illudque deguſtat paulo quam ſolebat curioſius; rogat caupo, quid hoc rei ſit? Servus illi ut amico rem ſicut erat, aperit: ille continuo Marium admonet, qui præ lætitia exclamaſſe & manibus plauſiſſe dicitur. Miſſus ab eo eſt, vel Antonius ex Valerio, vel Annius ex Plutarcho, qui Antonium occideret. Is ad oſtium domus ſubſtitit, & in cubiculum intrare milites jubet; quos ut vidit Antonius, tanta illos ſuavitate alloqui, tantaque eloquentia mortem deprecari cæpit, ut illum nec aſpicere milites nec attingere auſi ſint, ſed defixo in

terram

terram obtutu illacrymarentur omnes: quod ubi ſenſit Annius, ſtricto gladio in domum irrumpit, Antonium obtruncat, illiuſque caput defert ad Marium. M. Antonii oratoris ingenium, eloquentiam, dicendi genus M. Tullius in Bruto expreſſit; cujus verba hic appingere libuit. *Erat memoria ſumma; nulla meditationis ſuſpico: imparatus ſemper aggredi ad dicendum videbatur. In verbis & eligendis & collocandis nihil non ad rationem & tanquam ad artem dirigebat. Sed cum hæc magna in Antonio, tum actio ſingularis: geſtus erat non verba exprimens, ſed cum ſententiis congruens manus, humeri, latera, ſupploſio pedis, ſtatus, inceſſus, omniſque motus cum verbis ſententiiſque conſentiens: vox permanens, verum ſubrauca natura; ſed hoc vitium huic uni in bonum convertebat; habebat enim flebile quiddam in quæſtionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad miſericordiam commovendam.*

V. *C. Marii.*

Haud multo poſt, belli civilis auctor C. Marius obiit an. 667. Fuit is inſigne ludentis fortunæ documentum. Ex milite Imperatoris Legatus, ex Legato & Conſul ipſe & Imperator, omnium pene civium ſuffragiis, ſex Conſulatus, multas victorias, geminum triumphum adeptus eſt: tum ex tanto honorum faſtigio momento decidit, urbe pellitur, exul & egens errat per Italiæ littora, & a Syllanis, ubi mento tenus in palude aliquandiu delituit, capitur, morti addicitur, mittiturque ad eum necandum ſervus publicus natione Cimber; at is viri majeſtate territus e carcere refugit, magna voce clamitans: *non poſſum occidere Marium*. Inde dimiſſus a Minturnenſibus ſcapha fugit in Africam. Ibi copias colligit, redit in Italiam, junctus Cornelio Cinnæ urbem capit, multos e nobilibus obtruncat, ſeptimum occupat Conſulatum, & 17. die poſt moritur. Cum audiſſet Syllam cum victore exercitu advolare in Italiam, a cœna de rebus

a ſe

a ſe geſtis collocutus cum amicis dixiſſe fertur, *non eſſe viri prudentis iterum ſe fortunæ committere:* inde ſalutatis amicis, cum dies ſeptem continuos decubuiſſet, deceſſit. Ambitionis etiam in morbo apparuerunt indicia: viſus enim ſibi cum Mithridate bellum gerere; varios uti ſolebat in præliis, & motus corporis & clamores identidem edidit: *difficile dictu eſt*, ut ait in Epitome Livius, *an bello melior, an pace pernicioſior: quamque Rempublicam armatus ſervavit, eam primo togatus omni genere fraudis, poſtremo armis hoſtiliter evertit.* C. Marii ſepties Conſulis vitia Vellejus l. 2, virtutes Salluſtius in bello Jugurthino referunt: utriuſque verba ſubjiciam. Hæc Vellejus. *C. Marius natus equeſtri loco, hirtus atque horridus, vitaque ſanctus, quantum bello optimus, tantum pace peſſimus, immodicus gloriæ, inſtabilis, impotens, ſemperque inquietus.* Ita Salluſtius. *Illum jam antea Conſulatus ingens cupido exagitabat, ad quem capiendum præter vetuſtatem familiæ alia omnia abunde erant, induſtria, probitas, militiæ magna ſcientia, animus belli ingens, domi modicus, libidinis & divitiarum victor, tantummodo gloriæ avidus. Sed is natus, & per omnem pueritiam Arpini alitus, ubi primum ætas militiæ patiens fuit, ſtipendiis faciendis, non Græca facundia, neque urbanis munditiis ſeſe exercuit; ita inter bonas artes integrum ingenium brevi adolevit.*

L. Cornelius Cinna, ubi ingentem contra Syllam collegit exercitum, ſe cum Carbone in annum proximum Conſulem deſignat: tum ut Syllæ occurreret, in Dalmatiam trajicit an. *669.*, at milites alii deficiunt, alii contra cives arma laturos ſe negant. Quare Cinna concionem evocat, minaſque intentat militibus; cumque lictor de via multitudinem ſubmovens obvium pulſaſſet militem, miles lictorem repercutit, quem dum Conſul corripi jubet, fit clamor

VI. *L. Cornelii Cinnæ.*

mor

mor militum, a quibus primum ad ſaxa, deinde ad gladios ventum eſt, in eodem tumultu Cinna confoditur. De L. Cinna quater Conſule ita Vellejus l. 2. *Vir dignior, qui arbitrio victorum moreretur, quam iracundia militum; de quo jure dici poteſt, auſum ea, quæ nemo auderet bonus, perfeciſſe quæ a nullo niſi fortiſſimo perfici poſſent; & fuiſſe eum in conſultando temerarium, in exequendo virum.*

L. Cornelius Sylla, devictis Marianorum partibus, Dictator appellatus cum 24. faſcibus proceſſit, multo plures quam Marius proſcriptione cives ſuſtulit, Rempublicam præclaris conſtituit legibus; ſed nihil mirum magis, quam quod tot tantiſque ſtragibus civium editis Dictatura ſponte ſe abdicavit, privatuſque vixit incolumis: haud multo poſt pediculari morbo abſumptus interiit. Jam febri correptus Granium ad ſe evocat, quodque pecuniam ad reficiendum Capitolium dare differret, ſtrangulari jubet; ſed clamore nimio dirupta vomica vim magnam ſanguinis profudit, & paulo poſt an. 675. expiravit: ita Valerius & Plutarchus. Abdicatio Dictaturæ ita grata populo accidit, ut ipſius funus incredibili pompa celebrarit; ipſius enim cadaver, ut Appianus prodidit, Puteolis in urbem, præcinentibus tubis, equitatu deducente, in lectica aurea, ornatu regio delatum eſt. Ante lecticam prælata Dictaturæ inſignia, coronæ aureæ bis mille, infinita prope & legionum, quibus præfuerat, & civitatum dona. Corpus deducebant Sacerdotes, Veſtales, Senatus univerſus, cum ſuis inſignibus Magiſtratus. Aderat ingens tibicinum numerus lugubre quidpiam concinentium; pro roſtris deinde laudatus; tum a Senatoribus lectica in campum Martium delata, ubi ſolos Reges ſepelire olim moris erat, & circa rogum decurrerunt tum equites, tum reliquus exercitus: ita vel in ipſo funere felix Sylla fuit. Epigramma a ſe compoſitum ſuo inſcribi ſe-

VII. *L. Cornelii Syllæ.*

pulcro voluit; cujus hæc ſententia erat, *ſe nec amicorum beneficiis, nec inimicorum injuriis ſuperatum*. Syllæ Dictatoris naturam Salluſtius, corporis habitum Plutarchus deſcripſit. Salluſtii verba ſunt hæc: *Sylla Patriciæ gentis nobilis fuit . . . literis Græcis juxta ac Latinis doctiſſime eruditus; animo ingenti, cupidus voluptatum, ſed gloriæ cupidior; otio luxurioſo eſſe, tamen a negotiis nunquam eum voluptas remorata . . . . . facundus callidus, & amicitia facilis; ad ſimulanda negotia altitudo ingenii incredibilis; multarum rerum ac maxime pecuniæ largitor: atque illi feliciſſimo omnium ante civilem victoriam nunquam ſuper induſtriam fortuna fuit; multique dubitavere fortior, an felicior eſſet.* Et paulo poſt. *Ad hoc milites benigne appellare; multis rogantibus, aliis per ſe ipſe beneficia dare; invitus accipere, ſed ea properantius, quam æs mutuum reddere; ipſe a nullo repetere; magis id laborare, ut illi quamplurimi deberent; joca atque ſeria cum humillimis agere; in operibus, in agmine, atque ad vigilias multus adeſſe; neque interim, quo parva ambitio ſolet, Conſulis, aut cujuſquam boni fama lædere: tantummodo neque conſilio, neque manu aliquem priorem pati.* Ita Plutarchus breviter. *Oculos glaucos, qui perquam erant amari & truces, color faciei magis efferabat aſpectu; effloreſcebat enim aſpera rubedo albedine ſparſim interfuſa: unde ſannio quidam Athenis in eum hoc verſu uſus eſt.*

VIII. *Mora ſi ſpargas farina, talis eſt forma Syllæ.*

*Sertorii.* Sertorius Marianarum partium dux, relatis in Hiſpania victoriis longe clariſſimus, ſuorum proditione interiit, cum ſemel atque iterum pugnaſſet, & ad labores ætatis vitio eſſet remiſſior. Perpenna, qui inter amicos principem locum obtinebat, de illo interficiendo conjurat; tum rumorem ſpargit hoſtes a P. Sertorii Legato magna ſtrage victos, Sertorium-

toriumque ad cœnam invitat. Sub cœnam ille in lectulo recubuit; dumque convivæ vino ſe madidos ſimulant, Perpenna phialam inter bibendum in terram projicit, quod conjuratis pro ſigno erat. Continuo Antonius, qui ad lectuli caput aſſidebat, Sertorium pugione ferit, ambaſque illius manus occupat, dum ab aliis multis vulneribus an. 681. confoditur. Nec diu impunitum Perpennæ ſcelus fuit, mox enim a Pompejo acie victus, illius juſſu cæſus eſt.

Poſtquam audiit Catilina detectam conjurationem, ſumtumque de Lentulo, Cethego, aliiſque ſupplicium, per devios tramites an. 691. in Galliam fugere conſtituit: at ubi vidit Alpium aditus præcluſos a Metelli Celeris exercitu, nec procul abeſſe L. Antonium, ſtatuit cum Antonio confligere. Aberat quidem tum Antonius pedibus æger; ſed Petrejo Legato exercitum permiſerat. Utrinque inſtructa acie ſignis infeſtis concurritur; Catilina ſtrenui militis & boni Imperatoris ſimul officia exequitur. Ubi vero fortiſſimos quoſque e ſuis cecidiſſe videt, generis memor & dignitatis, in confertiſſimos hoſtes incurrit, ibique pugnans confoditur. Poſt pugnam longe a ſuis inter hoſtium cadavera repertus eſt, paululum etiam ſpirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, in vultu retinens. Hæc Salluſtius. Illius caput Romam ab Antonio miſſum ſcribit Oroſ. L. Catilinæ virtutes & vitia perſecuti ſunt, cum ipſe Cicero in Oratione præſertim pro M. Cœlio, tum Salluſtius initio belli Catilinarii. Ciceronis verba ſunt hæc: *Habuit enim ille permulta maximarum non expreſsa ſigna, ſed adumbrata virtutum. Utebatur hominibus improbis multis; & quidem optimis ſe viris deditum ſimulabat: erant apud illum illecebræ libidinum multæ; erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli ac laboris: flagrabant vitia libidinis apud illum; vigebant etiam ſtudia rei militaris. Neque ego* IX. L. Catilinæ.

 *unquam*

*nunquam fuiſſe tale monſtrum in terris illum puto, tam ex contrariis diverſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis cupiditatibuſque conflatum. Quis clarioribus viribus quodam tempore jucundior, quis turpioribus conjunctior? quis civis meliorum partium aliquando, quis tetrior hoſtis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior, quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior, quis in largitione effuſior? Illa vero in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitia, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, ſervire temporibus ſuorum omnium, pecunia, gratia, labore, ſcelere etiam ſi opus eſſet & audacia verſare ſuam naturam, & regere ad tempus; atque huc & illuc torquere & flectere: cum triſtibus ſevere, cum remiſſis jucunde, cum ſenibus graviter, cum juventute comitere, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxurioſe vivere.* Ita vero Salluſtius *L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi & animi & corporis, ſed ingenio malo pravoque. Huic ab adoleſcentia bella inteſtina, cædes, rapinæ, diſcordia civilis grata fuere; ibique juventutem ſuam exercuit. Corpus patiens inediæ, algoris, vigiliæ, ſupra quam cuique credibile eſt. Animus audax, ſubdolus, varius, cujuslibet rei ſimulator & diſſimulator, alieni appetens, ſui profuſus, ardens in cupiditatibus: ſatis eloquentiæ, ſapientiæ parum. Vaſtus animus immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiebat.*

X. *P. Clodii.* P. Clodius odio & exilio Ciceronis, quem urbe expulit, nobilitatus ad poſteros, ita a Milone cæſus eſt. Conſulatum petebant Hypſæus, Metellus, & Milo. Clodius Hypſæo & Metello favebat, Miloni non item. Erat enim ipſe cum multis nominibus inſenſus, tum maxime, quod Ciceronis Milo ſtudioſus eſſet: ſub hæc Clodius Miloni occurrit ad Bovillas an. 701. cum ille e villa in urbem equo vectus rediret, hic Lanuvium peteret cum familia. Ut Clo-

Clodius præteriit, Milonis famulus illum invadit (juſſus a Milone, an ſecus, incertum) in occiput gladio vulnus infligit; dumque defertur Clodius in proximum diverſorium, accurrit cum ſuis Milo hominemque conficit; ſpirantem adhuc an exanimem, non liquet. Miloni perſuaſum erat de cæde Clodii, illo mortuo, ſe facilius, quam de vulnere, eo vivo, abſolutum iri. Ubi illuxit, pro roſtris cadaver poſitum eſt, deinde translatum in curiam; ubi congeſtis ſubſelliis rogus exſtructus eſt, ignisque illi ſubjectus, quo una cum cadavere curia omnis deflagravit: deinde in amicos Milonis per dies aliquot ſaxis, ferro ſævitum eſt. De P. Clodio hæc breviter Vellejus l. 2. *P. Clodius homo nobilis, diſertus, audax, qui neque dicendi, neque faciendi ullum, niſi quem vellet, noſset modum, malorum propoſitorum executor acerrimus.*

M. Craſſus a Surena victus an. 700. primum Carrhas, deinde Syriam verſus refugit; ſed ab Andromacho quodam proditus eo deducitur, quo Surena cum equitatu continuò advolat: Craſſo, ſi deſcendat e colle, pacem pollicitur. Romani milites, quibus nec in armis, nec in fuga ſpes ulla ſupererat, fremunt ineundum fœdus. Craſsus eorum clamoribus victus, *Vos*, inquit, *Octavi*, *Petroni*, *& quotquot adeſtis Præfecti*, *cernitis quam vim patiar; verum nunciate*, *ubi incolumes fueritis*, *deceptum ab hoſtibus Craſsum*, *non a civibus deditum periiſse*: tum cum paucis ad Surenam pergit. Craſsum ille ut vidit; *quid hoc rei eſt? Pedes Romanus Imperator*, *& nos equo vehimur? Nihil ab utroque peccari* reſpondit Craſsus, *cum more uterque patrio congrederetur*. Interim Surena equum adduci jubet, ut ad leges fœderis ſcribendas una irent ad flumen; *neque enim fœderum*, inquit, *vos Romani memores eſtis*. Tum equo Craſsus imponitur; dumque illum & abducere Parthi & Romani retinere nituntur, fit

XI. *M. Craſſi.*

 pugna:

pugna: Craſsus, Octavius, aliique duces occiduntur. Craſſi caput Orodi miſsum ludibrio fuit, aurumque liquidum in rictum oris infuſsum, ex Floro; *ut cujus animus arſerat auri cupiditate, ejus etiam mortuum & exſangue corpus auro uteretur.* Hac etiam exprobratione uſum Orodem ſcribit Cicero: *Aurum ſitiſti, aurum bibe.*

## CAPUT VI.

*Mortes illuſtrium Romanorum, in Bello Civili Pompeji & Cæſaris.*

I. *C. Curionis.* C. Curio, patre conſulari & triumphali genitus, Tribunus plebis, una cum M. Antonio fugit ad Cæſarem; deinde e Sicilia cum quingentis equitibus & duabus legionibus trajicit in Africam, ubi ſecundis aliquot præliis uſus, Imperatoris nomen adeptus eſt: at dum Uticam, quo Pompejani fugerant, obſidet, advenit cum ingenti exercitu Juba. Cum Sabura illius duce bene quidem pugnatum eſt; at poſtero die Curio ab hoſtibus circumfuſus cum toto exercitu an. 704. deletus eſt: qui in caſtris præſidio relicti erant, pars fugerunt in Siciliam, pars a Mauris cæſi. De Curione hæc pauca Vellejus l. 2. *C. Curio vir nobilis, eloquens, audax; ſuæ alienæque & fortunæ & pudicitiæ prodigus homo ingenioſiſſime nequam, & facundus malo publico; cujus animo, voluptatibus, vel libidinibus neque opes ullæ, neque cupiditates ſufficere poſſent.*

II. *Cn. Pompeii Magni.* Fugatus ad Pharſalum Pompejus primum ſolus citato equo Lariſſam contendit; tum paucos morum e fuga nactus nocturno itinere ad mare, deinde navi oneraria ad Lesbum, tum in Cyprum, denique in Ægyptum pervenit. Ægypto præerat. Ptolemæus Dionyſius, etiam tum puer. Alia aliorum de

Pom-

Pompejo ſententia fuit. Dum alii recipiendum dicerent, rejciendum alii; neutrum probavit Theodorus Chius, ne aut hoſtem haberent Cæſarem, aut victor poſtea Pompejus injuriam ulciſceretur. Ptolemæo, ut Pompejum necaret, auctor fuit; nihil inde ſive a Pompejo ſive a Cæſare fore periculi. In eam ſententiam itum eſt: miſſique, qui Pompejum occiderent, Achillas & Septimius. Exceptus ab iis in navicula Pompejus an. 705. confoditur; qui peti ſe gladiis ut ſenſit, toga faciem obtexit, nec quidquam Pompejo Magno indignum aut dixit aut fecit. Caput ab Achilla delatum ad Regem, corpus a Septimio in fluctus, a fluctibus, in littus projectum. Ibi vel a Servio Codro ſepultum eſt, ut auctor eſt Aurelius Victor, tumuloque hæc addita inſcriptio eſt; *Hic jacet Pompejus Magnus*: vel quod verius putem, a Philippo liberto combuſtum, qui dum cadaver componit ad funus, adſtitit gravi ætate Romanus civis, qui prima olim ſub Pompejo ſtipendia fecerat. *Tu*, inquit, *quis hominum es, qui Pompejo Magno paras juſta perſolvere? Libertus illius ego ſum;* reſpondit Philippus. *Atqui hoc decus*, ſubjicit ille, *non apud unum te reſidebit. Patere me in hujus tecum gloriæ partem venire; & mecum poſt tot labores belle auctum putabo, ſi & manibus meis contrectare & humo tegere liceat ſummum populi Romani Imperatorem.* Oblatum eſt paulo poſt Cæſari Pompeji caput; ſed ille tetrum ſpectaculum averſatus illacrymaſſe dicitur, Pompejique amicos, in Ægypto captos a Rege, benigne excepit, ſcripſitque Romam ad ſuos, *eum ſe fructum ex victoria capere maximum, quod quotidie cives aliquot ſervaret.*

Pompeji Magni imago a Vellejo & Plutarcho adumbrata eſt. Ita a Vellejo: *Fuit hic genitus matre Lucilia, ſtirpis Senatoriæ, forma excellens, non ea, qua flos commendatur ætatis, ſed ex dignitate*

*conſtanti, quæ in illam conveniens amplitudinem, fortunam quoque ejus ad ultimum vitæ comitata eſt diem: innocentia eximius, ſanctitate præcipuus, eloquentia medius, potentiæ, quæ honoris cauſſa ad eum deſerretur, non ut ab eo occuparetur, cupidiſſimus; dux bello peritiſſimus, civis in toga, niſi ubi vereretur ne quem haberet parem, modeſtiſſimus; amicitiarum tenax, in offenſis exorabilis, in reconcilianda gratia, fideliſſimus, in accipienda ſatisfactione facillimus; potentia ſua nunquam, aut raro ad impotentiam uſus, pene omnium vitiorum expers; niſi numeraretur inter maxima, in civitate libera dominaque gentium indignari, cum omnes cives haberet pares, quemquam æqualem dignitate conſpicere. Nam neque Pompejus, ut primum ad Rempublicam aggreſſus eſt, quemquam animo parem tulit; & in quibus rebus primus eſſe debebat, ſolus eſſe cupiebat; neque eo viro quiſquam, aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupivit: in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundiſſimus: ut qui eos libentiſſime iniret, finiret æquo animo, & quod cupiſſet arbitrio ſuo ſumere, alieno deponeret.* Paulo aliter Plutarchus: *Pompejo, cur diligeretur, multæ cauſſæ fuerunt, vitæ temperantia, rei militaris ſcientia, facundia in dicendo, fides morum, comitas in conveniendo; qui nemine minus importune rogabat, vel hilarius largiebatur roganti: oſtendebat enim in dandis beneficiis ſerenitatem, & gravitatem in accipiendis. Vultu initio præditus ſuit non mediocriter gratioſo, qui præveniebat ejus orationem: nam veneres ejus erant cum humanitate conjunctæ, atque in vigore floreque juventutis ſenilis elucebat & regia majeſtas. Jam modice ſurrecta coma, oculorumque lenis modulatio reddebat faciei ejus uſurpatam magis ſermonibus, quam repræſentatam cum Alexandri Regis ſtatuis ſimilitudinem.*

Uti-

Uticam defendendam Cato receperat; ſed ubi rem perditam victo Scipione, ſeque deſertum ab aliis videt, cæteris ad fugam naves attribuit, ipſe an. 706. mori ſtatuit. Sub cœnam de Philoſophicis cum Philoſophis multum diſputat; poſt deambulationem ſolito vultu it cubitum, librumque Platonis de immortalitate animæ legit in mediam noctem; deinde gladio pectus trajicit. Strepitu (lecto enim exciderat) excitati ſervi irrumpunt in cubiculum, humi jacentem in lectum proponunt, obligantque vulnus, ſed fruſtra; nam paulo poſt ſuis ipſe manibus vulnus dilacerat, multoque effuſo ſanguine expiravit. Filium ad Cæſarem miſiſſe ſcribit Dio, cum diceret *ipſum præſenti rerum ſtatui aſſuefieri poſſe, ſe autem, qui in libertate natus atque educatus conſenuerat, ſervitutem deinceps ferre non poſſe, & Cæſaris gratiam longe ſibi morte graviorem futuram.* De quo ut nunciatum eſt Cæſari: *Invidio*, inquit, *Cato, hoc lethum tibi; nempe tu mihi ſalutem invidiſti tuam:* ita Plutarchus. De Catonis morte præclare ut ſolet Seneca, cujus hæc ſunt ex Ep. 25. ad Lucilium. *Ultima illa nocte Platonis librum legerat, poſito ad caput gladio: duo hæc in rebus extremis inſtrumenta proſpexerat, alterum ut vellet mori, alterum ut poſſet.* III. M. Catonis.

Egregias Catonis Uticenſis virtutes & Salluſtius in bello Jugurthino & Vellejus l. 2. perſecuti ſunt. Salluſtii teſtimonium, cum de C. Cæſare agemus, infra referemus. Hic Velleji verba adſcribere ſatis erit. Ita ille. *M. Cato, genitus M. Catone principe familiæ Porciæ, homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio diis, quam hominibus, propior; qui nunquam recte fecit, ut facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat; cuique id ſolum viſum eſt rationem habere, quod haberet juſtitiam: omnibus vitiis humanis immunis, ſemper fortunam in ſua poteſtate habuit.*

Haud

IV. *P. Scipionis.* Haud lætitiorem Pompeji ſocer P. Scipio habuit exitum. Amiſſo ad Thapſum exercitu an. 706. fugit in Hiſpaniam, diu multumque jactatus fluctibus vel in Mauritaniam, ut vult Dio, vel ad Hipponem Regium, ut placet aliis, tempeſtate defertur. F. Sitius, qui claſſi Cæſarianæ ibi præerat, navem invadit capitque. Tum Scipio, ne in hoſtium poteſtatem veniret, ſe gladio transfixit; quærentibuſque Cæſarianis, *ubinam eſſet Imperator?* proſtratus in puppi reſpondit; *Imperator bene ſe habet:* & continuo expiravit. *Hæc vox*, inquit Seneca, *parem illum majoribus fecit, & fatalem Scipionibus in Africa gloriam non eſt interrumpi paſſa: multum fuit Carthaginem vincere, ſed amplius mortem; nec aliter debebat Imperator, & quidem Catonis more.*

V. *C. Julii Cæſaris.* Multi honores Cæſari poſt victoriam Hiſpanicam delati. Menſis Quinctilis illius nomine *Julius* vocatus, ex Appiano; curia Hoſtilia deſtructa eſt, ut reſtaurata *Julia* diceretur, ex Dione; ipſi *divi Julii* nomen impoſitum, templumque Clementiæ illi conſecratum, ex Suetonio; collegium Lupercorum in illius honorem conſtitutum, ex Dione; diadema ab Antonio illi oblatum, ex Cicerone & Suetonio. Hæc vero C. Cæſari a civitatis principibus crimini data ſunt: quod ipſi ſella aurea in theatro poſita eſſet, coronaque auro & gemmis inſignis; quod dum Alba ovans rediret, Rex eſſet appellatus; quod tribunos, qui candidam faſciam ipſius ſtatuæ impoſitam detraxerant, depoſuiſſet; quod ſedens pro æde Veneris Senatui non aſſurrexiſſet; quod proximo Senatu L. Cotta ſententiam dicturus eſſet, libris Sibyllinis contineri Parthos, niſi a Rege, vinci non poſſe, ideoque Cæſarem *Regem* eſſe appellandum. Principes conjurationis erant M. Brutus, L. Caſſius D. Brutus, Trebonius. Idibus Martiis an. 709. in Pompeji curiam Senatus vocatus erat: ſomniis pro-

prodigiiſque territus Cæſar continere ſe domi ſtatuerat, cum ecce advenit Decimus Brutus conjurationis particeps, qui, ut in curiam veniat, hortatur: eo die veniſſe Senatum ut illi tria ad gloriam immortalia deferat; ut perpetuo Dictator eſſet, ut omnibus præter Italiam Provinciis præeſſet, ut terra marique præterquam in Italia coronam geſtaret; tum irridens quod timeret ſomnia, manu prehenſum domo educit. Dum pergit ad curiam, obvius fit ei Spurinna, qui Calendis Martiis, ſibi ut caveret, monuerat; eique per jocum dixit Cæſar, *adſunt Calendæ, o Spurinna*: cui ille, *adſunt quidem, ſed nondum præterierunt*. Tum oblatus ei libellus, in quo omnis conjuratio deſcripta erat; quem tamen variis conjuratorum ſermonibus & petitionibus diſtentus non aperuit. Ut curiam ingreſſus eſt, a conjuratis honoris ergo ad ſellam uſque deducitur, dum Trebonius, vel D. Brutus M. Antonium extra curiam detinet, ne auxilio veniret Cæſari; tum illum Caſca gladio percutit. Saucius aſſurgit Cæſar, vimque vi repellere nititur: at ubi M. Brutum, quem filii loco habebat, inter conjuratos vidit: *Tu quoque, fili mi?* inquit, & ſimul caput involvit toga, demiſitque ſe ſe, & ad Pompeji ſtatuam tribus & viginti plagis confoſſus interiit. Hæc Suetonius, Plutarchus, & Appianus. Qua corporis forma fuerit C. Cæſar, tradit Suetonius; quibus moribus, Vellejus & Salluſtius: ſed ita illius laudes Catonis laudibus Salluſtius conjunxit, ut ſejungi minime poſſint. Eorum verba hic ſubjicere libuit, primum Suetonii, tum Velleji, denique Salluſtii. *Fuiſse traditur excelſa ſtatura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetiſque oculis, valetudine proſpera. Circa corporis curam moroſior, ut non ſolum tonderetur diligenter ac raderetur, ſed etiam velleretur; calvitii quoque deformitatem iniquiſſime tulit. Armorum & equitandi*

*tandi peritiſſimus, laboris ultra fidem patiens erat; ſæpius in agmine, nonnunquam equo, ſæpius pedibus anteibat; capite detecto, ſeu ſol, ſeu imber eſset; in obeundis expeditionibus dubium cautior, an audentior*, &c. Hæc & plura Suetonius; ita vero Vellejus. *Hic nobiliſſima Juliorum genitus familia, & ab Anchiſe & Venere deducens genus; forma omnium civium excellentiſſimus, vigore animi accerrimus, munificentia effuſiſſimus, animo ſuper humanam & naturam & fidem evectus; magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum magno illi Alexandro, ſed ſobrio, neque iracundo ſimillimus: qui denique ſemper & ſomno & cibo in vitam, non in voluptatem uteretur*. Salluſtii de Cæſare & Catone verba ſunt hæc. *His genus, ætas eloquentia prope æqualia fuere: magnitudo animi par, item gloria; ſed alia alii. Cæſar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitæ Cato. Ille manſuetudine & miſericordia clarus factus, huic ſeveritas dignitatem addiderat: Cæſar dando, ſublevando, ignoſcendo; Cato nihil largiendo gloriam adeptus eſt. In altero miſeris perfugium erat, in altero malis pernicies; illius facilitas, hujus conſtantia laudabatur. Poſtremo Cæſar in animum induxerat laborare, vigilare, negotiis amicorum intentus ſua negligere, nihil denegare, quod bono dignum eſset: ſibi magnum imperium, exercitum, novum bellum exoptabat, ubi virtus eniteſscere poſset. At Catoni ſtdium modeſtiæ, decoris, ſed maxime ſeveritatis erat: non divitiis cum divite, neque factione cum factioſis; ſed cum ſtrenuo virtute, cum modeſto pudore, cum innocente abſtinentia certabat: eſse, quam videri bonus mallebat. Ita quo minus gloriam petebat, eo magis aſsequebatur.*

CA-

## CAPUT VII.

### *Mortes illuſtrium Romanorum in bello Civili Triumvirorum.*

D. Bruti, ſa vix liberatus erat; cum ecce nunciatur O- I. *D. Brutus.*

D. Brutus obſidione Mutinenſi ab Hirtio & Panſa vix liberatus erat; cum ecce nunciatur Octavium Cæſarem cum Antonio & Lepido iniiſſe fœdus. Habebat quidem legiones decem, ſex tironum, veteranorum quatuor; viribus tamen longe inferior. Quo tenderet, incertus hæſit aliquandiu; tandem ad M. Brutum in Macedoniam pergere ſtatuit: ſed copiæ omnes viæ longioris labore deterritæ aliæ poſt alias deficiunt. Primum tirones ad Octavium, deinde ad Antonium veterani, paulo poſt & auxiliarii & Galli equites alii a lio diffugiunt: ipſe tamen cum trecentis, qui ſupererant, equitibus Rhenum verſus an. 710. contendit. At illis etiam ad ſua dilapſis, deſertus pene ab omnibus, ſumto cultu Gallico, Aquilejam fugit. A latronibus capitur, ducitur ad Camillum hujus regionis Principem, qui Brutum benigne excipit: clam tamen Antonium admonet. Is Brutum occidi, illiuſque caput ad ſe mitti imperat. Paruit Camillus, Bruruſque necatus eſt: mortem tuliſſe mollius, refert Appianus.

II. *M. Tullii & Q. Ciceronū.*

M. Tullius Cicero, proſcriptus a Triumviris, conſcenſa navi ad Brutum an. 710. fugiebat in Græciam; cum ad villam, quæ in Campania erat, ſive comparandæ, pecuniæ, ſive alterius rei cauſſa, divertere conſtituit. Dum appellit ad terram, corvorum agmen ex fano Apollinis magno crocitu ad navem illius advolat. Ubi vero in villam ingreſsus ad quietem compoſuit ſeſe, continuo corvi frequentes in ſiniſtra conſidunt; dumque alii diros edunt crocitus, unus demittit ſe in dormientis lectulum, & togam,

togam, qua opertus erat, a facie paulatim roſtro detrahit. Corvorum clamoribus territi ſervi Ciceronem partim precibus partim vi ſublatum in lecticam ad mare deferunt. Interea miſſi ab Antonio percuſſores Popilius Tribunus & Herennius Centurio adveniunt, & ad Ciceronem, qui in ſylvam deflexerat, pueri indicio recta pergunt: quos ut vidit Cicero, ſervis ut lecticam ponerent juſſit, cervicemque natus annos 64. ad cædem e lectica protendit. Caput & manus pro roſtris affixa fuerunt, ubi miraculo fuerat eloquentia. Idem fere Q. Ciceronis, qui Marci oratoris frater erat, exitus fuit, eoque triſtior, quod una cum filio necatus ſit. Cum Marco fratre proſcriptus a Triumviris Roma fugerat; quod vero utrique deeſſet pecunia, Marcus ſecedit in villam, Quintus mutata veſte cum filio per avios tramites Romam repetit; at occurrit Antonii militibus, ab iiſque agnitus capitur. Tum patrem inter & filium oritur contentio, uter prior moreretur, ne aut pater filii cædem, aut filius patris cerneret. Quare alter ab altero abſtractus eſt a militibus, & eodem tempore ſeparatim interfectus. De Marco Cicerone hæc pauca Vellejus. *M. Cicero, qui omnia incrementa ſua ſibi debuit, vir novitatis nobiliſſimæ, & ut vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit, ne quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur.*

Par prope & Caſſii & Bruti interitus. Ad Phi-
III. lippos contra Antonium & Octavium pugnatum
*C. Caſſi*. erat, ubi victus Cæſar a Bruto, & ab Antonio Caſſius: par utrinque & victoria & clades; ſed error fecit imparem. Victus Caſſius an. 711. in tumulum ſe recipit, ut quo res eſſent loco proſpiceret; ſed cum pulvis proſpectum eriperet, ſive dedecoris impatiens, ſive Brutum eadem uſum fortuna ratus, armigero Pindaro, ut ipſum occidat, jubet. Dum ille cunctatur, Brutum in alio cornu
vin-

vincere nunciat neſcio quis, cui Caſſius, *refer ei, me optare illi abſolutam victoriam*: tum ad Pindarum verſus, *quid ceſsas?* inquit; *cur non me ab hac ignominia liberas?* ſimulque jugulo ferrum excipit: ita Appianus. Paulo aliter Plutarchus & Vellejus: dum Bruti equites victoriæ nuncii accurrunt ad Caſſium, ille, qui eſſet incertus, ad eos miſit Titinnium, qui ab iis ut amicus receptus in medium, dum ad Caſſium redit, ille hoſtes eſſe arbitratus: *expectav mus*, inquit, *dum videremus amicum abripi*: tum in tentorium cum Pindaro ſeceſſit, ubi cæſus eſt. Ut proſtratum Imperatorem vidit Titinnius; *ſequar*, inquit, *eum, quem mea tarditas occidit*: & continuo incubuit in gladium.

Poſt menſem ferme integrum a morte Caſſii, alterum a Bruto prælium datum eſt; eaque tum virtute militum tum victoriæ cupiditate utrinque pugnatum eſt, ut par prope fuerit & apud victores & apud victos cæſorum numerus. Diſperſas copias & interclüſum ad caſtra regreſſum ut vidit Brutus, in montes cum quatuor legionibus ſe recipit, eaſque per Tribunos hortatur, ut medios per hoſtes conentur erumpere; ſed reſponſum ab iis eſt, ſibi toto bellorum labore feſſis ſpem pacis non eſſe corrumpendam. Tum converſus ad amicos Brutus, *jam civis*, inquit, *ego ſum inutilis patriæ;* & amicum ſive ſervum Stratonem nomine advocat, ab eoque occidi ſe jubet. M. Bruti & Caſſii, qui & conjurationis in Cæſarem auctor fuerat, & cladis ad Philippos acceptæ, hæc fuit indoles; ſi Vellejo & Plutarcho credimus. Ita Vellejus. *Fuit autem Caſſius dux melior, quanto vir Brutus; e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Caſſium. In altero major vis, in altero virtus: qui ſi viciſsent, quantum Reipublicæ interfuit Cæſarem potius, quam Antonium habere Principem, tantum retuliſset habere Brutum, quam Caſſium*. Plutarchus vero: IV. *M. Bruti.*

to: *Habebatur Caſſius rei bellicæ peritus, ſed ira aſper, & per metum magis velle imperare; apud familiares ad riſum pronior, & dicax. Brutum vero virtutis cauſsa vulgo carum, amicis dilectum fuiſse, admirationi optimo cuique, odio veniſse ne hoſtibus quidem; quod mire lenis, magnanimus, adverſus iram, voluptatem, avaritiam infractus, rectam ſententiam atque inflexibilem retineret pro honeſto & juſtitia.*

V. *Sext. Pompeji.* Sext. Pompejus navali prælio victus a Cæſare Cephaleniam fugit; inde tranſmittit in Aſiam: hinc Antonio ſe ſocium & amicum obtulit; inde Thraciæ Pontique Principes ſibi conciliare ſtuduit, ut, ſi ab Antonio poſtulata non impetraret, per Pontum fugeret in Armeniam, ſeque Parthis ducem præberet. Interim delectus habet, Lampſacum capit, Cyzicum obſidet, Furnium vincit; tum advenit juſſu Antonii cum 120. navibus Titius; quare Pompejus impar viribus naves ſuas incendit, armat remiges, & Armeniam petit. Eum perſequuntur Antoniani duces Furnius, Titius, Amyntas, quos quidem nocturno certamine Pompejus fudit; ſed commeatuum inopia dum redit ad mare; a ſuis vel deſertus vel proditus, ab Aminta capitur, & a Titio, quem paulo ante captum dimiſerat, an. 718. occiditur: Antonii juſſu, an ſecus, obſcurum. De Sex. Pompejo Pompeji Magni filio ſic Vellejus l. 2. *Hic adoleſcens ſtudiis rudis, ſermone barbarus, impetu ſtrenuus, manu promtus, cogitatione celer, fide patri diſſimillimus, libertorum ſuorum libertus, ſervorumque ſervus, ſpecioſis invidens, ut pareret humillimis.*

VI: *M. Antonius.* M. Antonius poſt Actiacam cladem in Ægyptum refugerat. Ibi contra Auguſtum bis pugnavit: primum equitatu victor, deinde pedeſtri prælio victus ad claſſem fugit, ut certamen navale compararet: ſed Cleopatræ perfidia duces claſſis ab eo ad Cæſarem tranſ-

transfugerant. Ipſa vero in monimentum inſiliit, quaſi mortis ſibi conſciſcendæ cauſſa; re ipſa, ut, cum Antonius eam mortuam audiviſſet, ſibi manus inferret. Quod ut allatum ad Antonium, mori decrevit, oratque Eroto, ut ipſum occidat; at ille nudato gladio ſeipſum transverberat, eumque imitatus Antonius ſe gladio transfixit. Inde, coorto tumultu, Cleopatra ex faſtigio ſepulcri proſpexit: tum Antonius ad ſepulcrum Cleopatræ ſe deferri imperat, ibique expiravit, an 723. M. Antonii Triumviri formam & mores Plutarchus expreſſit in Antonio, his verbis. *Forma ei ingenua, oris dignitas, & barba promiſſa, frontiſque amplitudo, & naſus aduncus; faciem virilem repræſentare dictis & ſculptis Herculis ſimulacris germanam videbatur. Jactantia, dicacitas, perpotatio, in publico ſedere inter veſcendum, & cibum ſumere aſſiſtentem ex militari menſa, incredibile dictu, quantam benevolentiam ei conciliavit militum. Inerat moribus ejus ſimplicitas, effuſus erat ad præmia & ſuplicia; beneficiis tamen, quam pœnis excedebat modum. Contumelia ejus in jocis & dicteriis afferebat ſecum medicinam; ſiquidem reponere licebat dicta & convitia: nec minus hilaris erat, cum derideretur, quam cum derideret alium.*

## CAPUT VIII.

### *Mortes illuſtrium Ducum, contra quos pugnarunt Romani.*

NEc abs re fuerit, nec injucundum, opinor, ſi hoc loco ſubjunxerim interitus ſummorum Ducum, adverſus quos vel grave vel diuturnum Romanis bellum fuit. Paucos quidem e multis ſelegimus; ſed qui militari gloria cæteris longe præſtiterunt, Pyrrhum, Annibalem, Viriathum, Jugur-

tham, Mithridatem. Omnes, præter Pyrrhum, Romanorum vel juſſu vel metu perierunt; alii tamen alio mortis genere.

I. *Pyrrhi*. Pulſus ex Italia Pyrrhus cum Antigono Macedoniæ Rege bellum gerebat. Uterque ingenti ſtipatus exercitu ad Argos conſtiterat; quod civium principes Ariſtias & Ariſtippus inter ſe diſſiderent. Alter Pyrrho, Antigono favebat alter; eoque diſcordia proceſſit, ut Ariſtias Pyrrhum, Antigoni filium Ariſtippus de nocte in urbem induxerit. Magna utrinque contentione certatum eſt; at ubi illuxit, territus eſt Pyrrhus & hoſtium multitudine & figura tauri cum lupo pugnantis: ipſi enim prædixerat neſcio quis, tum illi inſtare mortem, cum hujuſmodi ſpeciem vidiſſet. Paulo poſt ex urbe tentat erumpere; at in ſuos, qui opem illi ferre properabant, incurrit: dumque alii egredi, ingredi alii nituntur, Pyrrhus in hoſtes irruentes ſe convertit; & cum Argivo quodam pugnabat, cum mota periculo filii mater ingentem e feneſtra tegulam in illius caput dejicit. Ex equo cecidit Pyrrhus, ibique a Zopyro Antigoni Duce agnitus capite truncatus eſt, an. U. C. 481. Laudatur a multis, nec immerito, Antigoni Regis humanitas. Cum enim Alcyoneus ipſius filius Pyrrhi caput ad ejus pedes projeciſſet, Antigonus correpto juvene, quod tanti viri ruinæ inſultaret, ipſe caput humo ſublatum cauſia, qua velatus erat, obtexit; corpus magnifico apparatu cremari, oſſaque urna aurea incluſa ad Alexandrum filium deportari juſſit. Inter hæc Helenus filius alter Pyrrhi, quo ſuæ ſaluti conſulat, deponit inſignia, & obſoletam chlamydem induit. In eum forte Alcyoneus incidit, ipſumque benigne appellat, & adducit ad patrem. Tum, *Melius*, inquit Antigonus, *ſic eſt, quam ante, fili, ſed tamen ne nunc quidem recte, quod veſtem hanc, quæ nos victores dedecet, non detraxeris.* Quærenti aulico, cur

cur tanta pompa inſenſiſſimo hoſti juſta ſolviſſet; *O utinam*, inquit, *hoſtibus meis omnibus idem præſtare liceat!* Illud etiam de Pyrrho perhibent, quod pedis dextri pollex, abſumpto flammis reliquo corpore, integer & illæſus fuerit.

Victus in Africa a Scipione Annibal ineundæ pacis auctor fuit civibus, diſſuaſor Giſco; quem, ad imbellem & inquietam plebem dum diſſerit, arreptum ex ſuperiori loco detrahit Annibal, ac fremente plebe violatam populi libertatem: *Novem annorum natus*, inquit, *a vobis profectus*, *poſt 36. annos redii: militares artes, quas me a puero fortuna nunc privata nunc publica docuit, probe ſcire videor; urbis ac fori jura non didici.* Sub hæc ubi ſe a ſuis, quaſi novis rebus ſtuderet, Romæ inſimulatum audiit, ſub veſperam veſtitu forenſi ex urbe cum duobus comitibus egreſſus eſt. Inde citatis equis Thapſum pervenit, unde parata nave Tyrum ad Antiochum Syriæ Regem navigavit, a quo benigne exceptus eſt. Tum P. Scipio Africanus veniſſe in Aſiam legatus ad Antiochum a Græcis dicitur, & cum Annibale Epheſi collocutus. Quærenti Africano, *quem fuiſſe maximum Imperatorem Annibal crederet?* reſpondit, *Alexandrum magnum; quod parva manu innumerabiles exercitus fudiſſet*. Quærenti deinde, *quem ſecundum poneret? Pyrrhum* dixit. Et ſequenti, *quem tertium duceret? Haud dubie ſeipſum* reſpondit. Tum ſubridens Scipio, *quid diceres*, inquit, *ſi me viciſſes? Tum vero me*, ait Annibal, *& ante Alexandrum*, *& ante Pyrrhum*, *& ante omnes alios Imperatores eſſe*. Victo a L. Scipione Antiocho, Annibal, ne Romanis traderetur, ad Pruſiam Bithyniæ Regem ſe contulit: ſed ad Pruſiam an. 570. a Romano Senatu legatus venit T. Quintius Flamininus, qui Annibalem repoſceret. Is, quo facilius fugeret, ſeptem a domo exitus fecerat, & ex iis quoſdam occultos, ne mili-

II. *Anniba-lis*.

rum cuſtodia cingerentur. Pruſias, ut Flaminino gratificaretur, miſit milites, qui Annibalis domum, ne elaberetur, cuſtodirent. Erumpere tentavit Annibal; at ut ſenſit nullam omnino fugæ patere viam, vel taurinum ſanguinem ebibit, vel a ſervo ipſius juſſu compreſſa gula interiit (ita enim nonnulli apud Plutarchum;) vel potius, ut placet Livio, venenum quod jam diu præparatum ad tales caſus habebat, popoſcit. *Liberemus*, inquit, *diuturna cura populum Romanum; quando mortem ſenis exſpectare longum cenſent. Nec magnam, nec memorabilem ex inermi proditoque Flamininus victoriam feret. Mores quidem populi Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrhum infeſtis ſignis Romæ iminentem, a veneno ut caveret, monuerunt. Hi Pruſiæ auctores ſunt, ut regiæ dignitatis junctæque dexteræ oblitus, hoſpes hoſpitem ſcelere prodat*. Execratus deinde in caput regnumque Pruſiæ, poculum exhauſit; natus annos 70. Hæc Livius qui Annibalis virtutes & vitam dec. 3. l. 1. his verbis expreſſit. *Miſſus in Hiſpaniam primo ſtatim adventu omnem in ſe exercitum convertit. Amilcarem viventem redditum ſibi veteres milites credere; eundem vigorem in vultu, vimque in oculis, habitum oris lineamentaque intueri. Deinde brevi effecit, ut patri in ſe minimum momentum ad favorem conciliandum eſſet. Nunquam ingenium idem ad res diverſiſſimas parendum & imperandum habilius fuit. Itaque haud facile diſcerneres, utrum Imperatori, an exercitui carior eſset: neque Aſdrubal alium quemquam præficere malle, ubi quid fortiter & ſtrenue agendum eſset; neque milites alio duce plus confidere, aut audere. Plurimum audaciæ ad pericula capeſsenda, plurimum conſilii inter ipſa pericula erat. Nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Caloris ac frigoris patientia par, cibi potioniſque deſiderio natu-*

*naturali, non voluptate modus finitus. Vigiliarum ſomnique nec die, nec nocte diſcriminata tempora: id quod gerendis rebus ſupereſſet, quieti datum: ea neque molli ſtrato averſita. Multi ſæpe militari ſagulo opertum, humi jacentem, inter cuſtodias ſtationeſque militum conſpexerunt. Veſtitus nihil inter æquales excellens, arma atque equi conſpiciebantur, Equitum peditumque idem longe primus erat; princeps prælium inibat: ultimus conſerto prælio excedebat: Has tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: inhumana crudelitas, perfidia pluſquam Punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus deum metus, nullum jusjurandum, nulla religio.* III.

*Viriathi.* Triſtior etiam Viriathi, quam Annibalis exitus fuit; qui non ſuo, ſed amicorum ſcelere periit. Jam per annos undecim rem Luſitanam contra Romanos fuerat ſumma laude tutatus, eorumque duces ſæpius fuderat, cum fidiſſimos ſibi amicos Audacem, Ditalconem, & Mimurum de ſancienda pace identidem ad Cæpionem mittit; illos Cæpio donis promiſſiſque corrumpit. Igitur Audax cum cæteris in Viriathi tentorium de nocte irrumpit; illataque in jugulum plaga, quod ea pars ſola pateret vulneri, an. 613. dormientem enecat, & tacitus transfugit ad Cæpionem, a quo proditionis præmium petit: ſed ad Senatum de præmiis remiſit Cæpio, cum diceret, *nunquam Romanis placuiſse Imperatorem a ſuis militibus interfici*. Luſitani Ducis interitum ingenti luctu & magnifico funere proſecuti ſunt. De Viriatho hæc pauca Florus. *Luſitanos Viriathus erexit, calliditatis acerrimæ, qui ex venatore latro, ex latrone ſubito Dux & Imperator; & ſi fortuna ceſſiſset, Hiſpaniæ Romulus.* IV.

*Jugurthæ.* Eo turpior Jugurthæ calamitas fuit, quod & victus & ductus in triumphum Romanis ludibrio fuerit. Numidia ejectus a Mario fugerat ad Bocchum;

ad quem continuo veniens juſſu Marii Cornelius Sylla Jugurtham repoſcit. Dubius hæſit aliquandiu Bocchus, Jugurtham traderet: tandem omnia ſe facturum promittit ex Syllæ voluntate. Ad publicum de pace colloquium indicitur dies: venit Jugurtha, uti dictum erat, inermis; ac ſtatim ſigno dato undique ſimul ex inſidiis inſurgitur. Cæteri ſtatim obtruncati. Jugurtha Syllæ vinctus traditur, & ab eo ad Marium eductus eſt. Deinde una cum duobus filiis, vinculis onuſtus, Marii triumphum an. 649. cohoneſtavit; vultu, oculis habituque corporis, ut perhibent, amenti ſimilis. Tum vel juſſu Conſulis in carcere ſtrangulatus, ut Eutropio & Livio viſum eſt; vel, ut tradit Plutarchus, dejectus in profundam ſpecum ſexto die fame periit. Jugurthæ dotes eximias Salluſtius his verbis complexus eſt. *Qui ubi primum adolevit, pollens viribus, decora facie, ſed multo maxime ingenio validus, non ſe luxui neque inertiæ corumpendum dedit; ſed uti mos gentis illius eſt, equitare, jaculari, curſu cum æqualibus certare, & cum omnes gloria anteiret, omnibus tamæn carus eſse: ad hoc pleraque tempora in venando agere, leonem atque alias feras primus ferire: plurimum facere, & minimum de ſe loqui.*

V. *Mithridatis.*

Proditus eſt ab amico Jugurtha, a filio Mithridates. Nocturno, uti dictum eſt, prælio a Pompejo victus per rupes elabitur; primum ad Euphratis fontes, deinde ad Tigranem fugit, ab eoque repulſus Colchos ſe recipit. Magnos habet delectus; caſtellis tamen regnoque ſpoliatus iter ad Gallos deſtinat, ut per Alpes irrumpat in Italiam. At Pharnaces ex filiis longe clariſſimus ipſi ſtruit inſidias: reo ignovit pater; ſed ille venia factus deterior exercitum ad ſe allicit; & a Ducibus longioris viæ tædio an. 690. Rex appellatur. Miſit filios Mithridates, qui tutam fugam peterent; cumque

que nullus rediret, veritus ne Romanis dederetur, ſatellites & amicos ad novum Regem abire jubet: ipſe venenum, quod circa gladium perpetuo ferebat, ebibit. Cum vero aut nihil aut lentius noceret, quod eſſet a puero tutorum metui bibendis venenis aſſuetus; *male tentatum veneno ſpiritum*, inquit Florus, *ferro expulit*. Sua manu, an aliena ceciderit, incertum eſt: a Rituito Gallo, ex Floro & Victore; a ſeipſo, ex Gellio & Dione, gladio confoſſus occubuit. De quo breviter Vellejus: *Mithridates Ponticus Rex, vir neque ſilendus, neque dicendus ſine cura; bello accerrimus, virtute eximius; aliquando fortuna, ſemper animo maximus; conſiliis dux, miles manu, odio in Romanos Annibal.*

# DISSERTATIO QUARTA.

## ROMANORUM PROVINCIÆ.

ROmani Imperii duplex veluti ætas fuit: una a Romulo ad Auguſtum uſque pertinet; altera ab Auguſto ad Arcadium alioſque deinceps Imperatores, ſub quibus Imperii decus concidit. Non iiſdem in utraque ætate terminis definitum Imperium eſt; ſub Imperatoribus latius aliquanto patuit, quam florente Republica. Provinciarum ſeu Regionum, quæ ante Auguſti tempora a Romanis armis ſubactæ ſunt, nomina ſunt hæc: *Italia*, *Gallia*, *Hiſpania*, *Sicilia*, *Sardinia*, *Corſica*, *Illyricum*, *Macedonia*, *Achaja*, *Aſia*, *Cicilia*, *Bithynia & Pontus*, *Cyprus*, *Syria*, *Africa*, *Cyrenaica & Creta*, *Numidia*, *Mauritania*. Quibus multæ ab Imperatoribus additæ

ſunt, ſed aliæ ab aliis: *Rhætia*, *Noricum*, *Pannonia*, *Mœſia*, *Dacia*, *Britannia*, *Aegyptus*, *Galatia*, *Rhodus*, *Lycia*, *Comagena*, *Judæa*, *Arabia*, *Meſopotamia*, *Armenia*, & *Aſsyria*. Animus eſt hic explicare paucis, qua de cauſſa, quo tempore, quibus ducibus, ſingulæ nationes domitiæ ſint: at de prima tantum Romani Imperii ætate hoc loco agimus; de altera alias. Eo etiam breviores erimus, quod jam multa, quæ ad hanc rem pertinent, in Romanorum bellis præmiſimus.

## CAPUT PRIMUM.

### *Italia*.

I. *Italiæ diviſio & populi.* ALii Romanis, alii ab exteris gentibus Italiæ adſcripti fines. Quidquid enim ab Alpibus ad Siciliam uſque pertinet, cæteræ gentes *Italiam* appellabant: Romani non item, a quibus hæc regio omnes duas in partes diviſa eſt, quarum altera, quæ a Siculo mari ad Rubiconem & Arnum fluvios pertingit, illis *Italia* fuit: altera, quæ his fluviis & Alpibus continetur, *Provincia Galliæ*. Quare ſi Romanorum morem ſequimur, erant in Italia, præter Romanos, *Etruſci*, *Latini*, *Campani*, *Lucani*, *Apuli*, *Brutii*, *Ferentani*, *Picentes*, *Umbri*, *Sabini*, *Veſtini*, *Marſi*, *Marrucini*, *Peligni*, *Samnites*: in Provincia Galliæ *Ligures*, *Galli* tum *Boji* tum *Inſubres*, *Veneti* & *Carni*. De *Italia* nunc agimus: de *Provincia Galliæ* poſtea.

II. *Domiti a Romanis Etruſci.* Etruſci in tres gentes diſtracti erant; qui enim intra Tiberim & Arnum habitabant, *Maritimi* dicti ſunt; qui citra montes Ciminios, *Ciſ-ciminii*; qui ultra montes, *tranſ-ciminii*. Romanis jam inde a Romuli temporibus cum Etruſcis bellum fuit: magna clade ad Eretum victis pax a Tarquinio Priſco conceſſa eſt, ſuæ illis redditæ leges, nulla impo-

impoſita tributa; at ſummum in ſingulis civitatibus imperium penes Romanos fuit. Iterum a Servio Tullio victi ſunt, fœduſque cum illis renovatum. Aliquanto poſt Porſena Cluſinorum Rex Tarquinii Superbi partes fovit, urbemque obſedit an. 306. Fabii ad Cremeram ab Etruſcis deleti: at an. 318. Tolumnius Vejentium Rex a Cornelio Coſſo cæſus; an. 349. Veji obſeſſi & decennio poſt a Camillo capti. Poſt victos in Urbis ruderibus Gallos, bis ad lacum Vadimonis fuſi Etruſci; primum a Decio an. 444. deinde a P: Dolabella an. 470. fugatique ſæpe ab aliis Ducibus Q. Fabricio, Q. Marcio, & T. Coruncano, in ſocietatem tandem a Romanis recepti ſunt: quibus legibus, incertum.

Latium duplex fuit, antiquum & novum: antiquum a Tiberi ad Circejos perductum; novum a Circejis ad amnem Lirim. Multa fœdera Romanos inter & Latinos ſancita ſunt: primum *Albanum* fuit, quod a Romulo ictum eſt; ſecundum a Tullo Hoſtilio poſt Horatii victoriam. Alba vero ob Suffetii perfidiam exciſa, quod urbes, quæ prius ſuberant Albanis, parere Romanis recuſarent, bellum exarſit, & quinto anno poſt tertium fœdus percuſſum. Mortuo Tullo, rurſus ad arma ventum eſt, ſed a Tarquinio Priſco Latini domiti, paxque his legibus data, ut Romanorum ſocii eſſent, ſuis uterentur legibus, ſed ad Romani Regis mandata præſto eſſent. Haud multo poſt Tarquinius Superbus Latinas ferias inſtituit. Quare illius partibus dum ſtudent Latini, fœdus auctore Octavio Mamilio violatum eſt: ſed Latini annis 14. poſt Reges exactos a Poſthumio Dictatore ad lacum Regillum magna clade conciſi ſunt, & triennio poſt pax illis Sp. Caſſio Conſule conceſſa, a Tuſculanis, Tiburtibus, & Præneſtinis neglecta, quibuſcum ſæpe negotium fuit. An. 404. petierunt Latini, ut Conſulum alter e Latinis fieret: unde orto bello primum ad Veſerim a T. Torquato

III. *Latini*

& P.

& P. Decio; deinde alibi ab aliis ducibus devicti & agro mulctati, iiſque vetitum, ne ad lucum Ferentinæ rerum communium cauſſa convenirent; omneſque tandem in amicitiam recepti, ſed aliis legibus.

IV. *Volſci & Æqui.* Volſcis bellum intulit primus vel Ancus Martius, ex Dionyſio; vel Tarquinius Superbus, ex Livio. Pulſis Regibus repetitum ſæpe, felici ut plurimum exitu, contra illos bellum eſt; donec a M. Coriolano incitati Romanos fuderunt, remque Romanam in maximum periculum adduxerunt. Antium gentis caput a T. Quintio Capitolino an. 284. expugnatum; Volſci an. 296. a Quintio Cincinnato ſub jugum miſſi; deinde a M. Camillo an. 364. ad Lanuvium victi, tandemque an. 423. facta ab iis deditio eſt, iiſque jus Latii datum, ut conjectura eſt.] Volſcorum enim nomen poſthac nuſquam legere eſt inter Italicos. Æquorum aut par aut deterior conditio fuit, qui perpetuo fœdere Volſcis juncti erant contra Romanos: quare eadem, quæ Volſcis, pacis ineundæ præſcriptæ leges; ſed cum rebellaſſent an. 449. bis magna ſtrage cæſi ſunt: ſemel a Sempronio Sopho, iterum a C. Junio Dictatore; Æquorumque nomen fere deletum eſt.

V. *Hernici & Oſci.* Tarquinius Superbus cum Hernicis primus fœdus iniit, iiſque feriarum Latinarum jura indulſit. Aliquanto poſt bis a Romanis defecerunt; primum domiti a Sp. Caſſio; deinde a M. Fabio Ambuſto tandemque a Q. Maccio Tremulo in deditionem accepti, & inter Latinos, ut ſimilius vero eſt, adſcripti. Cum Oſcis nullum Romanis ſeparatim bellum fuit, eædem illis, quæ cæteris Latinis, & illatæ clades & fœderis leges impoſitæ.

VI. *Campa-* Deſcripta erat in tres partes Campania: prima a Liri ad Vulturnum, altera a Vulturno ad Sarnum, tertia a Sarno ad Silarim pertinebat. In prima erant *Auſones*, *Aurunci*, *Sidicini & Capuani*; in ſecunda

cunda *Cumani* & *Opici*; in tertia *Nucerini*. *Capuani*, qui Sidicinis auxilio venerant, a Samnitibus victi ſe ſuaque Romanis permiſerunt, ut ipſos adverſus Samnites tuerentur; unde exortum eſt Samniticum bellum. Poſt hæc juncti Latinis Campani a Torquato victi ſunt, & Capua agro mulctata. Capuani vero, quod a Romanis non deſciverant, civitate donati, ſine ſuffragii tamen latione, aliquanto poſt, ſi Vellejo credimus, civitas Campanis data ſine ſuffragio: non omnibus tamen iiſdem legibus; nam Aurunci a Torquato in deditionem accepti, Auſones a M. Valerio armis domiti, unde illis deteriore jure conceſſa civitas. Multo poſt Capua defecit ad Annibalem; quare urbs capta eſt & diruta, Senatores cæſi, cives alio migrare juſſi, uti dictum a nobis eſt ſupra.

A Silari fluvio, qui Campanorum limes erat, ad Laum amnem incolebant *Lucani*; inde ad mare Siculum *Brutii*, *Meſſapii* & *Salentini*; a Brunduſio, quod Salentinorum caput erat, ad Fiternum flumen *Apuli*, ſive *Peucetii*, ſive *Daunii*; a Fiterno ad amnem Aternum *Ferentani*; ab Aterno ad Æſim fluvium *Picentes*. Lucani, Brutii, Meſſapii, Salentini, & Apuli, quod cum Samnitibus arma junxiſſent, eodem tempore domiti, alii tamen ab aliis ducibus: Meſſapii & Salentini a D. Junio Pera, Apuli a L. Papyrio Curſore, Brutii a Fabricio, Fabio Gurgite, & aliis, quos appellare longum eſſet. Diverſa etiam fuit belli illis inferendi cauſſa: bellum enim illatum Lucanis, quod initum fœdus violaſſent; Tarentinis & Salentinis, ob direptam Romanorum claſſem Pyrrhumque in Italiam evocatum; Brutiis, quod Pyrrhum, quod Samnites juviſſent auxiliis; idem Apulis crimini datum. Diſpar Ferentanorum & Picentum conditio fuit, quorum illi an. 434. in deditionem accepti Romanis contra Pyrrhum tulerunt auxilia; hi vero, cum an. 484, VII. *Lucani*, *Brutii*, *Salentini*, *Apuli*.

rupto

rupto fœdere arma ſumſiſſent, a P: Sempronio Conſule devicti, agro mulctati; & in Campaniam migrare juſſi.

VIII. *Samnites.* Inter Apulos, Ferentanos, Campanos, Lucanos, & Auſones Samnitum ſedes fuit. Gens cæteris Italiæ populis multo ferocior, per annos fere 80: cum Romanis ſexies rupto fœdere bellum geſſit. Belli cauſsa fuit a Romanis datum Campanis auxilium. Sæpe a Romanis victi cum Pyrrho, cum Gallis fœdus inierunt, bellumque vario præliorum exitu ad annum urbis 481. propagatum eſt: quo anno & a Papyrio Curſore debellati ſunt, & pacis conditiones pro Romanorum arbitrio imperatæ; quæ clades ad *Veſtinos*, *Marrucinos*, *Marſos*, & *Pelignos* etiam pertinuit: hi enim, quod Samnitibus faverant, bello appetiti; Veſtini & Marrucini an. 445. a Bruto ſubacti; Marſi & Peligni a Q. Fabio.

IX. *Sabini, & Umbri.* Cum *Sabinis*, qui inter Anienem & Narem habitabant, primum Romulo bellum fuit ob raptas virgines: cum Tatio eorum duce inita pax, parſque Romam conceſſit, alii ſub Tullo Hoſtilio arma ſumſerunt, bellaque & fœdera cum ipſis tum a Regibus tum a Conſulibus ſæpe renovata; donec anno 373. a Curio Dentato acciſæ illorum vires dataque illis ſine ſuffragio civitas, & aliquanto poſt permiſſum etiam ſuffragium eſt. *Umbri* Sabinis contermini, qui ad Narem pertinebant, a Q. Fabio circa annum 450. devicti, ſe ſuaque Romanis permiſerunt.

X. *Galli Senones.* Hanc Italiæ partem, quæ inter Æſim & Vitim amnes interjacet, alias incoluerunt Liburni & Siculi, qui ab Umbris ejecti ſunt, Umbri ab Etruſcis, Etruſci a Gallis Senonibus: unde hæc regio *Senogallia* dici cœpit, in qua Sena & Ariminum: ita Æſis tum Italiæ terminus erat. A Gallis Senonibus victi ad Aliam an. 363. Romani, urbſque capta; unde a Camillo ejecti multiſque fracti præliis, uti antea

tea diximus, e ſuis ſedibus pulſi ſunt. Senas & Ariminum coloniæ a Romanis deductæ, ager Gallicus lege Flaminia inter Romanos Romanorumque ſocios diviſus, a Cenſore Flaminio via Flaminia Ariminum uſque perducta, & regio omnis *Gallia Togata* a Romanis appellari & intra Italiæ fines accenſeri cœpit; qui ejectis Gallis ad Rubiconem producti ſunt.

## CAPUT II.

### *Gallia.*

PRæter eam, de qua modo egimus, Galliam, Gallia, ſi Romanorum diviſionem ſequimur, multiplex fuit; *Citerior* ſive *Ciſalpina*, *Braccata* ſive *Narbonenſis*, *Comata*, & *Alpina*. *Citerior* hinc Alpibus, hinc Rubicone & Arno fluminibus definita; *Narbonenſis* ab Alpibus ad Hiſpaniæ fines pertinebat, ubi quatuor poſtea provinciæ, *Occitania*, *Provincia*, *Delphinatus*, & *Sabaudia*; *Comata* cæteras Galliarum gentes ab Alpibus & Pyrenæis montibus ad Oceanum uſque Britannicum complexa eſt, quam C. Cæſar in tres partes deſcripſit, *Aquitaniam*, *Celticam*, & *Belgicam*, ut Celtas ab Aquitanis Garumna, a Belgis Sequana disjungeret. *Alpina Gallia* ex varia Alpium diviſione varia ſortita eſt nomina: fuerunt vero *Alpes maritimæ*, quæ a Nicæa ad vada Sabatia pertingebant, ubi Ligures, Ingauni; &c. *Penninæ*, ubi Vagienni & Taurini; *Cottiæ* a Rege Cottio, ubi Salaſſi, Centrones, &c. *Rheticæ*, ubi Rheti; & *Carnicæ*, ubi Carni. Non omnes hæ Galliarum partes ſimul in Romanorum ditionem venerunt; ſed aliæ alio & bello & tempore.

I. *Gallia multiplex.*

II. *Liguria.*

Erant in *Citeriori* Gallia *Ligures*, *Galli*, *Veneti*, *Carni*. *Ligures* ante Gallos eam Galliæ & Italiæ partem

partem occuparunt, quæ a Maſſilia ad Arnum & Piras extendiur. Ob vaſtatam Etruriam bellum Liguribus an. 515. illatum eſt; cum a multis ducibus victi ſunt, tum maxime a C. Flaminio, & M. Æmylio Lepido, quorum ille viam *Flaminiam* Bononia Arretium, hic *Aemyliam* Placentia Ariminum perduxit. Tandem an. 638. duce M. Æmylio Scauro cum iis debellatum eſt, tumque Liguria in provinciæ formulam redacta, Ligures Romano Prætori parere juſſi, & Æmilius *Aemiliam* viam ſtravit, quam per Piſas & Lucam uſque ad Sabata & Derthonem produxit.

III. *Inſubria.* Ante urbem conditam late patuit in Italia Etruſcorum imperium; ſed hi a Gallis partim cæſi ſunt, partim ſuis pulſi ſedibus: irruperunt enim in Italiam Galli Bituriges, Arverni, Santones, Ædui, Ambarri, Carnutes, Aulerci, Cenomani, Boji, Senones, qui trans Padum ad Æſim uſque penetrarunt; ſed de his ſuperius actum eſt. E Gallis maxime memorantur *Cenomani*, *Boji*, & *Inſubres*; hoc enim nomen his Gallis inditum, qui fuſis Tuſcis Inſubriam regionem occupaverant: cæteri vel ad has gentes adjecti, vel ejecti ex Italia. A Gallis multæ urbes vel conditæ vel habitatæ, a Bojis Ravenna, Mutina, Parma, Bononia, &c. a Cenomanis Mantua, Tridentum, Verona, &c. ab Inſubribus Mediolanum Ticinum, Cremona, &c. A Bojis bellum geri contra Romanos cœptum eſt, qui cum Gallos Senones a Romanis pulſos cernerent, ſeque injuriæ obnoxios, primum Etruſcos, deinde Cenomanos & Inſubres in belli ſocietatem pellexerunt: victi omnes a Romanis, eorumque regio bis in provinciæ formam redacta, ſemel an. 533. poſt M. Marcelli de Virdomaro victoriam, iterum an. 566. a M. Æmilio Lepido, a quo Regium Lepidi conditum, viaque Æmilia per Bononiam & Placentiam Aquilejam uſque perducta. Boji & Cenomani vel deleti

deleti vel pulſi in Germaniam: nulla certe poſtea illorum occurrit mentio, ſed tantum Inſubrium; tumque hæc Italiæ pars Italia Togata dici cœpit ab uſu togæ, quæ primum Senonibus, tum Bojis, poſt Inſubribus permiſſa erat, multæque his bellis coloniæ a Romanis deductæ ſunt Bononiam, Placentiam, Mutinam, Parmam, Cremonam.

IV. *Venetia & Carnia.* Veneti vel a Trojanis vel a Gallis oriundi inter Atheſim, ſinum Adriaticum, & Padum tenuerunt Patavium, Vicetiam, aliaque oppida. Carni inter Natiſonem & Formionem amnes, Tergeſte & Aquilejam. Certum eſt Carnos provinciæ Galliæ contributos; armis, an ſponte, incertum: Cæſari enim Proconſuli ſuberant. Ante Annibalis in Italiam adventum a Venetis inita cum Romanis ſocietas; Carnis fœdus, an bellum cum Romanis fuerit, non liquet. Antiquus Italiæ limes fuit Tergeſte, Carnorum oppidum; deinde Pola Iſtroum urbs, poſtquam Iſtria, quæ prius Illyrico adjuncta erat, ab Auguſto Italiæ adſcripta eſt: is enim cum Italiam in Regiones undecim, tribuerit, in undecima, ut tradit Plinius, Carnos recenſuit.

V. *Braccata, ſeu Gallia, Narbonenſis.* In Tranſalpina Gallia ſocii Romanorum erant Maſſilienſes & Ædui; illos Salyes, hos Arverni infeſtabant. Utroſque ut tuerentur Romani, Allobrogas & Arvernos bello perſequuntur an. 625. Salyes a M. Fulvio & C. Sextio perdomiti; Arverni a Domitio & Q. Fabio. Arvernis quidem parcitum eſt, ſed Allobroges in deditionem accepti. Biennio poſt in Tectoſagas deducta a Q. Marcio Conſule colonia eſt, quæ *Marcius Narbo* dicta eſt, unde toti provinciæ nomen inditum; quæ cum *Bracchata* Gallia prius diceretur, *Narbonenſis* ſubinde appellata eſt.

VI *Gallia Comata.* C. Cæſar utramque Galliam *Citeriorem*, & *Narbonenſem* ſortitus, reliquam Galliam, cum alia ex aliis bella orirentur, novem annis ſubegit; omnes

prope

prope Galliæ populi in provinciæ formulam deſcripti; ſi qua tamen civitas de Romanis bene merita eſſet; ſui juris eſſe permiſſa eſt: ita Vocontiis ſua jura, ut refert Strabo, relicta ſunt; utrique tamen Galliæ diverſum vectigal impoſitum, agrarium Narbonenſi, Comatæ ſtipendiarium. Sub hæc Cæſar confecto bello civili Arelatem coloniam miſit, Galliamque Narbonenſem cum Hiſpania M. Lepido permiſit; Comatam vero primum D. Bruto, deinde L. Planco, a quo, Hirtio & Panſa Conſulibus, & Rauracum ad Rhenum, & ad Rhodani & Araris confluentem Lugdunum ex Senatus decreto conditum eſt.

VII. *Gallia Alpina.* Alpina Gallia non omnis eodem tempore in Romanorum ditionem venit. Cum Alpinis gentibus anno 587. a M. Marcello bellum geri cœptum eſt quod a multis Romanorum ducibus renovatum fuit, haud læto tamen ſemper exitu; nulla enim ex tot Alpinis nationibus ant Auguſti tempora paruit Romanis. Sub Auguſto Ingauni & Vagienni & Taurini an. 739. perdomiti, iiſque datum jus Italicum. Salaſſi & a Meſſala & a Terentio Varrone devicti, & omnes pene ſub corona venditi. Rhæti, Lepontii, & Norici ejuſdem belli contagione ſubacti. Alpes vero, quæ Cottio Regi ſuberant, nec ab Auguſto devictæ; ſed poſt Cotti obitum a Nerone in provinciæ formam redactæ.

## CAPUT III.

### *Sicilia, Sardinia, Corſica, Hiſpania, & adjacentes Inſulæ.*

I. *Sicilia. Una illius pars adjuncta Imperio.* Anno urbis circiter 400. duas in partes deſcripta Sicilia erat; una Principibus Syracuſanis parebat; Carthaginienſibus altera. Sui juris erant Mamertini, qui Meſſanam per fraudem occuparant:

rant: hi ab Hierone victi, pars Pœnos, pars Romanos auxilio advocant an. urbis 488. unde bellum Punicum primum exarſit; quo feliciter confecto, pax iis legibus Pœnis data eſt, ut & Sicilia & iis, quæ ad Italiam ſunt, inſulis excederent. Ita Siciliæ pars, quæ prius Pœnis ſuberat, Romanis ceſſit; eoque miſſus quotannis cum Quæſtore Prætor, qui hanc provinciam regeret.

II. *Deinde altera.* Altera Siciliæ pars bello Punico ſecundo a Romanis ſubacta. In Italiæ viſceribus dum hæret Annibal, Hiero Romanis amicus princeps Syracuſis moritur, illi ſufficitur ex filio nepos Hieronymus: is continuo a Romanis ad Pœnos deficit. Tranſmittit in Siciliam exercitum M. Marcellus, Pœnos Siculoſque vincit, Syracuſas obſidet, & triennio poſt capit. M. Valerius Levinus belli reliquias perſecutus Carthaginienſes ex Sicilia ejicit, omnemque inſulam in duas provincias deſcribit, quæ & uni Prætori parerent & duobus Quæſtoribus, ſed altera alteri.

III. *Utrique perſcriptæ leges.* Aliquanto poſt, duobus ſervilibus bellis vexata eſt Sicilia: primum ab Euno & Cleone conflatum eſt: ſecundum ab Athenione. Alterum an. 631. confecit P. Rupilius, & M. Aquilius an. 652. alterum: uterque & Siciliam ordinavit, & leges tum de vectigalibus tum de jure dicendo tulit. Siculi a C. Cæſare Dictatore Latinitate, & poſt illius cædem civitate a M. Antonio donati ſunt; quas leges poſtea reſciſſas vel inde ſuſpicantur nonnulli, quod Plinius ſolos Mamertinos cives Romanos appellet.

IV. *Sardinia & Corſica.* Bello Punico primo Sardinia Punicæ ditionis erat; at Romani parta victoria an. 515. apud Carthaginienſes queruntur direptas ab iis Mercatorum ſuorum naves. Pœni, qui domeſtico bello laborant, pacis impetrandæ cauſſa Romanis ceſſerunt Sardiniam; at Sardos quadrienio poſt rebellantes T. Manlius Torquatus perdomuit. Quænam belli Corſis

inferendi cauſſa fuerit, a nemine proditum eſt. An. 517. a C. Licinio Varo victi ſunt, & quinquennio poſt a C. Papyrio Maſſone ſubacti. Corſica Sardiniæ attributa eſt, & ex utraque una provincia facta, cui Sardiniæ nomen inditum. Cum his tamen populis bellum poſt hæc Romanis fuiſſe docent & Cicereji & T. Gracchi victoriæ, quorum ille Corſos an. 581. hic Sardos an. 578. devicit. Utrique inſulæ ſtipendium frumentumque imperatum eſt.

V.
*Hiſpania duplex Citerior & Ulterior.*

Invadendæ Hiſpaniæ eadem, quæ Siciliæ, cauſſa fuit, utriuſque gentis Romanæ & Punicæ æmulatio. A Romanis cum Aſdrubale Amilcaris genero iis legibus ictum fœdus erat, ut Iberus Punici in Hiſpania imperii limes eſſet; Saguntini cæterique trans Iberum populi eſſent ſui juris. Poſt cædem Aſdrubalis, Annibal Saguntum obſidet, capit, diruit, multas gentes ad Pyrenæos uſque armis domat: quare miſſum a Romanis in Hiſpaniam Cn. Scipio. Is multos circa Iberum populos ad Romanorum & amicitiam & deditionem tum clementiæ tum fortitudinis fama allicit; deinde cum fratre Publio multas trans Iberum gentes bello ſubigit. Utroque cæſo P. Scipio, cui poſtea *Africani* cognomen adhæſit, novam Carthaginem capit, Aſdrubalem & Magonem ſæpius victos ex Hiſpania ejicit, omniſque ab eo domita Hiſpania eſt, præter Luſitaniam, Gallæciam, Cantabriam & Aſturiam. Tum Romana ditio in duas provincias deſcripta eſt an. 522. una *Citerior* dicta eſt, *Ulterior* altera, quod illa cis Iberum eſſet, hæc ultra Iberum. Fines tamen citerioris Hiſpaniæ haud multo poſt longius producti ſunt; nam Celtebri, qui trans Iberum erant, an. 556. in citeriori Hiſpania annumerari cœpti ſunt.

VI.
*Luſitania, Gallæcia, Cantabria.*

Secundum hæc, duo bella a Romanis in Hiſpania geſta ſunt, Luſitanicum in ulteriore Hiſpania, in citeriore Celtibericum. Quæ utriuſque cauſſa fuerit,

quis

quis exitus, dictum eſt ſuperius. Ex utroque alia duo exorta ſunt; ex Celtiberico Numantinum, ex Luſitanico Viriathicum: illud perfecit, everſa Numantia, Scipio Æmylianus; hoc, ſublato per fraudem Viriatho, Q. Cæpio. D. Brutus Luſitanos latrocinia exercentes perſecutus, & qui Luſitanis auxilia tulerant Gallæcos, & Luſitaniam & Gallæciam adjecit Hiſpaniis. De utriuſque termino inter Cæſarem & Strabonem non convenit: ex Cæſare utriuſque limes *ſaltus Caſtulonis* fuit; ex Strabone neutri certi fines erant, ſed in Prætorum gratiam alterutrius limites a Senatu vel contracti vel producti: utrique provinciæ vectigal, tum ſtipendiarum, tum frumentarium, impoſitum eſt. De Sertoriano bello & Pompejano ante egimus. Cantabri & Aſtures ab Auguſto Cæſare tandem perdomiti, Hiſpaniaque omnis Romanis paruit. Multas in Hiſpaniis urbes condiderunt Romani: Cn. & P. Scipiones *Tarraconem*; *Italicam* Africanus major; M. Marcellus *Cordubam*; *Auguſtam Emeritam* Auguſtus Cæſar.

Multæ Hiſpaniis adjacent inſulæ; præcipuæ ſunt Gades, Baleares, Caſſiterides: aliæ alio tempore in Romanorum vel fœdus vel poteſtatem venerunt. Gades, cæſis Scipionibus, cum L. Marcio fœdus inierunt, qud multo poſt Q. Catulo Conſule renovatum eſt: præterea Gaditani a C. Cæſare, tum Prætore, tum Dictatore, multis honoribus ornati & donati civitate, quod Senatus ratum fore juſſit. Baleares, quod piraticam exercere dicerentur, & cum prædonibus conſpiraſſe, Metellus invaſit. Caſſiteridas P. Craſſus, jure an injuria, metallorum quæ ibi effodiebantur cupiditate, adjunxit Imperio.

VII. *Inſulæ Gades Baleares Caſſiterides*

## CAPUT IV.

### *Illyricum*

I. *Teutæ Reginæ ditio.* IN Illyrico, quod a Formione amne incipit, variæ gentes erant, *Iſtri*, *Japydes*, *Liburni*, *Dalmatæ*, *Daorſei*, *Vardæi*, *Labeates*, & alii, quos appellare nihil attinet. Cum Illyriis multa Romani bella geſſerunt: primum fuit cum maris Ionii accolis, ob ſpoliatos Romanos mercatores. Miſſi, qui de injuria expoſtularent, Coruncani duo; quorum alter Teutæ Reginæ ſuperbe ſe gerenti tum ferocius reſpondiſſet, illius juſſu occiſus eſt. An. 534. L. Albinus & Cn. Fulvius Centumalus cum claſſe & exercitu Illyrios adorti, Corcyram, Apolloniam, Epidamnum & Iſſam liberas civitates traducunt ad Romanorum amicitiam. Teuta viribus impar pacem per legatos petit, iiſque conditionibus impetrat, ut tributum quotannis ſolveret, & Illyrici parte excederet.

II. *Iſtria.* Cum Iſtris bellum a Romanis ter repetitum. Cœptum eſt an. 532. & annis duobus Iſtri, partim metu, partim vi in deditionem accepti; & uſque ad Alpes a C. Lutatio penetratum eſt. An. 572. bello ob vaſtata Italiæ littora renovato, Iſtri ad octo millia ab A. Manlio cæſi, a C. Claudio tria eorum oppida capta & diruta; Rex Æpulo, ne in hoſtium manus veniret, ſibi mortem conſcivit: cæteris imperati obſides, paxque conceſſa: cum ipſis tamen an. 624. rurſus bellatum eſt, regionemque omnem, quæ ab Aquileja ad Titium amnem extenditur, C. Sempronius Tuditanus tribus annis perdomuit.

III. *Demetrii Pharii & Gentii regna.* Belli & Demetrio Phario & Gentio inferendi diſpar cauſſa fuit; at par exitus. Demetrius judicatus hoſtis, quod ſociorum agros populatus eſſet; Gentius, quod magna illectus mercede cum Perſeo adverſus

verſus Romanos conſpiraſſet Demetrius & Dimalo urbe munitiſſima & Pharo captis ab L. Æmylio Paulo ad Philippum Macedoniæ Regem an. 537. profugit: Gentius an. 586. a L. Anicio Prætore expugnata ſcodra in triumphum ductus eſt; gpræſidia ex omnibus arcibus deducta; Illyrii deinceps liberi eſſe juſſi; illis tamen vectigal dimidium, quod Regi pependiſſent, impoſitum.

Paulo poſt Dalmatæ ob vexatos Romanorum ſocios bello petiti an. 597. a C. Marcio Figulo ad Naronem fuſi, & Delminio a P. Naſica incenſo in poteſtatem adducti; poſtea tamen ab iis ſæpius rebellatum eſt; alii a Metello, alii a Coſconio armis ſubacti, quorum ille & triumphum & *Dalmatici* cognomen retulit, quibus bellis Illyrici magna pars maxime maritima ad provinciæ jus redacta. Orto Pompejum inter & Cæſarem civili bello, Dalmatæ Vatinium a Cæſare præfectum Illyrico vicerunt, quos tandem Octavius Cæſar multis incommodis ægre perdomuit. Vardæi, quod Romanam ditionem invaſiſſent, repentino bello oppreſſi ſunt; cumque imperatum ſtipendium ſolvere recuſarent, a Fulvio Flacco vel deleti, ex Livio, vel in Illyrici interiora tranſlati, ex Strabone. IV. *Dalmatia.*

## CAPUT V.

### *Macedonia & Achaja.*

NOn iidem fuerunt Macedoniæ, & regni Macedonici, & provinciæ Macedoniæ fines. Macedonia verſus Thraciam Strymone fluvio terminata eſt; verſus Theſſaliam Peneo. Regnum Macedonicum multo longius excurrit; cui Theſſalia integra, Epiri, Thraciæ & Illyrici magna portio a Philippo adjuncta. Provincia Macedoniæ latius etiam I. *Varii Macedoniæ fines.*

patuit, quæ partem etiam Illyrici majorem complexa eſt.

*Victo Philippo a Macedonia multæ urbes abſtractæ.*

Cum tribus Macedoniæ Regibus bellum Romanis fuit, cum Philippo, Perſeo, & Andriſco: ut diverſæ belli cauſæ, ita diverſæ victis præſcriptæ leges. Bis contra Philippum bellatum eſt: primo, quod fœdus junxiſſet cum Annibale; iterum, quod vexaret Athenienſes; tumque ad Cynocephalas victus a T. Quintio Flaminino pacem petiit, quæ iis conditionibus data eſt, ut captivos redderet, naves tectas traderet, bellum extra Macedoniæ fines ne injuſſu Senatus gereret, mille talenta penderet; præterea ademta ipſi Theſſalia, cæteriſque gentibus & urbibus, quæ in ditione ejus erant, libertas reddita.

III.

*Victo Perſeo, Macedonia in quatuor partes deſcripta & facta vectigalis.*

Perſeo Philippi filio, quod ſocios vexaret bellumque appararet, bellum indictum eſt: illum ad Pidnam vicit L. Æmylius Paulus, cepit in Samothracia Octavius. Macedonia ab Æmylio in quatuor partes diviſa eſt, & libertate donata, ita ut ſuis uteretur legibus, ſuos magiſtratus haberet; eſſet tamen vectigalis, partemque dimidiam tributi, quod Regibus pependiſſet, populo Romano penderet, necdum tamen inter provincias adſcripta eſt.

IV.

*Victo Andriſco, in provinciæ formam redacta.*

Denique cum Andriſco negotium fuit, qui ſe Philippum Perſei filium mentitus pro Rege ſe gerebat: an. 605. a Q. Metello Prætore victus captuſque eſt, tumque Macedonia & provincia facta eſt & Prætori parere cœpit; cui adjuncta & Theſſalia, quod forte auxiliis juviſſet Andriſcum, & Apollonia, Dyrrhachium, Taulantii, & poſt Ap. Claudii, Curionis & Luculli victorias de Thracibus, Thraciæ pars Theſſalos C. Cæſar, quod ipſi contra Pompejum faviſſent, liberos eſſe juſſit.

V.

*Græciæ ſeu Achajæ populi.*

Ut Macedonia Macedonas & Theſſalos, ita Achaia Epirotas & Græcos complexa eſt. Epirus fines habuit inde montes Acroceraunios, hinc ſinum

Am-

Ambracium. Erant in Epiro Chaones, Moloſſi, Theſprotii, Amphilochi, & Athamanes; hoc excipit Græcia duplex, una extra Iſthmum, intra Iſthumum altera. Illa *Achaja* vulgo dicta eſt, hæc *Peloponneſus*. Erant in Achaja Acarnanes, Ætoli, Dores, Locri, Phocenſes, Megarenſes, Attici, Bœoti, & Eubœenſes; in Peloponneſo Achæi, Elei, Meſſenii, Lacones, Argivi, Sicyonii, & Arcades. Epirus Pyrrho, Græcia prope omnis Philippo & Alexandro Magno olim paruerat, deinde in varios diſtracta eſt principatus: civitates enim aliæ propriis Tyrannis, aliæ Macedonibus ſerviebant, aliæ ſui juris erant, ſive ſuis uterentur legibus, ſive commune cum aliis concilium inirent; e quibus præſtabant *Aetoli*, & *Achæi*. His enim Arato duce, cujus ingens & fama erat & gloria, Peloponneſus fere omnis ſe adjunxerat, Sicionii, Corinthii, Argivi, Eleni, Meſſenii, Arcades, & aliquanto poſt Lacedæmonii.

Ut auditum Romæ eſt initam a Philippo Macedone cum Annibale ſocietatem, a Romanis fœdus cum Ætolis percuſſum eſt, & devicto ad Cynocephalas Philippo libertas Græciæ omni a Flaminio reddita eſt, juſſuſque Philippus ex Chalcide, Corintho, & Demetriade præſidia deducere. Tum Ætoli cum ferrent ægrius nullis ſe præmiis a Romanis ornatos, cum Antiocho conſpirant; ſed a M. Fulvio Nobliore victi duras, amiſſa Ambracia, pacis conditiones acceperunt, quas apud Livium legere eſt. Dum bellum contra Perſen geritur, manſit in fide univerſa Græcia præter Epirotas; quare eorum præda a Senatu data militi; eorumque oppida 70. uno die L. Pauli juſſu direpta, murique diruti. VI. *Ætolia domita, & Epirus.*

Dum bellica laude ſoli in Græcia florent Achæi Lacedæmonii Romæ queruntur apud Senatum fines ſuos ab ipſis vaſtari: quare miſſi a Senatu Corin- VII. *Achaja.*

thum legati, qui juberent, ut Lacedæmon, Argos, Heraclea, Corinthus &c. ab Achæorum concilio diſcederent. Continuo Lacedæmonii, qui tum erant Corinthi, ab Achæis conjecti ſunt in vincula; Romanorum legati verbis, ut a multis proditum eſt, violati. Achæi Critolao duce arma capiunt; bis pugnatum eſt. Victi a Q. Metello ad Scarphiam Achæi, ad Chæroneam Arcades; & iterum ad Leucopetram a L. Mummio Achæi, capta Corinthus & incenſa. Ita an. 607. Græcia omnis cum Epiro vectigalis facta eſt, & in provinciæ formulam redacta, Romaniſque & legibus uti & magiſtratibus parere cœpit: multis tamen civitatibus permiſſa libertas, maxime Athenis, quibus bis reddita eſt, ſemel a Sylla, iterum a Cæſare, cum in bello Mithridatico Mithridati, & in civili Pompejo faviſſent.

## CAPUT VI.

### *Aſia, Bithynia, Pontus, Cilicia, Cyprus, & Syria*

I. *Aſiæ acceptio multiplex.* HUjus vocis *Aſia* triplex acceptio eſt: Aſia enim dicitur & pars orbis univerſi, quæ Africæ aut Europæ reſpondet; & ea regio, quæ ab Iſſico ſinu ad Helleſpontum porrigitur; & Attali Pergameni ditio, quam Romanis teſtamento reliquit, quæ Myſiam, Phrygiam, Ætoliam, Ioniam, Cariam, Doridem, Lydiam, Lycaoniam & Piſidiam complexa eſt: de Aſia hac notione accepta hoc loco agimus.

II. *Aſia proprie dicta.* Poſt Alexandri Magni obitum Philetærus Pergamo viciniſque regionibus a Lyſimacho præfectus eſt; illum excipit ipſius ex fratre nepos Eumenes, qui victo ad Sardes Antiocho Seleuci filio multis circum urbibus potitus eſt. Huic qui ſucceſſit Attalus, fra-

tris item filius, a Romanis; quos adverſus Philippum Macedonem juverat, Rex appellatus eſt. Eumenis ipſius filii multum aucta fuit a Romanis ditio; victo enim a L. Scipione Antiocho, ipſi ceſſerunt Lycaonia, Myſia, Phrygia utraque, Ionia; domitis a Cn. Manlio Galatis, multæ etiam urbes ipſi attributæ. Tantorum beneficiorum memor filius Eumenis Attalus Philometor, cum prole maſcula careret, Romanos teſtamento ſcripſit hæredes an. 620. ea tamen lege, ut Aſiæ civitates eſſent liberæ; qua libertate haud multo poſt Aſia excidit, cum ad Ariſtonicum, qui regiam ſtirpem mentitus erat, defeciſſet. Capto enim Ariſtonico, in provinciæ formam tum a Perpenna tum ab Aquilio ordinata eſt, legeſque a Q. Mutio Scævola præſcriptæ an. 631. Occupata aliquanto poſt a Mithridate Aſia eſt; ſed a Sylla, Luculo, Pompejo recepta: erant tamen civitates liberæ, ut Nagneſia, Illienſes, Chii, Rhodii, Lycii, &c.

III. *Bithynia.* Eadem ratione Bithynia Romani, qua Aſia, potiti ſunt. Suos hæc provincia Reges habuit vel ante Alexandri Magni tempora, e quibus Nicomediam condidit Nicomedes avus illius Pruſiæ, a quo inita primum eſt cum Romanis ſocietas. Illius nepos Nicomedes a Senatu Rex appellatus, bis & a Mithridate regno pulſus eſt, & a Romanis reſtitutus, ſemel a M. Aquilio, iterum a Sylla: quare hujus filius Nicomedes Romanos moriens hæredes inſtituit an. 679. omniſque ſupellex regia ab A. Pompejo Bithynico Romam delata eſt.

IV. *Pontus.* Pontus duplex provincia fuit: una inter Sangarium flumen, qui Bithyniæ terminus erat, & Parthenium amnem; altera juxta maris Pontici litus. In prima incolebant Mariandeni, in ſecunda Pontici; utraque ſimul in Romanorum ditionem venit. Mariandeni interdum fuerunt liberi, ſepius Tyrannis ſervierunt, cum Æmylio Paulo, dum bellum gerit

rit contra Perſen, fœdus pepigerunt; multo poſt, ſive metu ſive ſponte Mithridati Pontico, paruerunt. Is regio, ut a multis proditum eſt, Perſarum ſanguine oriundus, moto adverſus Romanos bello, omnem pene Aſiam & Græciam ſubegit; ſed mox a Sylla Græcia & Aſia, a Lucullo Bithynia & Ponti parte maxima, a Pompejo omni ditione ſpoliatus eſt; & a Pompejo juſſu Senatus Pontus utraque adjuncta Bithyniæ eſt, legeſque ex decem Legatorum ſententia impoſitæ. Orato Pompejum inter & Cæſarem bello civili, Pharnaces filius Mithridatis Pontum recipit, unde mox a Cæſare ejectus eſt.

V. *Lycia.* Ciliciæ nomine quatuor provincias, quæ ultra Taurum montem ſunt, intelligimus, *Lyciam*, *Pamphiliam*, *Iſauriam*, & *Ciliciam*; quarum aliæ alio tempore ad Romanum imperium acceſſerunt. Omnes Perſarum olim Regibus, deinde Alexandro Magno, tum Regibus Syriæ paruerant; ſed Lycia Antiocho Magno a Romanis poſt victoriam ademta eſt, & Rhodiis ex fœdere attributa, quibus etiam haud multo poſt erepta, quod in bello contra Perſen dubia eorum fides eſſet. Ita Lyciæ libertas quidem reddita, ſed vectigal imperatum.

VI. *Pamphilia, Iſauria, Cilicia.* Pamphiliam, Iſauriam, & Ciliciam piratæ occuparunt ex Tigranis, qui Syria tum potiebatur, vel juſſu vel conſenſu: bellum contra ipſos a Romanis T. Antonio, P. Servilio, Cn. Pompejo ducibus geſtum eſt. M. Antonius an. 651. Cilicas vicit, & Pamphiliæ Ciliciæque partem in provinciam redegit. Hanc provinciam ex Conſulatu ſortitus P. Servilius amplificavit, cui victis prædonibus adjecit Iſauriam, unde *Iſaurici* cognomen adeptus eſt: denique Cn. Pompejus, fugato Mithridate, Tigrani, qui ſupplex pacem petierat, reliquam Ciliciæ partem eripuit. Non ſtati hujus provinciæ fines erant, ſed pro dignitate Proconſulum amplificati. Si Proprætor Aſiam obtineret, Proconſul Ciliciam; tum

Cili-

Ciliciæ & Cyprus & ex Aſia tres diœceſes Cibyratica, Synnadenſis, & Apameenſis additæ; quas Ap. Claudio & M. Ciceroni, dum Ciliciæ præerant, paruiſſe certum eſt.

Cyprus, maris mediterranei juxta Ciliciam inſula, ſuis olim Tyrannis ſerviit, deinde Perſis Regibus, & poſt Alexandri Magni obitum Ægyptiis. Illam obtinebat Ptolemæus Auletis Ægyptii frater, cum P. Clodius Tribunus plebis Rhodum nulla cauſſa præconi publico ſubjicit. Infenſus Regi Clodius erat, quod ipſum captum a piratis non redemiſſet. Cum claſſe in Cyprum ire juſſus Cato; Ptolemæus impar viribus ſibi mortem conſcivit: Cato inſulam conſtituit, regiamque ſupellectilem Romam detulit an. 697. Sæpe Ciliciæ, uti prius innuimus, adjuncta Cyprus eſt, ita tamen, ut Proconſuli nefas eſſet Cyprios ex inſula evocare; ſæpius tamen proprio Prætori parere juſſa. Sub hæc Arſinoæ, quæ Cleopatræ ſoror erat, vel a C. Cæſare, ut ſcribit Dio, vel a M. Antonio, ut Strabo auctor eſt, data, ad Romanos poſtea rediit. VII. *Cyprus.*

Syria, quæ a monte Amano & fluvio Euphrate ad Ægyptum pertinet, regiones quinque complexa eſt, Comagenen, Seleucidem, Phœniciam, Cœleſyriam, & Judæam. Comagene & Judæa Augusti tempore propriis ſuberant Regibus; quare nihil ad nos. Partes reliquæ tres primum Regibus Perſarum paruerunt, poſt Alexandrum interdum Ægyptiis Regibus, ſæpius Seleucidis, quibus ſedes Antiochia ad Orontem fuit. Cum bellum adverſus Mithridatem geri cœptum eſt, imperabat in Syria Antiochus Euſebes Cyziceni filius, qui a Tigrane Armeniæ regno ejectus eſt; at victo a Lucullo Tigrane, Antiochus Aſiaticus Euſebis filius Syriam recepit, eamque ex Luculli conceſſu poſſedit. Profectus vero Lucullo Pompejus id ratum eſſe noluit, Syriamque ademit Antiocho, cauſſatus quæ in Syria Tigranis VIII. *Syria.*

granis

granis fuerant, ea jure belli Romanæ ditionis eſſe ; ita pulſo Antiocho M. Scaurum Syriæ præfecit. Erant tamen, præter Comagenes & Judææ Reges, multi Reguli, ut Chalcidis, Emeſæ, Traconitidis, Bataneæ, & Abellinæ.

## CAPUT VII.

### *Africa, Numidia, Mauritania, Libya, & Creta.*

I. *Africæ provinciæ.* AFrica, de qua hic agimus, a freto Herculeo ad Ægyptum porrigitur; illius quatuor partes erant, Mauritania, Numidia, Libya, & Cyrenaica - Mauritaniæ termini fuerunt hinc fretum Gaditanum, inde flumen Mulucha; Numidiæ Mulucha & Tuſca amnes; Libyæ ſive Africæ Tuſca & aræ Philænorum; Cyrenaicæ, quæ Ægypto finitima erat, aræ Philænorum & Catabathmus. Cum victus eſt a Scipione in Africa Annibal, duas in partes diviſa erat Numidia; unam inſederant Maſæſuli, Maſſyli alteram: illis Syphax præerat; his Maſſiniſſa. Mauritania Bocchi avo parebat; Carthaginienſibus Libya, ſive Africa; Cyrenaica Ptolemæis Ægypti Regibus vel ejuſdem ſtemmatis Principibus.

II. *Africa.* Tria Romanis cum Carthaginienſibus bella fuerunt, nomine pro ſociis, reipſa pro imperio. Primo bello nihil ex Libya ademtum Pœnis eſt; ſecundo permiſſa etiam illis Africa, ſed abreptæ naves vel incenſæ, vetitumque ne injuſſu populi Romani bellum gererent; tertio bello deleta Carthago eſt, ſolum conſecratum, regioque omnis, quæ Carthaginienſium fuerat, in provinciam relata, eoque Prætor mitti cœptus, & provinciæ impoſitum tum tributum in capita, tum vectigal in agros.

III. *Numidia.* Maſæſuli, capto a Scipione eorum Rege Syphace;

ce, Maſſiniſſæ Maſſylorum Regi parere juſſi; ita illе primus Numidiæ toti imperavit. Hunc Micipſa filius excepit, Micipſam Adherbal & Hiempſal filii, & Jugurtha ex fratre nepos. Jugurtha utrumque occidit, eorumque ditionem occupat; illum Romani, quod aliena invaſiſſet, bello perſequuntur. Vincitur a Metello, a Mario capitur proditione Bocchi Mauritaniæ Regis, cui fraudis præmium Maſæſulorum regio data fuit; Maſſylorum vero ditio Hiempſali, qui ex ſtirpe Maſſiniſſæ ortus erat, permiſſa. Is C. Marium juvit exulem, ejuſque filius Hiarbas ejuſdem factionis Cn. Domitium: quare a Cn. Pompejo victus captuſque eſt, illiuſque regnum Hiempſali ex Maſſiniſſæ genere oriundo delatum, cujus filius Juba, una cum P. Scipione in Africa fugatus a Cæſare, ſibi mortem conſcivit; tumque Numidia Romanis ceſſit, factaque provincia eſt, ac *nova Africa* dici cœpit, illa vero, quæ Carthaginienſium fuerat, *vetus* appellata. Numidiæ præfectus eſt a Cæſare, is qui hiſtorias ſcripſit, Salluſtius.

Ut Africa, ita etiam Mauritania fuit *vetus* & *nova*. Illa a Gaditanis faucibus ad Mulucham amnem porrecta; hæc a Mulucha ad Ampſagam flumen. Nova primum Syphaci, tum Maſſiniſſæ, poſt, capto Jugurtha, Bocco paruit; tumque *nova Mauritania*, quæ Numidiæ pars erat, dici cœpta eſt quod Boccho Mauritaniæ Regi contributa eſſet. Utramque ille Mauritaniam primus obtinuit, veterem hæreditario jure; novam, tradito Jugurtha, Romani populi beneficio. Duos ille ex Boccho filio nepotes habuit, Bocchum & Bogud: novam Mauritaniam Bocchus, Bogud veterem ſortitus; a Cæſare, pro quo contra Pompejanos pugnaverant, ambo Reges appellati. Cæſo Cæſare, Bogud quod Antonium adverſus Octavium juviſſet, a Boccho fratre regno pulſus eſt; Octavius utramque IV. *Mauritania.*

Mau-

Mauritaniam & Boccho indulſit, & illo haud multo poſt mortuo Romanam deinceps provinciam fore juſſit, an. 721.

Libya itidem duplex, *Cyrenaica* & *Arida*; utra-
V. que & ditionis Ægyptiæ fuit, & a duobus Regibus
*Libya.* populo Romano data. Ambobus nomen *Ptolemæus*,
cognomen diverſum: qui Cyrenaicam dedit, *Ptolemæus antiquior* a Rufo dicitur; qui Aridam, *Ptolemæus Apion* a Livio; uterque Libyæ Rex erat, & ex regio Ægyptiorum ſanguine. Aridam dedit Apion an. 657. quo anno dederit alter Cyrenaicam, non liquet. Donationi hæc appoſita conditio eſt, ut utraque vectigalis quidem eſſet, ſed & libera & ſuis uteretur legibus: quare neutra tum Romana provincia fuit, ſed aliquanto poſt, cum L. Lucullus Syllæ in bello Mithridatico Quæſtor Tyrannos, qui urbes invaſerant, oppreſſit, regionemque omnem deſcripſit in provinciæ formulam.

Ideo Creta Libyæ ſubjecta a nobis eſt, quod al-
VI. tera alteri a Romanis adjuncta ſit. Cretenſibus cri-
*Creta.* mini datum, quod piraticam exercerent; bello ap-
petiti M. Antonium Triumviri patrem fuderunt: tandem poſt multa prælia a Q. Metello triennio domiti, tumque Cretæ juncta Cyrenaica, & utraque uni Prætori parere juſſa.

DIS-

# DISSERTATIO QUINTA.

## ROMANORUM JURA.

JUra, quæ a populo Romano olim data ſunt, in quatuor veluti claſſes tribuimus: prima Romanorum jus continet, jus Latii altera, tertia Italicum, quarta Provinciale. Diverſa ſingulorum ratio fuit: ut enim jus Romanum jure Latii, ita jus Latii Italico, & Italicum Provinciali honeſtius fuit & commodius. De ſingulis ſingula erunt capita.

### CAPUT PRIMUM.

*Unde varia jura.*

DIverſa illa jura a varia ſeu victoriæ ſeu fœderis lege manarunt: ut enim quiſque optime in populum Romanum ſe geſſit, ita maxima fidei præmia inito fœdere adeptus eſt. Amicitiæ vero & ſocietatis ineundæ triplex genus fuit, ſponſio, pactio, & fœdus. Fœdus pactione, pactio ſponſione firmior fuit. Sponſio & Magiſtratuum & Imperatorum arbitrio fiebat; unde eorum, per quos facta eſſet, deditione infirmari ſolita. Pactio ad inducias pertinet, quibus pax non in perpetuum, ſed ad certum ſive dierum, ſive menſium numerum ſancita eſt: fœdus vero erat pactio quædam & populi juſſu & Senatus voluntate per fecialem publicum firmata in perpetuum. I *Varia fœderum genera.*

II. *Ex variis fœderibus varia jura.* Tria vero fuerunt fœderis genera: unum, cum victis pax data eſt; alterum, cum bello pares æquo fœdere in pacem venirent; tertium, cum qui hoſtes nunquam fuerant, amicitiam inter ſe ſociali fœdere junge-

jungerent. Iniquiſſima fœderis conditione uſi ſunt dedititii, qui omnia ſua templa, ſacra, agros, &c. populo Romano permittebant. Cum igitur fœdera fuerint alia aliis æquiora, inde factum, ut alii deteriore, honeſtiore alii juris conditione uſi ſunt. Inde varia jura orta ſunt, Romanum, Latii, Italicum, Provinciale; inter quæ quid potiſſimum interfuerit, paucis explicare nobis propoſitum eſt.

## CAPUT II.

### *Jus Romanorum.*

I. *Jus Romanorum duplex, privatum & publicum.*

JUs omne Romanum vel privatum fuit, vel publicum; & utrumque multiplex. Ad privatam rem pertinuit jus libertatis, gentilitatis, ſacrorum, connubiorum, legitimi dominii, tutelarum; ad publicam jus cenſus, militiæ, tributorum & vectigalium, ſuffragiorum, honorum. Præcipua quæque hic delibare animus eſt; cætera, quæ a noſtro abhorrent inſtituto, omittere. Iis vero juribus uſi ſunt (quod hoc loco admonere operæ pretium eſt) omnes Romani cives, ſive in urbe Roma, ſive in agro Romano habitarent. Agri Romani fuerunt alii aliis temporibus fines: cum patuit latiſſime, hæc fere oppida complexus eſt, Tibur, Gabios, Tuſculum, Lanuvium, Ardeam, Oſtiam, Fidenas, Collatiam, Ariciam, Cære, Antium, Cruſtuminum; ubi enim hi populi alii ab aliis ſive Regibus ſive ducibus devicti ſunt, eorum oppida agro Romano addita.

II. *Quis ſervus, liber, libertus, ingenuus.*

Qui urbem agrumve Romanum incolebant, aut ſervi erant, aut liberi: hi Romani cives, illi non item. Servus fuit, qui aut natus ex domini ancilla, aut jure factus, vel civili, ſi pretii cauſſa vendi ſe paſſus eſt, vel gentium, ſi aut bello captus, aut ſub haſta venditus. Is liber dictus, cui quod luberet

faciendi

faciendi arbitrium erat: liberorum vero triplex genus, ingenuus, libertus, & libertini filius. Omnes cives erant, ſed conditione diſpari; ingenuus optima, libertus deteriore: is vero libertus erat, qui ex ſervitute a domino manumiſſus fuit. Ad libertatem etiam Romanorum nonnihil pertinebat nullis parere ſive Regibus ſive Tyrannis, quæ libertas, dum ſumma rerum penes Reges erat, nulla fuit; & multo poſt tum a L. Sylla, tum a C. Cæſare labefactata, tandem ab Auguſto ſublata eſt. III.

*Qui plebeji, & patricii.*

Romanos cives duas in patres Romulus diviſit, quarum una *patres*, altera *plebs* dicta eſt: tum ſoli patricii Magiſtratus obtinuerunt, plebeji non item; ſed aliquanto poſt, honores plebs adepta eſt, ambo tamen ſanctiſſimo inter ſe vinculo devincti erant, quo patres erant plebejorum patroni, plebeji patrum clientes, ut alii aliis & præſidio eſſent & ſubſidio. Hac potiſſimum prærogativa plebejo præſtabat patricius, quod qui civitatem adeptus erat, eſſet continuo plebejus, non tamen patricius: fuit enim illud in more poſitum inter patricios adſcribi neminem; niſi quem Rex lege ad populum lata juberet, vel Conſul, vel Dictator. Nuſquam etiam legere eſt quemquam e plebe aut in Saliorum collegium cooptatum fuiſſe, aut creatum Interregem, aut Regem ſacrificulum, aut Flaminem majorem, ſive Dialis eſſet, ſive Martialis, ſive Quirinalis: quæ dignitates ſolis delatæ patriciis, negatæ plebejis. IV.

*Jura ſacrorum.*

Qui civitate donatus erat, is in ſacrorum & cæremoniarum partem erat adſcitus. Sacra vero & publica fuerunt & privata: publicum orbis focum ſervarunt. Veſtales, publicos curiarum focos triginta cum ſuis Curialibus Curiones, pagorum ſingulorum ſinguli Sacerdotes: privatos familiarum lares ſuos quiſque domi paterfamilias coluit. Fuerunt etiam privata gentis cujuſque ſacra, ut Æmyliæ,

Claudiæ, Juliæ, ſi Macrobio credimus: cautum tamen erat auctoritate publica, ne quis novos colendorum deorum ritus inveheret: unde factum, ut alia ſacra Romani cives, alia alii populi habuerint. De patrum in liberos poteſtate pauca ſubjicere ſatis erit: hæc poteſtas multiplex erat, in liberorum bona, libertatem, vitam; fas enim erat patribus liberorum bona diſtrahere, ipſos etiam vel vendere vel occidere, ſi quidpiam ab iis gravius peccatum eſſet.

V. *Cenſus* Inter jura, quæ ad publicam rationem pertinent, jus cenſus, unde manarunt cætera, principem locum obtinet. Cenſum Ser. Tullus inſtituit, quo cives omnes, in ſua quiſque tribu, claſſe, & centuria, apud eum, penes quem jus cenſendi populi erat, nomina ſua, uxorum, liberorum, libertorum, ſervorum, pecudum numerum, fundorum inſtrumenta, pecuniæ ſummam, jurejurando dato ſigillatim profiterentur, ut qui quotve cives, quæ cujuſque opes, palam eſſet. Cenſendi munus primum Regum fuit, deinde Conſulum, poſtremo Cenſorum, uti alias diximus: ſi quis vero incenſus erat, & ipſe a Conſulibus ſub haſta venditus, & ipſius bona a Cenſoribus fiſco addicta.

VI *Militiæ.* Ex jure cenſus jura tum militiæ, tum tributorum profecta ſunt: Jus militiæ idem fuit cum jure legionis, in quam nullus adſcriptus, niſi ingenuus, & ex ingenuis niſi junior, & ex junioribus niſi qui in quinque claſſibus cenſeretur, & artis ludiræ expers eſſet. Unde ſervi, libertini, pueri, ſeniores, capite cenſi, hiſtriones repudiati. Quando adhiberi cœpti ſint, dicemus pluribus in Romana militia. Ætas vero militaris ab an. 17. ad annum 45. ex Servii inſtituto pertinuit.

VII. *Tributorum.* Pecunia omnis, quæ a Romano cive publice pendebatur, vel tributi nomine data eſt, vel vectigalis. Si tributim ſingulis pro ratione cenſus imperata fuit,

*tribu-*

*tributum* erat; ſi alio nomine aliave ratione, *vectigal*. Quanquam tributi tria fuerunt genera; ſed aliud alio tempore ſolutum: unum, quod in capita impoſitum; alterum, quod ex cenſu collatum erat; tertium, quod extra ordinem imperatum, idque dictum vulgo *temerarium*. Ante Servium Regem in capita imponi tributum moris fuit; quare ſi Regi pecunia opus erat, pauper perinde ac dives pendebat: quod ne deinceps fieret, vetuit Servius. Poſt Reges ejectos, tributorum omnium pauperibus vacatio data eſt. Anno 349. Senatusconſulto ſancitum eſt, ut plebi, quæ ſuis hactenus ſumptibus meruerat, ſtipendium quotannis daretur de publico: quare tributum pro ratione cenſus civibus impoſitum, quod pro varia publicæ rei ratione vel levius fuit vel gravius. Anno tandem 586. illud tributum penſitari deſitum eſt, cum L. Æmylius Paulus Perſeo devicto infinitam prope pecuniæ vim in ærarium intulit. Temerarium vero tributum dictum eſt, cum omnes quidquid auri argentive haberent, in ærarium deferre juſſi ſunt.

VIII. Vectigalis. *Vectigal* omne vel *portorii* nomine, vel *decumarum*, vel *ſcripturæ*, vel *ſalis*, vel *viceſimæ*, imperatum eſt. Portoria erant, quæ pendi ſolebant portitoribus, hoc eſt iis, qui ex mercibus in portum devehendis mercedem exigebant; quæ ſolvi deſierunt anno urbis 692. quo Pompejus ex Mithridate victor opes Aſiæ in Urbem invexit. Decumæ impoſitæ Romanis civibus & nominis Latini ſociis, qui agrum publicum, ſive in Italia, ſive extra Italiam arabant. Scriptura exacta ab iis, qui & ſylvis & paſcuis publicis fruebantur: viceſima a libertinis an. 398. Duo ex ſale collecta vectigalia; unum anno ſecundo poſt Reges exactos, cum lege cautum eſt, ne quis privatus ſal venderet, ſed minoris e publicâ acciperetur; alterum bello Punico ſecundo, cum novum a Livio Salinatore vectigal ex annona ſalaria imperatum eſt.

IX. *Suffragii.* *Suffragia* nuſquam niſi in Comitiis populus tulit: comitia vero erant populi cætus, ut quid ſuffragio ſuo vel juberet vel prohiberet. Eorum tria fuerunt genera, *Curiata*, *Centuriata*, *Tributa*. Curiata Romulus, centuriata Ser. Tullius, tributa populus ipſe in Rempublicam invexit. Cum populus in curias deſcriptus ſuffragium tulit, curiata fuerunt comitia; cum in centurias, centuriata; cum in tribus, tributa. In Curiatis vincebat pauperum multitudo: in Centuriatis divites & nobiles (ut enim quiſque maximo cenſu fuit, ita primus in ſuffragia miſſus); in Tributis una plebs erat, patricii nulli; in damnatione enim Coriolani primum uſurpari cœpta ſunt. Hæc una Comitiorum omnium ratio fuit, ut qui plura in ſingulis vel curiis vel centuriis ſuffragia tuliſſet, is illam ſive curiam ſive centuriam tuliſſe diceretur. In Curiatis initio creati Reges, Quæſtores, Ædiles, Tribuni plebis; in Centuriatis Conſules, Decemviri, Tribuni militum, Conſulares, Cenſores, & Prætores. Sed de his poſtea pluribus.

X. *Honorum.* *Honores* erant curationes publicæ civium ſuffragio cuipiam delatæ; alii ad res divinas, alii ad humanas pertinebant. Primi generis erant *Sacerdotia*, ſecundi *Magiſtratus* & *Imperia*. Sacerdotes res ſacras curabant, ſed alii ſingulorum deorum, alii promiſcue omnium, de quibus alias: id omnibus commune fuit, ut nec poteſtatem haberent nec imperium, utque eſſent perpetui; & ex plebe patriciiſve nullo diſcrimine legerentur, præter Regem ſacrorum, Regem ſacrificulum, Flamines majores tres, & Salios Palatinos, qui ex patriciis ſemper adſciti.

XI. *Magiſtratuum.* *Magiſtratus* erant ii, quibus permiſſa publica res. Eorum quatuor precipue jura fuerunt, imperare, jus dicere, referre, auſpicia habere. Imperium in tribus poſitum, in edicendo, in vocando, in

in prehendendo. Juriſdictio duas habuit partes, decretum, & judicii lationem. Jus referendi duplex itidem fuit, ad Senatum, & ad populum. Auſpicia alia ut plurimum in Urbe uſurpata, ut obſervatio de cœlo; alia foris & militiæ, ut pullorum tripudium.

*Imperium* facultas erat & habendi exercitus, & belli gerendi: aliud domi fuit, aliud foris; illud civile, hoc militare, quod datum tantum Dictatoribus, Conſulibus, Prætoribus, & iis præterea, quibus Imperatoris & appellatio permiſſa erat & dignitas. XII. *Imperii.*

## CAPUT III.

### *Jus Latii.*

LAtium duplex fuit, antiquum & novum. Antiquum a Tiberi Circejos uſque, novum ad amnem Lirum perducitur. Vetus incolebant Albani, Rutuli, Gabini, Tiburtes, Præneſtini, Tuſculani, Laurentes, &c. novum Oſci, Auſones, & Hernici. Volſci enim & Æqui, quamvis Latii incolæ, inter Latinos tamen appellatos nuſquam legere eſt: quod nec ad commune Latinorum concilium in luco Ferentinæ, nec ad ferias Latinas in monte Albano vocarentur. Latium Latinos ſecrevit ab Italicis, qui non erant in Latio; fœdus a Romanis civibus, qui Romanum agrum colebant in Latio: jus Latii ab aliis Latinis, qui cum habitarent in Latio, Latii tamen jure non utebantur. I. *Qui Latini.*

Jus Latii, quod jure Romano deterius erat, & Italico commodius, duplex fuit: unum privatum, alterum publicum, privatum ad libertatem, gentilitatem & publicum ad cenſum; ad militiam &c. uti dictum eſt, pertinuit. Jus privatum Latinorum a Romano diverſum fuiſſe certum eſt; quo vero jure II. *Jus Latinorum privatum & publicum.*

privato tum Latini, tum alii Italiæ populi uſi ſint, incertum: Latinos Romæ cenſos a nemine, quod ſciam, proditum eſt. Ut coloniis, ita ipſis in ſuis civitatibus cenſeri licuit: cum Romani cives tributa penderent, Latinos etiam pependiſſe par eſt credere, Coſſiano fœdere cautum erat, ut copias tum pedeſtres tum equeſtres pro Romanorum arbitrio darent.

III. *Illorum jus ſuffragii.* Jus quidem ſuffragii habuerunt, at non optimo jure, cum nec in tribus deſcripti eſſent, nec ſemper ferrent ſuffragia: interdum in aliquam Latii urbem vocati, ſuffragii cauſſa, pro arbitrio Romani Magiſtratus; interdum ſine ſuffragii latione dimiſſi. Sub bellum Punicum ſecundum, ne ad Annibalem deficerent, ad ſuffragia admiſſos eſſe perhibent; ad honores autem Romæ petendos nihil illis juris fuit. Duo vero ſunt potiſſimum, in quibus poſitum erat Latii jus: alterum, quod qui in Latii oppido ædilitatem vel præturam geſſiſſet, is eſſet continuo Romanus civis; alterum, quod Latini non Romanorum Magiſtratuum, ſed Prætorum ſuorum edictis obtemperarent. Anno tandem urbis *662.* poſt ſociale bellum civitas omni Latio lege Julia data eſt.

## CAPUT IV.

### *Jus Italicum.*

I. *Jus Italicum.* ITalia duobus olim definita erat terminis, altero naturæ, altero juris. Natura fines dedit mare & Alpes, quibus continentur Ligures, Galli, Veneti, Carni, Etruſci, Romani, Latini, Campani, Lucani, Græci, Apuli, Ferentani, Picentes, Umbri, Sabini, Veſtini, Marci, Marrucini, Peligni, & Samnites: populus vero Romanus regionem omnem, quæ a Rubicone & Arno fluviis ad mare uſque Si-

culum

culum pertinet, *Italiam* appellavit; eam vero, quæ ab Arno & Rubicone ad Alpes pertingit, *Provinciam Galliæ*, quod Ligures & Gallos armis devictos in provinciæ formam redegerat: cujus diviſionis ſi ratio habeatur, erant tantum in Italia Romani, Latini, & Italici; quo tamen nomine intelliguntur omnes, quos modo appellavi, populi, præter Romanos, Latinos, Ligures, Gallos, Venetos, & Carnos.

Jus Italicum inde dictum eſt, quod Italis aliis quidem alio tempore conceſſum eſt. In eo Latii jure deterius erat, quod Italis poſt obitum in ſua urbe Magiſtratum ad civitatem Romanam aditus non patuit, patuit autem Latinis; fuit vero jure provinciarum commodius, quod Italici Magiſtratibus ſuis, non Prætori Romano, ut Provinciales, parerent: unde quivis intelligat jura omnia, quæ Latinis negata erant, negata itidem fuiſſe Italis; quæ onera impoſita, impoſita pariter Italis, ut milites dare, ſtipendia ſolvere, & alia id genus. Hoc jure uſa eſt Italia ad annum 550. quo P. Sulpicius Galba Dictator, quod multi ad Annibalem poſt cladem Cannenſem defeciſſent, Italiam peragravit; & ſingulis pro ſuis in Rempublicam meritis jura vel auxit vel ademit. Jus omne ſublatum Brutiis, Picentinis, & Lucanis. Brutii enim deinceps ut ſervi a Romanis habiti; alii ut viatores & tabellarii. Capua, quæ paulo ante capta erat, & tecta publica & agrum amiſit, eoque miſſus quotannis Prætor, qui jus diceret.

II. *Quid jus Italicum.*

III. *Italis civitas data.*

Denique Italis omnibus haud aliter ac Latinis lege Julia civitas an. *662*. data eſt: aliquanto poſt, cum vectigalia provinciarum ſuſtulit Auguſtus, & tributa ordinaria inſtituit, alia in agros, alia in caput; utriuſque immunem voluit eſſe Italiam, unde nullum poſtea Romanis ſolvit ſive vectigal ſive tributum, Latini civitatem adepti a L. Julio Cæſare

& P. Licinio Craſſo Cenſoribus in octo novas tribus conjecti ſunt, ut & poſſent minus, & de veterum tribuum jure nihil detraherent; quod cum ferrent ægrius, rem ad Sulpicium Tribunum plebis deferunt, a quo continuo lata lex eſt, ut in veteres tribus transferrentur: quæ lex & a Sylla reſciſſa eſt, & a L. Cinna reſtituta. Ita in 35. tribus adſciti Itali a L. Marcio Philippo & M. Perpenna Cenſoribus.

## CAPUT V.

### *Jus Provinciarum.*

I. *Aliud jus provinciarum* EA regio *provincia* a Romanis dicta eſt, cui ademtæ patriæ leges, libertas, & Magiſtratus, data Romana lex, impoſitique Romani tum Prætor tum Quæſtor, ut ille jus diceret, hic procuraret vectigalia. Non eodem tamen jure uſæ ſunt omnes ſive provinciæ, ſive unius provinciæ civitates; ſed aliæ vel honeſtiore vel duriore pro ſuis in populum Romanum meritis. Aliæ enim erant vectigales, quibus vectigal impoſitum; aliæ liberæ, quibus nullum; aliæ ſervitute affectæ, quibus datus Prætor Romanus; aliæ liberæ, quibus præter morem ſuæ permiſſæ leges; aliæ fœderatæ, quæ ex fœdere aliquid vel pecuniæ debebant vel auxilii, præterea nihil: quæ varia jura poſt partam victoriam ex fœderis lege manarunt.

II. *Aliud jus provinciæ Galliæ.* Sed longe alia provinciæ Galliæ, alia aliarum provinciarum ratio fuit. Provinciam Galliæ appellamus eam Italiæ partem, quæ mari Liguſtico, Rubicone, & Arno fluviis; Adriatico ſinu & Alpibus definita eſt, in qua erant Ligures, Galli, Veneti & Carni. Iis quidem, ut aliis provinciis, & ademtæ leges propriæ, & Prætor impoſitus; ſed imperati milites, qui pariter ac Itali inter ſocios cenſerentur:

cæteris vero provinciis auxilia tantum præter ordinem imperara. Hæc provinciæ Galliæ conditio fuit uſque ad bellum ſociale, ſive Italicum: tum enim, quod manſiſſent in officio, Cn. Pompejus Strabo anno 664. Conſul legem tulit, qua Liguribus, Ciſpadanis & Venetis civitatem, Tranſpadanis Latinitatem communicavit: civitas ſubinde a Tranſpadanis ſæpius petita eſt, quam C. Cæſar & Ædilis & Conſul illis impertiri voluit, & tandem anno dictaturæ primo indulſit: inter provincias tamen etiam tum recenſita eſt provincia Galliæ, quippe quæ Prætori itidem ac cæteræ pareret; donec an. 711. a Triumviris Octavio, Antonio, & Lepido civitas optimo jure data eſt, & provincia eſſe deſiit. Ante C. Cæſarem nulli extra Italiam civitas data: ipſe primus Siculis dedit, quam legem ab ipſo conditam poſt ipſius cædem ratam eſſe juſſit Antonius; aliis poſtea extra Italiam oppidis Auguſtus civitatem detulit, aliis Latinitatem, aliis jus Italicum: inde civitas gentibus exteris ab iis ſubinde Imperatoribus communicari cœpit.

## CAPUT VI.

### *Jus coloniæ, municipii, præfecturæ, fœderatæ civitatis & fori.*

PRæter hæc quatuor, de quibus hactenus egimus, erant & alia coloniarum, alia municipiorum, alia præfecturarum jura; quæ etſi aliis erant temperata, quæ cujuſmodi fuerint, breviter perſtringimus.

I. *Quid colonia, & illius jura.*

Coloniæ nomine intelligimus oppidum, quo populus Romanus ſuos ad incolendum cives miſerat: coloniæ vero deducendæ conſuetudo a Romulo Rege profecta perhibetur, qui quæ ceperat oppida, nec diruit, nec ſervitute mulctavit; ſed colonos ab

urbe,

urbe, qui agrum colerent, deduci juſſit: quod & a cæteris poſtea Regibus, iiſque exactis, a Senatu populoque identidem factitatum. Non eadem vero coloniarum omnium ratio fuit: aliæ enim Latinæ vulgo dictæ ſunt, quæ jus Latii habuerunt; aliæ Romanæ, quæ Romanorum, non integrum tamen, ſed Quiritium ſive privatum. Moris enim fuit, ut nunquam civitas optimo jure coloniis concederetur; nullaque quod ſciam, ante civitatem datam Italis, jus cenſus, ſuffragiorum, & Magiſtratuum adepta eſt.

II. *Varia coloniarum genera.*

Coloniarum leges vel a Triumviris ut plurimum latæ ſunt, vel a propriis Magiſtratibus additæ: fuit enim in coloniis haud aliter ac Romæ Senatus & populus. Erant etiam Duumviri, qui Magiſtratus Conſulatui aut Præturæ prope par erat; Cenſores, qui cenſum in coloniis agerent; Ædiles, & Quæſtores. Erant præterea Romæ coloniæ cujuſque patroni, quorum opera in urbe, ſi quid opus eſſet, uterentur. Coloniarum vero, quod addere non abs re fuerit, aliæ civiles erant, aliæ militares; illæ e civibus, iſtæ e militibus deductæ. Ante Syllam civiles deductæ plures memorantur, militaris nulla; poſt Syllam nulla civilis, militares quamplurimæ. Ante C. Gracchi tempora nulla extra Italiam miſſa eſt. Is omnium princeps coloniam Carthaginem deducendam juſſerat; ſed lex a Senatu reſciſſa. Sub hæc Q. Marcius an. *635*. coloniam primus Narbonem miſit in Galliam: deinde Marius & Sylla in Corſicam, tum in alias regiones alii.

III. *Quid municipium.*

Colonias inter & municipia hoc intererat, quod coloniæ, ut ait Gellius, ex civitate Romana quaſi propagarentur; municipia in civitatem exttinſecus vocarentur. Quando enim univerſis oppidi cujuſpiam incolis data civitas eſt, hi vel migrarunt Romam, vel ibi, ubi prius erant, remanſerunt: ſi venerunt Romam, *Romani cives* dicti ſunt; ſin minus, *Municipes*,

*nicipes*, quaſi jus adepti cum Romano populo *munera capiendi:* quod Cæritibus primum ob cuſtodita bello Gallico Romana ſacra Senatus indulſit.

Ut coloniarum, ita etiam municipiorum diverſa conditio fuit. Data quidem omnibus Romana civitas, ſed aliis alio jure; nonnullis optimo, pluribus non item: datum enim interdum jus legionis, ut in legione Romana pariter ac cives, non in auxiliis ut ſocii ſtipendia facerent, præterea nihil; negata enim cætera jura Quiritium, ſuffragii, honorum, &c. unde ſuis uti legibus permiſſa: aliis vero omnia jura, una cum legione, data ſunt, præter jus domicilii cæteraque, quæ ex ipſo manabant, jura, ut curiæ, ut ſacrorum, & ferendi in curiatis comitiis ſuffragii. Hujus generis erant Tuſculani, Aricini, Lanuvini, &c. e quibus Coruncani, Catones, Murenæ, &c. ſummas in Republica dignitates adepti ſunt: ſuum etiam quodque municipium & Senatum habuit & populum, ſuoſque Magiſtratus, Dictatorem, Duumviros, Cenſores, Ædiles, Quæſtores, Flamines. IV. *Municipiorum jura.*

Inter omnes civitates Italicas præfecturarum duriſſima conditio fuit ac fortuna. Si qua enim civitas quid peccaſſet adverſus populum Romanum, ſi fidem datam aut ſemel aut iterum fefelliſſet, relata continuo eſt in præfecturæ formulam, quæ a formula provinciæ non multum aberat: ut enim miſſi quotannis in provincias Prætores qui jus dicerent, ita in præfecturas Præfecti. Hujuſmodi præfectura Collatia fuit, ſi Dionyſio credimus, a L. Tarquinio Rege inſtituta. Iis nec Latii jus, nec Romanum datum eſt, ſed privatum a Præfectorum edictis; publicum, hoc eſt cenſus, vectigalium, militiæ, &c. a Senatus voluntate petitum fuit. Magiſtratus alii Roma miſſi, alii a præfectura creati: illi & quatuorviri & ſexviri dicti ſunt; hi Ædiles, qui urbis ſarta tecta tuerentur, & Quæſtores, qui publi- V. *Quid præfectura, & illius jura.*

publicam præfecturæ pecuniam curaret. Eadem vero civitas & præfectura interdum fuit, & ſimul aut colonia aut municipium: erat quidem *præfectura*, quod eo juris dicendi cauſſa Præfectus quotannis mitteretur; erat præterea *colonia*, ſi forma Reipublicæ colonicæ uteretur; ſi jure civitatis vel cum ſuffragio vel ſine ſuffragio donata eſſet, *municipium*.

IV. *Quid fœderatum oppidum.*

Fœderatum oppidum nec colonia fuit, nec municipium, nec præfectura. Populo Romano aliquid ex fœderis lege debuit; in cæteris ſui juris erat, ſuoſque habuit Magiſtratus, ſuas leges, ſuamque Rempublicam: quod ex Capua, antequam defeciſſet ad Annibalem, intelligere licet. Aliæ vero aliis leges fuerunt, alii Magiſtratus pro varia & locorum & temporum ratione, & cujuſque Reipublicæ forma, hujuſmodi oppidis negata ut plurimum Romana civitas, data interdum meritorum ergo.

VII *Quid forum & conciliabulum.*

Huic voci *Forum* duplex ſubeſt notio. Forum enim locus erat vel juris dicendi vel nundinarum: unde cum Prætor locum juris dicendi deſignabat, *forum indicere* dicebatur; cum vero conventum in provincia juris dicendi cauſſa habebat, *forum agere*. Illa tamen juriſdictio ad cauſſas tantum privatas pertinebat; nec de cauſſis unquam publicis ibi diſceptatum eſt. Generis illius fuerunt fora Appii, Caſſii, Livii, Cornelii, Julii, &c. quibus ab iis ſive Proconſulibus ſive Prætoribus, qui ea inſtituerunt, nomen inditum. Fuit etiam *forum* ſive *conciliabulum* nundinarum locus, quo Romani cives, qui in agris verſarentur, mercandi & vendendi cauſſa convenire frequentes ſolebant. In his ſive foris, ſive conciliabulis & jus dictum eſt, & celebratæ nundinæ, vel conjunctim vel ſeparatim pro Prætorum arbitrio: illa fora ad jura municipiorum quoquo modo pertinent. Sed de his hactenus

DIS-

# DISSERTATIO SEXTA.

## ROMANORUM MILITIA.

QUæ ad Romanorum militiam pertinent, ad certa capita brevitatis cauſſa revocamus: agemus enim primo de militum delectu; tum de exercitu ejuſque partibus; poſt de variis ducum militumque ordinibus; poſtremo de militum armis, ſignis, ſtipendio, præmiis, & pœnis. Si quis plura requirat, e veteribus Polybium, Frontinum, & Vegetium, e recentioribus Lipſium, Sigonium, Roſinum, & Dempſterum conſulat.

## CAPUT PRIMUM.

### *De delectu & vocatione militum.*

QUi milites, qua ætate, quave ratione & legerentur, & dimitterentur, paucis accipe. Ubi Servius Tullius populum omnem tribuit in claſſes, cum multa, tum hæc duo illius lege præſcripta ſunt; unum, ut plebs infima, cujus cenſus undecim æris millibus minor erat, militia eſſet immunis; alterum, ut in claſſibus ſingulis centuriarum pars una ſeniorum eſſet, juvenum altera, ut illi urbis mœnia, hi vero fines imperii foris tuerentur. Unde cuivis intelligere licet ſervos, libertinos, pueros, ſeniores, capite cenſos, hiſtriones omnes, ſi Attellanos exceperis, in legionibus allectos non eſſe; ſed eos tantum, qui & ingenui eſſent, & juniores. *Ingenuus* fuit, qui in claſſibus præter ſextam adſcriptus erat; *Juvenis*, qui nec 16. annis minor, nec 46. major: his enim terminis juventus a Tullio Rege

I. *Primum ad militiam admiſſi tantum ingenui.*

Rege definita, ita tamen, ut qui debita ſtipendia, eques dena, pedes vicena, non conteciſſet, is ad ea explenda ad annum uſque quinquageſimum cogi poſſet, poſtea non item.

II. *Deinde proletarii, capite cenſi & libertini.* In illis tamen legibus nonnihil aliquanto poſt immutatum eſt: cum enim ingens plebis multitudo munerum omnium expers eſſet, anno circiter ab urbe condita 500. e republica fore viſum eſt, ſi ſexta claſſis, quæ tenuiorum erat tres in partes divideretur. Prima intra 1200. uſque ad 400. drachmarum cenſum conſtituta; altera intra 400. ad 150. hoc minor cenſus reliquam multitudinem habuit. Qui in ſecunda parte cenſebantur, vulgo *proletarii* dicti ſunt; qui in tertia, *capite cenſi*: pars prima, itidem ut aliæ claſſes, in legionibus deinceps allecta fuit; ſecunda & tertia non item. Quare *proletarios*, *capite cenſos*, *libertinos* ante annum *646.* ad nauticum uſum, quæ militia vilior erat, ſervari mos fuit; bella vero aut foris aut cum legionibus gerere nefas. Si quid tamen repentini tumultus oriretur, tum iis arma data, quibus urbis mœnia una cum ſeniorum centuriis tuerentur: donec anno *646.* & *proletarii*, & *capite cenſi* a C. Mario ad bellum Jugurthinum; deinde *libertini* anno *563.* & *664.* tum a Prætoribus tum a Conſulibus ad Marſicum legi cœpti ſunt.

III. *Qua ratione delecti Tribuni militum.* Delectus habendi hæc ratio fuit. Deſignatis Conſulibus, ſi bellum foris gerendum eſſet, in quatuor legiones, quæ tum ſcribi ſolebant, 24. Tribuni militum, partim a populo, partim a Conſulibus legebantur, ex equitibus quatuordecim, decem ex peditibus. Illi quod poſt quina ſtipendia Tribuni crearentur, *Juniores* vulgo dicti ſunt; hi vero, quod poſt dena, *Seniores*: uſus enim tum obtinuerat, ut in Tribunum aſſumeretur nemo, qui dimidiata non confeciſſet ſtipendia, quæ equiti dena præſcripta erant, pediti vicena. Deinde Conſules diem edicebant,

bant, quo omnes, qui ætate erant militari, vel in Capitolium convenirent, vel in Campum Martium, ne Tribunorum plebis interceſſioni locus eſſet. Tum Tribuni omnes, tum *Juniores*, tum *Seniores*, eo ordine, quo vel a populo vel a Conſulibus lecti erant, in quatuor legiones, ſex in ſingulas, diſtribuebantur: in primam *Juniores* quatuor, duo *Seniores*; in ſecundam tres *Seniores*, *Juniores* totidem; tertiæ legionis eadem ratio fuit, quæ primæ; quartæ, quæ ſecundæ.

Poſtea Tribuni tribus, ſi bellum eſſet grave, omnes, ſi leve, aliquot tantum in ſuas tum claſſes tum centurias ire jubebant; & ex tabulis, ubi cujuſque ætates, cenſus, vires, genus ſcripta erant, centurias ſingulas evocabant, ſæpe pro Conſulum arbitrio; interdum etiam ſorte, ne qua aut tribus aut centuria ad graviora bella injuſte legeretur. Ex centuria, quæ ſorte exierat, quatuor primum juniores, deinde ætate majores, & viribus & corporis habitu prope pares ſimul producebant; unum primæ legionis Tribuni, deinde ſecundæ, tum tertiæ, poſtremo quartæ, atque ita deinceps cooptabant in ſuas quiſque legiones: ea tamen habita ratione, ut qui primus una vice legerat, altera ultimus eligeret, ne qua eſſet legio aliis viribus impar. Si ſpes aliqua lucri in bello affulgeret, tum multi ultro ſeſe offerre: ſi vero laboris multum, utilitatis aut parum aut nihil, pauci; at eos, qui militiam detrectabant, Conſulis erat aut carcere aut flagris cogere: nonnullorum etiam, ſi quid egiſſent audacius, aut bona vendita, aut ipſi, quæ pœna gravior erat, veluti mancipia venundati. IV. *Peditos.*

Cum equites jam in certas claſſes eſſent a Cenſoribus deſcripti, eorum delectus multo quam peditum facilior fuit. Illorum duplex erat ordo, quibus præter nomen nihil commune; alii enim equo publico militabant, alii privato: qui publico, jam inde a V. *Equites.*

de a primis Reipublicæ temporibus inſtituit; qui privato, multo poſt in bello Vejentino, ſi Livio credimus. His dum mererent, haud aliter ac pediti ſtipendia dabantur, duplo quidem majora; illis vero ad emendum equum ſemel æris dena millia, bina in ſingulos annos ad alendum: quibus id ſolemne fuit, ubi debita confecerant ſtipendia, equum publicum ad Cenſores in forum reducere; & quibus in locis, quibus Imperatoribus, quot annis meruiſſent, adhibitis teſtibus probare.

VI. *Quibus de cauſſis dimiſſi milites.*

Ut ſcribendi militis, ſic etiam dimittendi diligens obſervata ratio eſt. Miſſio vero duplex fuit, honeſta una, cauſſaria altera: honeſta eorum, quibus juſta militiæ vacatio eſſet; cauſſaria eorum, quibus neceſſaria. Juſta petitur vel ab ætate, cum quis major annis 50. vel ab emeritis ſtipendiis, ſi quis vel dena, ſi eques, vel vicena, ſi pedes fecerat ſtipendia; vel ab honore, ſi Magiſtratus eſſet, aut Sacerdos; vel a beneficio, ſi quis enim quid geſſiſſet fortiter, ipſi aliquando ad tempus, aliquando in omne ævum, interdum etiam ipſius liberis, aut Senatus aut Conſulis juſſu, militiæ vacatio data eſt. Vacatio neceſſaria fuit: ſi cui aut manus abſciſſa, aut membrum debile, aut imbecilla valetudo: ne quid tamen fraudis ſubeſſet, Cenſorum fuit inquirere, quæ cuique cauſſa vacationis eſſet, juſta, an ſecus. Si tumultus ex improviſo oriretur, nullus tum vacationi locus; ſi bellum Gallicum ingrueret, nulla ſacerdotum ſenumque vacatio: adeo Romanis olim nomen Gallicum terrori fuit.

CA-

## CAPUT II.

### *De exercitu, ejuſque partibus.*

ROmanorum exercitum tres in partes tribuimus, in Romanas legiones, Socios, & Auxilia. Legiones ex civibus, Socii ex Italis, Auxilia ex nationibus exteris conſtabant. Legiones a Romulo inſtitutæ. Socii, dum res Romana anguſta fuit, vel nulli, vel pauci; ubi adolevit, pro variis imperi finibus modo pauciores, modo plures: poſtquam perdomita Italia eſt, Romanis ſemper numero aut pares fuerunt, aut ſuperiores. Auxilia ante bella Punica nulla memorantur: primo Punico bello Galli pecunia conducti, teſte Zonara; ſecundo Celtiberi, ex Livio; aliis deinceps bellis equites ab amicis Regibus plerumque in auxilium miſſi. Socios inter & auxilia hæc duo maxime intererant: unum, quod ſocii, ſi frumentum excipias, gratis militarent, auxiliaribus vero copiis ſtipendia ut plurimum ſolverentur; alterum, quod ſocii & in legiones haud aliter ac Romani deſcriberentur, & militare ſacramentum omitterent, auxilia non item. Poſtquam anno 663. ſub finem belli Marſici univerſæ Italiæ civitas lege Julia data eſt, tum & ſocii in Romanas legiones, & auxiliares in ſociorum locum adſcribi cœpti ſunt. Quæ de militum Romanorum delectu paulo ante diximus, eadem de ſociis dicito: eadem enim fere ratione, qua a Tribunis militaribus Romanis, a ſuis Magiſtratibus ſocii juſſu Romani Conſulis legebantur.

I. *Tres Romani exercitus partes Legiones, Socii, Auxilia.*

I. *Quid legio, cohors manipulus, &c.*

Legio certa peditum equitumque manus fuit: pedites in decem cohortes, equites in totidem turmas diſtributi. Cohors tres manipulos complexa eſt, manipulus duas centurias, turma tres decurias: unde legio ſemper habuit peditum cohortes decem, trigin-

triginta manipulos, centurias ſexaginta; equitum alam unam, turmas decem, triginta decurias. Peditibus ſex Tribuni præerant. Centuriones ſexaginta, ſingulis centuriis ſinguli: equitibus triginta Decuriones, quorum alii turmas ſingulas regebant, Præfectus alam integram.

III. *Quot in ſingulis legionibus milites.*

Militum numerus, ſive peditum ſive equitum, alius aliis temporibus fuit. Legio jam inde a Romulo trium millium peditum & trecentorum equitum inſtituta eſt; ex ſingulis enim tribubus conſcripti ſunt pedites mille & centeni equites: deinde ſive a Romulo poſt victos Sabinos, ut vult Plutarchus, ſive ut Lipſius, a Tullo Hoſtilio mille pedites additi. Exactis certe Regibus legio peditum quatuor millium fuit; poſtea vero pro Senatus arbitrio bellique magnitudine in militum numero variatum eſt: ita ut legio modo quatuor, modo quinque, modo ſex millium peditum, itemque modo ducentorum, modo trecentorum equitum ſcriberetur. Volſco enim bello, ut tradit Livius, quatuor legiones ſcriptæ quatuor millium; Gallico quatuor millium & ducentorum peditum; Latino ſingulis legionibus peditum quina millia data, equites duceni; Punico ſecundo & Macedonico, in gratiam Africani Majoris & Æmilii Pauli, peditum ſena millia, equites treceni; aliquanto poſt, modo ad quatuor, modo ad quinque millia reditum eſt, teſte Polybio: donec C. Marii, non Senatus imperio, contra Jugurtham legiones ſex millium & ducentorum peditum ſcribi juſſæ; Caji tamen Cæſaris ætate legiones non Marianis modo, ſed Polybianis etiam numero inferiores erant, maximæ veteranæ, ut auctor eſt Hirtius.

IV. *Quot in cohortibus & manipulis.*

Ex his, quæ modo diximus, cuivis colligere licet, nec certum, nec ſtatum ſemper fuiſſe in ſingulis ſive cohortibus ſive manipulis peditum numerum, ſed pro varia legionis ratione modo majorem, modo

do minorem. Dum legio 4200. peditum fuit, tum cohors 420, manipulus 140, centuria 70. erat; cum legio 5000, cohors 500, manipulus 167, centuria 83: ſi legio 6000, cohors 600. peditum fuit, manipulus 200, centuria 100.

Prima cohors cæteris cum dignitate, tum militum numero præſtabat, quod in ea Tribuni & nobilitate & fortitudine clariſſimi legerentur; & interdum, ut ſcribit Vegetius, 1100. pedites haberet. Erat præterea cohors Prætoria, quæ ducem ſemper ſequeretur, ab ipſo vel ex amicis vel ex fortiſſimis quibuſque delecta. Hujuſmodi cohortem Prætoriam A. Poſthumius Dictator habuiſſe perhibetur a Livio, Africanus major a Feſto, Scipio Æmilianus ab Appiano, Marius & Petrejus a Salluſtio, & ab aliis alii. Novem cohortes Prætorias Auguſtus ad corporis cuſtodiam adhibuit, quæ primum quidem certum ſtabiliendi imperii firmamentum & decus extiterunt; poſtea vero & Imperatorum & Reipublicæ pernicies. V. *Quæ prima cohors, quæ prætoria.*

Ut peditum, ita equitum varius in legione numerus fuit. Polybius tamen ſuper hac re nec cum Livio, nec ſecum conſentit: unde aliter Sigonio, aliter Lipſio viſum eſt. Vult enim Sigonius ex Livio equites ſingulis legionibus, dum erant vel quatuor vel quinque millium, fuiſſe ducenos; dum ſex millium, trecenos: Polybius vero, ut interpretatur Lipſius, jam inde a Romulo trecenos equites legionibus adjunctos; cum vero centum equites additi dicuntur, tum fuiſſe quadringenos. Utri aſſentiri malis, tute ipſe videris: id unum certi habeo, quod ſcribam, in decuria equites fuiſſe decem, in turma triginta, in ala modo ducenos, modo trecenos, ex Sigonio; vel modo trecenos, modo quadringenos, ex Lipſio. VI. *Quot equites in legione.*

Dum ſumma rerum penes Conſules multo ante bella Punica fuit, quatuor legiones in annos ſingu- VII. *Quot legiones ſi-*

*Mani ha-buerint.* los ſcribi ſolebant, binæ ſingulis Conſulibus: ubi vero multis tum urbibus tum provinciis auctum imperium eſt, ſocii ad quatuor Romanas legiones totidem addere juſſi ſunt: ſi bellum gravius eſſet, creſcebat legionum numerus. In bello Punico ſecundo legiones plus minus 25. per Italiam, Siciliam & Hiſpaniam diſperſas Romani habuerunt. In diſſenſione Mariana L. Cinna 30; in bello civili Pompejus & Cæſar 40.; in Mutinenſi Antonius & Conſules 50; in Actiaco Octavius Cæſar 40, nec ipſi legionum aut virtute aut numero inferior erat Antonius. Non mirum quidem eſt tantas copias ab Romanorum ducibus contractas eſſe id temporis, cum eorum imperium ab ultimis Europæ finibus ad Euphratem uſque pertineret. Unum eſt, quod magis mirere. Gallico tumultu anno Urbis 528, L. Æmilio Pappo & C. Attilio Regulo Conſulibus, Romanos exercitum 800. millium militum ex ſola Italia collegiſſe; quod ex Q. Fabio Pictore, qui tum vivebat, referunt Eutropius & Oroſius: quibus ego vix aſſentiar, niſi idem & a Plinio & a Polybio memoriæ proditum eſſet. Plinius enim numerat peditum 700. millia, equitum 80. Polybius vero eorum, qui tum Romanis parebant, peditum 500. millia, equitum 60; omnemque exercitum ex ſola Italia fuiſſe peditum 700. millium, equitum 70.

VIII. *Quis ſociorum ordo.* Socii & in caſtris & in acie ita diſpoſiti erant, ut Romanas legiones utrinque tegerent; unde *alares* vulgo dicti. Cum enim eorum pedites Romanos æquarent, & equites duplo ſuperarent; multas in partes, ne quid novi molirentur, eos diſtrahi moris fuit, & ordinis cauſſa, & ſecuritatis. In iis vero diſtribuendis hæc habita ratio eſt, ut ex alaribus equitibus tertia pars: hoc eſt, ut ex ſexcentis ducenti, ex peditibus quinta; id eſt (ut legio Polybiana nobis exemplo ſit) ex quater mille ducentis, octingenti quadraginta in *Extraordinarios,* ſecernerentur: tum

tum ex *Extraordinariis* pars item quinta, hoc eſt, ex ducentis quadraginta in *Ablectos*, quorum erat IX. Conſulem in via, in caſtris, in pugna & comitari & tueri. Eadem ratione pro militum numero, modo pauciores, modo plures, & in *Extraordinarios* & in *Ablectos* ſubducti: ut plurimum tamen circa ſe Conſul habuit ex utraque ala duas equitum turmas, alteram ex altera; & cohortes peditum quatuor cæteris aliquanto minores. Ex his quivis intelligat legiones ſociorum Romanis equite ſuperiores fuiſſe, pedite paulo inferiores: nam ex 600. equitibus & peditibus 4200. ſi 200. equites, pedites 840. in *Extraordinarios* detrahas, reliqui erunt equites 400, pedites 3360. qui cohortes decem 336. militum efficiunt: an vero cohortes illæ in manipulos & centurias, itidem ac Romanæ, deſcriptæ eſſent, obſcurum eſt.

*Quod Extraordinarii & Ablecti.*

XI.

*Quid cornu, quid ala.*

Non abs re fuerit duo hoc in loco annotare: unum, ſociorum ducibus non *Tribuni* nomen, ſed *Præfecti* inditum fuiſſe; alterum, quod interdum vel eruditis negotium faceſſere ſolet, in exercitu Romano non idem per *cornu* ac per *alam* intelligi. Vult quidem Polybius ſocios in cornu dextrum & ſiniſtrum tribui; cornu tamen cum apud Livium, tum apud alios pleroſque omnes de Romanis etiam legionibus dicitur. Unde, ut mihi quidem videtur, inter *cornu* & *alam* id fuit diſcriminis, quod *cornu* de legionibus Romanorum & ſociorum ſæpe dicatur, *ala* de Romanis perraro, ſæpe de ſociorum turmis & cohortibus. Fuit enim *ala* florente Republica, aliquando Romanorum, ut plurimum ſociorum equitatus; ſub Imperatoribus auxiliares copiæ *alæ* & *alares* dicti ſunt.

## CAPUT III.

### *De variis militum ordinibus.*

QUatuor potiſſimum fuerunt militum genera, *Velites*, *Haſtati*, *Principes*, & *Triarii*; ducum totidem, *Centuriones*, *Tribuni*, *Legati*, *Imperator*.

I. *Qui Velites, Haſtati Principes, & Triarii*

Peditum ordinibus ut nomen, ita ætas & arma plane diverſa fuere. Juniores in *Velites* ſelecti, ætate proximi in *Haſtatos*, his & robore & annis paulo majores in *Principes*, natu maximi in *Triarios*: in iis tamen legendis non ætatis tantum ratio habita eſt, ſed etiam generis, ita ut opes prodeſſent multis, paupertas obeſſet nemini. Qui enim juvenis & dives, is *Haſtatus* erat, qui pauper, at grandior ætate, *Triarius*. Illis vel ab ordine, quo pugnabant, nomen factum eſt. *Velites* a celeritate dicti, quaſi volantes; *Haſtati* ab haſtis; *Principes* quod a principio gladiis, *Triarii* quod tertio ordine ſcuto, haſta, & enſe dimicarent.

II. *Militum nullus erat manipulus.*

Quot erant in legione *Principes*, tot erant & *Velites* & *Haſtati*; *Triarii* ſemper numero impares. Illorum enim pro ratione legionis creſcebat numerus; *Triariorum* non item, qui ſemper ſexcenti, nec plures, nec pauciores, quod illis tum *Evocati* tum *Imperator* ipſe in acie jungeretur. In ſingulis cohortibus tres erant manipuli, unus *Haſtatorum* alter *Principum*, tertius *Virariorum*: *Velitum* vero nullus. Illis enim, quod & juniores eſſent & levis armaturæ, nulli præcipui duces præerant; ſed in omnes *Haſtatorum*, *Principum*, & *Triariorum* manipulos pro numero æqualiter diſperſi; Centurionibus manipulorum, quibus erant adſcripti, parebant.

III. *Qui mili.*

Levis armaturæ milites; quæ minimæ fiduciæ

manus

manus erat, alii aliis temporibus fuere. Primum [illegible] quidem *Ferentarii*, *Rorarii*. *Acceuſi* eo nomine [illegible]



[illegible]


pag. 199.
Sagittarius
Funditor
Legionarius

manus erat, alii aliis temporibus fuere. Primum es levis
quidem *Ferentarii*, *Rorarii*, *Accenſi*, eo nomine armatu-
adjecti ad cenſum, ut ſupplendis legionibus præſto ræ
eſſent; deinde *Velites* in obſidione Capuana, ut auctor eſt Valerius, a Q. Nævio Centurione inſtituti; denique ubi Latinis data civitas eſt, in eorum locum ſelecti *Anteſignani*, *Veloces* tum *Sagitarii* & *Funditores*. Eorum fuit, cum & curſu leves eſſent, nec armis impediti, ante congreſſum telis, lapidibus, ſagittis pugnæ præludere.

VI. *Qui E-vocati.*

At cæteris militibus cum dignitate, tum fortitudine longe præſtabant *Evocati*. Miles erat ſpectatæ virtutis, manu ſtrenuus, & peritus militiæ, qui emeritis ſtipendiis, e civibus, e ſociis, ex pedite, ex equite, modo literis, modo precibus, interdum etiam nuntiis ab Imperatore ad bellum evocabatur. Multa illis, quæ aliis negata, jura delata ſunt, & honoris ergo & virtutis; nec in legiones, nec in cohortes, niſi illis præeſſent, adſcribi; nullis ducibus, ſive Tribunis, ſive Centurionibus ſubeſſe, ſed uni Præfecto; ab excubiis, ab operibus tum valli tum caſtrorum immunes eſſe; & in caſtris manere propter prætorium, & in acie una cum Imperatore inter triarios dimicare.

## CAPUT IV.

### *De Ducibus.*

DUcum tres veluti claſſes erant: alii enim ſolis peditibus præerant, alii ſolis equitibus, alii omnibus. Qui peditibus, *Centuriones* & *Tribuni* dicti ſunt; qui equitibus, *Decuriones* & *Præfecti*; qui omnibus, *Legati* & *Imperator*.

I. *Varii Centuri-onum gradus*

*Centuriones* a Tribunis, Imperatoris juſſu, ex ſingulis militum generibus præter velites legi moris fuit, ita ut haſtati haſtatis, principes principibus, & tria-

riis triarii præeſſent. Cum vero in ſingulis legionibus eſſent 60, ſex in cohorte, in manipulo duo, quo facilius conſtaret uter alteri præſtaret, non ſimul omnes, ſed alii poſt alios legebantur; primum triginta, ex ſingulis aciebus deni: paulo poſt totidem. Qui primum lecti, manipulorom dextra cornua regebant; qui deinde, ſiniſtra. Suus quidem ſingulis honos fuit, ſed alius alii pro genere militum, cohortis numero, & centuriæ ſitu, vel major vel minor. Qui manipuli dexterum cornu ducebat, is altero honeſtior fuit; qui primæ cohortis primum manipulum, aliis omnibus ſive ejuſdem, ſive diverſi generis. Primæ cohortis hæc præcipua dignitas fuit, ut qui in ea haſtatorum Centurio eſſet, *primus haſtatus*; qui principum, *primus princeps* qui; triariorum, *primipilus* vulgo diceretur, cui hoc plane ſingulare fuit, aliis Centurionibus imperare, conſilio cum Tribunis adeſſe, tueri aquilam, eamque & figere humi, & humo vellere.

II. *Quis nonus, decimus &c. haſtatus princeps &c.*

Apud auctores *noni decimive* & *haſtati* & *principis* &c. frequens occurrit mentio: quare non erit opinor, alienum, qui voces illæ accipiendæ ſint, annotare paucis. In legione, uti diximus, cohortes erant decem, in cohortibus ſex Centuriones; his a cohortium numero ita nomen inditum; ut qui in decima erant cohorte omnes *decimi*, qui in nona *noni*, qui in octava *octavi*, & ſic deinceps *ſeptimi*, *ſexti* &c. dicerentur; eo tamen diſcrimine, utqui in legione decima (hæc nobis exemplo ſit) triariis præerat, *decimus pilus*, qui principibus, *decimus princeps*, qui haſtatus, *decimus haſtatus* vocaretur.

III. *Qua ratione decimus haſtatus fieret decimus princeps.*

Quo vero fortiſſimi quique ad gloriam militarem vehementius excitarentur, ſingulis virtutis ergo ſuperior gradus patebat; militibus Centuriatus, Centurioribus & Centuriatus honeſtior & etiam Tribunatus. Quis quid egerit fortiter, iſque tum fuerit

in

in decima cohorte haſtatorum ſecundus Centurio, (hoc enim exemplo conjectura facile fieri poteſt de cæteris) primum quidem haſtatorum primus erit Centurio, hoc eſt *decimus haſtatus*, deinde *decimus princeps*, tum *decimus pilus*, idque in eadem cohorte; qua expleta, ex *decimo pilo nonus* erit, tum *octavus*, poſt *ſeptimus*: donec, ſi & fortuna & virtus faverit, aut *primum pilum* aut *Tribunatum* aſſequatur. Promovendi militis hæc ut plurimum ſervata ratio eſt; a duce tamen aliquando aut immutata, aut neglecta.

Ut peditum, ita Tribunorum militarium numerus in legione alius aliis temporibus fuit. Dum legio trium erat millium, Tribuni lecti ſunt in ſingulas terni, ex tribubus ſingulis ſinguli, unde illis nomen; dum quatuor millium, quaterni; ubi vero aut quinque, aut ſex millium, ſeni. In Tribunorum lectione perinde ac in numero variatum eſt: primum omnes a Regibus & Conſulibus creati ſunt, tum anno 393. ſex populi ſuffragiis legi cœpti ſunt, anno 444. ſexdecim, & aliquanto poſt bellum Perſicum Senatus decreto ſancitum eſt, ut a populo duodecim, totidem a Conſulibus crearentur: illi a populi comitiis *Comitati*, hi a Rutilio Rufo, qui de eorum juribus legem tulit, *Rutuli* & *Rufuli* dicti ſunt. Pompeji Cæſariſque temporibus, cum legiones non jam ut antea temporaneæ eſſent, ſed perpetuæ, Tribuni a Proconſulibus in provinciis ut plurimum creati. Eorum inſigne fuit florente Republica annulus aureus; ſub Imperatoribus (ſi Dioni credimus) præterea clavus, latus quidem ſi Senatorio eſſent ſtemmate, anguſtus ſi equeſtri. Tribunorum hæ partes fuerunt, jus dicere militibus, ſignum dare excubiis, vigilias, exercitia, munitiones, & alia id genus curare, legioniſque pedites ita regere, ut nullus aliis plus poſſet, neo unus uni parti

IV. *Qui & quot Tribuni militares.*

præ-

præeſset, & alter alteri, ſed integræ legioni ſinguli, non ſimul tamen, ſed per ſtatas vices bini.

V *Qui Decuriones & Præfecti equitum.* Equitum duces alii Præfecti, alii Decuriones vocabantur. Illi peditum Tribunis, hi Centurionibus reſponderunt: ut enim Tribuni legionnem, Centuriones cohortes manipuloſque ducebant; ita Præfecti equitum alam, & Decuriones turmas, & decurias. Ala, ut diximus, 300. equitum fuit, turma triginta, decuria decem.

VI. *Qui Legati.* Legati aut a Senatu Imperatoribus ipſius aſciti aut certe lege aliqua extra ordinem delecti; viri ut plurimum prudentia inſignes, & militiæ periti, quorum conſilio & opera in rebus tum belli tum pacis Proconſul uteretur. Numerus nec certus fuit, nec ulla lege definitus; tres interdum fuerunt, plerumque quatuor, raro plures: ratio enim habebatur & prætoriæ & conſularis dignitatis, & provinciæ & belli. Imperator, cum ipſi quos vellet eligere per Senatum licuit, eos maxime, qui jam provinciis cum imperio præfuerunt, ſibi legavit, Conſul Conſulares, Prætor Prætorios, amicum amicus, frater fratrem, patremque filius. Legati hæc jura fuere, de cauſſis privatis cognoſcere, imperare toti exercitui, Proconſulem juvare conſilio, fide, opera; & cum imperii eſſet particeps, lictoribus & ſecuribus uti. Duo Legatorum genera Auguſtus induxit, quorum alii *Conſulares* eſſent, alii *Prætorii*, ut illi univerſo præſſent exercitui, hi vero legionibus ſingulis: quod eo conſilio inſtituiſſe fertur, ut cum Legati ipſius tum nomine tum auſpiciis rem gererent, jus omne triumphi ipſi tribueretur, præterea nemini.

VII. *Quis Imperator.* Triplex apud Romanos hujus vocis *Imperator* acceptio fuit: una, qua is intelligitur, cui jus datum propriis auſpiciis belli gerendi; altera, qua quis profligatis magno prælio hoſtibus Imperator a militibus appellabatur; tertia Auguſto & Cæſaribus ſingul-

gularis, penes quos everſa Republica imperii ſumma fuit: ſed hæc nihil ad nos; de aliis breviter. Illi tantum propriis auſpiciis bellum gerere fas erat, qui aut Conſul eſſet, aut Prætor, aut Dictator, aut Proconſul, aut Proprætor; cui, ſi tum erat Magiſtratus, imperium deferebatur lege Curiata; ſi privatus, Plebiſcito. Ubi imperium inierat, continuo in Capitolio votis nuncupatis factoque ſacrificio, cum paludatis lictoribus paludatus & ipſe ex Urbe egrediebatur. Cum nihil aut domi aut militiæ inauſpicato fieret, auſpicia in exercitu unius fuerunt Imperatoris; quare alii alienis, ille ſuis auſpiciis pugnare dicebatur. Unde nec Imperatoris nomen, nec ſupplicatio, nec triumphus aut Legato aut Quæſtori delatus unquam eſt. Duo vero auſpiciorum genera adhiberi mos fuit: unum coactum, hoc eſt tripudium; alterum ex acuminibus. Cum vero magno prælio vel per ſe vel per legatos hoſtes viciſſet, tum Imperatoris nomen primum a militibus, deinde a Senatu illi dari ſolebat, & ante reditum decerni ſupplicatio, & aliquanto poſt, ſi ingens eſſet victoria, triumphus.

## CAPUT V.

### *Quæ aciei forma fuerit.*

I. *Apud Romanos acies vel duplex fuit vel triplex.*

NOn abs re fuerit, ſi hoc in loco, quo ordine aciem ad pugnam inſtruxerint Romani, paucis deſcripſerim: id enim cognoſcere habet & voluptatis nonnihil, & etiam utilitatis. Apud Romanos acies aut duplex fere fuit, aut triplex: duplex, cum tota acies in duo cornua diviſa eſt, dextrum & ſiniſtrum; triplex, cum inter duo cornua tertia acies media fuit. Quod uſurpatum ſæpe, cum aut duæ tantum eſſent, aut plures legiones; tum enim Romani in medio poſiti, ſocii ad utrumque cornu.

At

At duplicis triplicisve aciei alia ratio eſt, cum præter ſimplicem illam diviſionem a tergo etiam ſectio fit: ut ſi quis quatuor habeat legiones, duas in fronte cum ſociis collocet, totidem a tergo, velut in ſubſidiis, ſeponat. Idem in duabus etiam legionibus factum eſt, cum aut cornu utrumque ſociorum ſubjunctis legionibus præpoſitum, aut ſubductis ſociis legiones præmiſſæ. Fuerunt etiam aliæ formæ cum a C.Cæſare, tum ab aliis inductæ ducibus; ſed ſatis erit aciei vulgatæ; quam tradiderunt Polybius & Livius, formam breviter explicare, ut de cæteris conjectura fieri poſſit.

II. *In acie quomodo collocatæ legiones.* Exemplo nobis ſit exercitus quatuor legionum, quarum duæ Romanorum ſint, totidem ſociorum. Sic inſtructa acies eſt: legiones Romanæ in medio collocatæ, & quæ aut virtute illuſtrior erat, aut ordine prior, ad dextram; duæ ſociorum in cornibus, una in dextro, in ſiniſtro altera: equites in turmas deſcripti ad latera ita diſpoſiti, ut ſocii cornu ſiniſtrum tegerent, dextrum Romani, quibus, quod pauciores ſociis eſſent, extraordinarii ad dexteram adjuncti.

Legionis vero ſingulæ triplex ordo fuit: unus haſtatorum, alter principum, tertius triariorum. Prima frons haſtatorum manipulos omnes, ex legionibus ſingulis decem, ex omnibus quadraginta habebat; haſtatos interjecto ſpatio excipiebant principum totidem manipuli; triarii vero, in quibus maxima ſpes victoriæ, in extremam aciem rejecti.

III. *Quomdo cohortes.* His in mediis inter ſecundam aciem & utrumque cornu extraordinarii erant pedites, duas in partes diſtincti; in una ſex manipuli, ſex item in altera. Ut legiones a legionibus, ita ab ordinibus ordines, & a manipulis manipuli disjuncti, ſive viis ſive intervallis inter manipulos anguſtis, inter legiones & ordines latioribus, in quibus nullo certo ordine diſperſi velites.

Evo-

# ICONISMUS ACIEI VULGATÆ



Evocati vel cum Imperatore, vel in manipulis pugnabant, ut aliis animos adderent; Centuriones in ſuis ſinguli centuriis; Tribuni alii alia in parte, prout res poſcebat. Legati duo mediam aciem regebant, duo utrumque cornu, alter alterum. Imperator omnem exercitum, & ſæpe triarios inrer & principes paulo ante aquilas cum allectis & cohorte prætoria conſiſtebat. IV. *Evocati, Centuriones, Tribuni.*

Manipuli ita in quadrum diſpoſiti erant, ut inde quadrata totius legionis forma exiſteret; in ſingulis enim erant lineæ duodecim, in ſingulis lineis deni milites, hoc eſt, legionis Polybianæ 4200. prima fronte centum: triariorum enim erant tantum lineæ decem, & in ſingulis milites ſeni. V. *Quæ forma totius aciei.*

Ante velites inſtitutos, cum rorarii & accenſi in tertio eſſent agmine cum triariis, inire pugnam haſtatorum fuit, poſtea velitum: ſi nec ipſi, nec haſtati ſuſtinendis hoſtibus pares eſſent, continuo pede preſſo per intervalla pone principes ſe recipere ſolebant. Tum principum pugna erat, apud quos, ſi nec ſatis proſpere certatum eſſet, a prima acie ad triarios ſenſim referebantur. Inde *rem ad triarios rediiſſe*, cum laborabatur, proverbio uſurpatum eſt. Ubi haſtati & principes in intervalla ordinum recepti, continuo triarii compreſſis ordinibus vias claudere, unoque continente agmine in hoſtem ferri; tumque certa erat aut clades aut victoria. VI. *Qui pugnabant primi qui ultimi.*

## CAPUT VI.

### *De ſignis, armis, ſtipendiis, pœnis, & præmiis.*


I. *Quæ ſigna Romanorum*

Signa alia peditum fuerunt, alia equitum, alia legionis, alia manipulorum. Primum quidem *Aquila*, *Lupus*, *Minotaurus* ex Vegetio, *Equus* *flo-*


*vente Republica:* & *Aper* ex Plinio; tum præ cæteris principatum obtinuit *Aquila*, ut, aliis in caſtris relictis, ſola in acie ordines anteiret: quam denique C. Marius ſecundum Conſul, tanquam felix victoriarum omen, repudiatis aliis, legionibus Romanis conſecravit. Fuit Aquila aureum aquilæ ſimulacrum, haſtæ præpilatæ ſuffixum: ſignum legionis erat Romanæ, una unius, inter triarios primæ cohortis ſemper collocata; nec enim ſociorum fuit, nec manipulorum, quibus alia quædam ſignorum genera fuiſſe perhibentur. Primum fœni manipuli e perticis ſuſpenſi; deinde in ſumma parte haſtæ tranſverſum ligneolum cruci haud abſimile; tum ex ligneolo & orbiculi & clypeoli appenſi, ſupra quos manus eminebat; denique in orbiculis poſitæ tum Deorum tum Imperatorum imagines. An ſuum ſingulis Romanorum cohortibus ſignum fuerit, an ſingulis ſociorum manipulis, an cohortibus tantum, non liquet.

II. *Quæ ab Imperatoribus addita.* Tria ſignorum genera poſterioribus temporibus uſurpata ſunt, *Elephas*, *Sphinx*, & *Draco*. *Elephas* a C. Cæſare, quod quinta legio elephantos viciſſet. *Sphinges* unde, incertum eſt. *Draconibus* & Daci & Perſæ uſi ſunt, unde illis a Trajano, his ab Aureliano una cum Zenobia victis, dracones ad terrorem adhiberi cœpti ſunt. Ea enim draconum ſigna in columna Trajani etiam nunc videre licet, unde poſt Trajanum apud ſcriptores Latinos draconum frequens eſt mentio, ante illius ætatem nulla. Equitum vexilla, quæ flammulas vocat Vegetius, vela quædam erant modica, quæ in quadrum efformata ad haſtam appendebantur: in iis Imperatorum nomina aureis literis inſcribi moris fuit.

III. *Quot armorum genera.* Armorum ſingula genera, & qua quæque aut forma aut figura fuerint, ſigillatim perſequi infinitum ſit: quibus quiſque miles uſus ſit, paucis accipe. Veliti datus gladius Hiſpanienſis, haſtula trium pedum


pag. 206.
Signum
Signum
Vexillum




pag. 207
Parma.
Pelta vel Cetra.
Scutum Sabinorum.
Scutum.
Ancile.
Clypeus.

dum, ſpiculum, parma, ſive ſcutum tripedale, & caſſis ſeu galea, aut e pelle aut e corio. Haſtatis, Principibus, & Triagiis ſcutum latum pedes duos & ſemis, longum quatuor, gladius Hiſpanienſis, galea ærea cum criſtis, ocreæ, lorica vel e lamina ærea vel ex catenis aut ſquamis compacta, pila duo, alterum altero majus: quæ etſi per ſe gravia, pediti tamen oneri non fuerunt; ſcutum enim, gladium, &c. in onere non plus numerabant, quam humeros, lacertos, & manus, cum arma militis eſſe membra dicerent. Præter arma, alia his multo graviora ſæpe ferebant, ſecures, ſerram, corbem, lorum, falcem, molam, catenam, ollam, veru, ternos aut quaternos vallos, & nonnunquam frumentum dierum triginta. Ætate Polybii gladius ad latus dextrum appenſus eſt, ne movendo ſcuto obſtaret. Sub Veſpaſiano (ſi Joſepho credimus) pediti duo erant gladii, longior ad ſiniſtrum latus, ad dextrum brevior. Equitum arma ſcutum, lorica, galea, gladius, haſta.

IV. *Quæ ſtipendia.*

Jam inde a primis Romæ naſcentis temporibus militi datum frumentum eſt, pecuniæ vero nihil ante annum 348. paulo ante Urbem a Gallis incenſam. Tum enim pediti in dies ſingulos dati duo oboli ſeu tres aſſes, quibus fere florente Republica nihil aut ſubtractum aut additum eſt, donec C. Cæſar peditibus ſingulis ſex aſſes tribui voluit, decem Auguſtus, alii deinceps quindecim, alii viginti, Veſpaſianus 25. quibus in menſes ſingulos ſingulos aureos Domitianus addidit. Centurionibus, Signiferis, Optionibus datum ſtipendium duplex, equiti triplex, Tribunis & equitum Præfectis duplum, quam Centurionibus. An equitum itidem ac peditum duplicata ſint ſtipendia, non conſtat.

V. *Quantum frumenti datum*

Frumentum certo die in menſem diſtributum. Pediti, ſive Romanus eſſet ſive ſocius, medimni Attici duæ partes, hoc eſt, quatuor modii; equiti Roma-

Romano frumenti medimni duo, quibus & ſe & ſervos, hordei ſeptem, quibus equos aleret. Sociorum equitibus medimni quarta pars ideo detracta eſt, quod & dignitate Romanis eſſent aliquanto inferiores, & pauciores ſervos haberent; præter frumentum etiam dabatur ſal, legumina, & caro ſuilla. E ſtipendio nonnihil a Quæſtore ad veſtes & arma diminutum.

VI *Quæ pœnæ.* Non eadem apud Romanos militaris diſciplina fuit, quæ urbana, aliuſque in caſtris militi, alius in urbe civi terror propoſitus. Civem aut cædere virgis, aut ſecuri ferire, magiſtratibus vetitum; at Imperatori aut mortis, aut alterius ut libebat ſupplicii metu militem in officio continere fas erat. Animadverſiones vero aliæ aliis graviores erant. Quæ ignominiam tantum inurerent, leviores; ut ſtipendio legitimo privari, haſtam dare, ab exercitu removeri, tentorii locum mutare, hibernare extra oppidum, cibum ſtantem capere, foſſam fodere, diſcinctum deſtitui, hordeo paſci, ſanguinem mitti. Graviores erant, quæ detrimentum inferrent; ut virgis cædi, venire, fuſte & ſecuri percuti, decimari, in crucem tolli.

VII. *Quæ munera militaria.* Præmia vocamus munera militaria, cohortis prætoriæ communionem, ſtipendium, prædam, & dona imperatoria. Munera militaria fuere aut centuriatus, aut præfectura virtutis ergo militi data, de quo paulo ante diximus; cohors prætoria, quæ niſi civi Romano, patuit nemini, ſtrenuo vero militi permiſſa, ex qua qui erat, in beneficiis ab Imperatore ad ærarium deferebatur. Stipendium, ſi quis quid egiſſet fortiter, datum vel duplex vel triplex. Præda etiam interdum capta de hoſtibus poſt pugnam militi conceſſa. Dona militaria erant, quæ militibus ab Imperatore vel poſt victoriam, vel ante triumphum dari ſolebant; ut torques, phaleræ, armilliæ, haſtæ puræ, coronæ,


pag. 209.
Corona
Trium
phalis
Corona
Obſidio
nalis
Corona
Civica
Corona Muralis
Corona Vallaris
Vel
Caſtrensis
Corona Naualis

næ, & alia id genus: de quibus ſingulis breviter agemus.

Parta victoria, moris fuit Imperatorem pro tribunali ſedere, vocatoque exercitu laudare milites, quid a quoque fortiter geſtum prædicare, nominatim appellare ſingulos, illiſque dona militaria largiri. Haſta pura ſive graminea erat, ſine ferro: phalerarum nomine intelligitur, quidquid equorum fronti, maxillis, & pectori ad ornamentum additur. Armillæ brachiis, torques collo, coronæ capiti decori erant; at ſicut coronæ aliæ aliis præſtabant, ita aliæ aliis de cauſſis dabantur. Qui victoriam ſuis virtute militari peperiſſet, donabatur laurea corona; qui ſubiiſſet primus murum hoſtilem, murali; qui obſidione liberaſſet aut cives aut ſocios, obſidionali; qui primus in hoſtium caſtra vi irrupiſſet, caſtrenſi; qui in navem, navali; qui hoſte cæſo civem ſervaſſet, civica. Caſtrenſis, muralis, navalis plerumque aureæ; ſed obſidionalis graminea. Civica primum iligned, deinde æſculea, denique quernea. Qui civicam retulerat, id habuit præ cæteris ſingulare, ut & ipſi, & patri, & avo vacatio omnium munerum daretur, locuſque ad ludos ſpectandos Senatui proximus.

VIII. *Quid haſta pura phaleræ, corona, & quotuplex.*

## CAPUT VII

### *De Triumpho.*

UT militibus, ita ſua quoque Imperatoribus præmia fuerunt. Abſenti Imperatoris appellatio & ſupplicatio publica; præſenti triumphus. Imperatoris appellatio, re bene geſta, bis data ſingulis Ducibus; ſemel in caſtris a militibus, iterum in urbe a Senatu. Supplicatio duplex fuit: una, quæ Prætoris edicto extra ordinem fiebat; altera, cum provinciarum ſeu Pro-

I. *Imperatoris appellatio & ſupplicatio.*

conſules ſeu Propraetores, a militbius ob victoriam *Imperatores* appellati, *laureatus* literas ad Senatum mitterent, quibus & Imperatoris nomen & ſupplicationem depoſcerent. Tum ſolebat Senatus adire Deorum templa, gratias agere, offerre ſacrificia, vota facere, dare epulum, dies feſtos celebrare, modo plures, modo pauciores, pro dignitate & victoris & victoriæ.

II. *Triumphi unde nomen, quis auctor.* Triumphi nomen a voce Græca Θρίαμβος (Liberi patris cognomen fuit.) Eo deducitur, quod & ille in Græcia primus hanc pompam adhibuerit, ut placet Plinio & Diodoro, & milites per urbem ſæpius acclamarent, *Io triumphe, Io triumphe*, ut docet Varro. Triumphi primus auctor apud Romanos Romulus fuit, qui cæſo Acrone Cæninenſium Rege, ipſi cum factis vir magnificus, tum factorum oſtentator haud minor, illius ſpolia vel e ferculo ad id apte fabricato, ut vult Livius, vel e ramo arboris, ut Plutarchus, inſtar tropæi ſuſpenſa gerens, laureaque coronatus in Capitolium aſcendit. Addidit aliquot poſt Tarquinius Priſcus, & currum, & alia triumphantium ornamenta, quæ, quo magis res Romana crevit, eo magis & ipſa creverunt.

III. *Triumphus multiplex.* Triumphus alius alio illuſtrior. Minor, ovatio; major, proprie triumphus; iſque, ſi terra res feliciter geſta, terreſtris; ſi mari, navalis: vel in urbe, vel in monte Albano actus eſt. Triumphum terreſtrem Acrone cæſo an. Urb. 4. invexit Romulus, uti dictum eſt; navalem, Pœnis maritima pugna victis an. 93., C. Duillius. Triumphum in monte Albano, negato ſibi in urbe triumpho, Papyrius Maſo an. 522. re quidem contra Corſos bene geſta, ſed magna ſuorum ſtrage; ovationem fugatis Sabinis an. 250. P. Poſthumius Tubertus.

VI. *Quando triumphus conceſſus.* Leges etiam aliæ aliis temporibus de jure triumphandi ſancitæ ſunt: ne quis niſi Dictator, aut Con-

pag. 211

# ICONISMUS TRIUMPHI



Conſul, aut Prætor triumpharet; nec is de ſervis, fugitivis, piratis, civibus, ſed de externis tantum hoſtibus, quos juſto prælio magna eorum ſtrage viciſſet, eaque victoria auxiſſet imperium: nam ſi recuperata tantum, quæ fuerant prius amiſſa, triumphi negatus honos.

V. *Quid ovatio.*

Ovatio dicitur vel a clamore militum, qui ob victoriam lætantes iterabant litteram O! (ita Dionyſius & Feſtus) vel ab ove quæ in ovatione, uti in triumpho taurus, immolari conſueverat (ita Plutarchus.) Ovationis & triumphi, ut cauſſa diſpar, ita & gloria & pompa: qui nec Dictator, nec Conſul, nec Prætor nec juſtum hoſtem, ſed ſervum, piratam, fugitivum viciſſet, huic ovatio conceſſa, negatus triumphus; tumque ipſi indui veſte triumphali, laurea coronari, curruque in urbem invehi vetitum. Hæc fere Dionyſius. Qui ovabat, non lauro, ſed myrto coronatus, non concinentibus tubis, ſed tibiis modulantibus urbem ingreſſus eſt; pedibus an equo vectus, incertum eſt. Equo vectum ſcribit Dio; pedibus urbem ingreſſum Dionyſius. Utri aſſentiri malis, tu ipſe videris

VI. *Triumphi pompa.*

Triumphi hæc pompa fuit. Imperatoris currum præcedebant tubicines, vel triumphales modos, vel claſſicum canentes; poſt mactandi boves, vittis ſertiſque redimiti; deinde rapta ex hoſte ſpolia ſigna, tabulæ, vaſa, pocula, arma, aurum, argentum, domitarum gentium tituli, victarumque urbium imagines; tum capti hoſtium Duces, Principes, Reges vincti catenis; inde Imperator curru ſublimis, veſte triumphali inſignis, coronatus lauro, laurique ramum manu protendens, interdum cervis, nonnunquam vel leonibus vel elephantis, ſæpius quadrigis albis vehebatur; poſt currum ipſius liberi, cognati, affines; tum demum victor exercitus, equites turmatim & pedites, ſuis quiſque ordinibus, laureati omnes accinenteſque triumphalia

carmina; alii armillas, haſtas alii, pars coronas, nonnulli phaleras, galeas multi, relata quiſque fortitudinis præmia inſigniaque virtutis oſtentabant. Hac pompa ductus in Capitolium Imperator Diis ſacrificare, epulumque Senatus ſumtibus publicis dare conſueverat. Hæc habui, de Romanorum militia quæ dicerem.

PARS

PARS SECUNDA

# DE RE CIVILI ROMANORUM.

## *DISSERTATIO PRIMA.*

## ROMANORUM NOMINA, ORDINES, ET COMITIA.

DE Romanorum nominibus quærimus: 1. An Romani omnium primi pluribus uti nominibus cœperint. 2. Quæ fuerint illa nomina, prænomina, cognomina; & unde ſumta ſint. 3 Quæ lex fuerit in fœminis, filiis adoptivis, libertinis, ſervis. 4. An eadem fuerit nominum ratio, ſtante everſaque Republica. Quæ quatuor, quam breviſſime fieri poterit, perſtringemus.

### CAPUT PRIMUM.

*An Romani omnium primi pluribus uti nominibus cœperint.*

I. *An Romani multis.*

DUplex eſt ſcriptorum ſuper hac re ſententia: altera Varronis, altera illius, quiſquis eſt, qui

*nominibus primi uſi ſint.* qui decimum Valerii Max. librum ſcripſit. Hunc morem Romanorum proprium Varro; ab aliis acceptum docet ignarus ille ſcriptor. Cum multa Varronem, tum illud præcipue movit, quod *Romulus*, *Remus*, *Fauſtulus* unum nomen habuerint. Varronem ſecutus Priſcianus, cur alterum tertiumque nomen adhibuerint, duas affert rationes: unam, ut homines ejuſdem tum gentis tum familiæ inter ſe diſtinguerentur; alteram, ut Sabinorum ſibi conciliarent benevolentiam, dum & ipſorum ſibi aſſumerent nomina, & ſua ipſis communicarent. Quibus & Eutropius in Romulo, & Appianus in procemio hiſtoriæ aſſentiri videntur.

II. *Illa ab aliis populis mutuati ſunt.* Eorum tamen, qui aliter ſenſerunt, opinionem multo probabiliorem non temere dixerim; cum bene multi, tum apud Albanos vel ante Romam conditam, tum etiam apud Sabinos aliquanto poſt, plura habuerint nomina. Quis enim vel leviter doctus neſciat Romuli matrem *Rheam Sylviam*, avum *Numitorem Sylvium*, fratremque ipſius *Amulium Sylvium* Sabinorumque duces huic ætati prope ſuppares *T. Tatium* & *Metium Suffetium* appellatos? Nec quemquam movere debet, quod *Romulus* & *Remus* uno nomine dicti ſint: id enim illis ſingulare fuit, cum eſſent ſpurii; vel quod ſimilius vero videtur, ex gente Sylvia cum eſſent, *Romulus* & *Remus* non nomina, ſed prænomina fuerunt. Hunc morem a Græcis acceptum tradit Arruntius Claudius apud Diomedem; ab Albanis & Sabinis decimi hujus libri ignotus auctor, quod verius putem. Maneat ergo Albanos ante Urbem conditam plura adhibuiſſe nomina, illamque ab iis ad Romanos manaſſe conſuetudinem.

CA-

## CAPUT II.

*Quid ſit nomen, cognomen, prænomen.*

GEntem inter & familiam hoc intererat, quod gens multo latius quam familia pateret; cum ex una gente multæ familiæ, quaſi ex uno fonte multi rivuli, derivarentur. Quod videre eſt, ut gentis unius exemplo de cæteris conjectura fiat, in gente *Cornelia*,, unde familiæ nobiliſſimæ, *Scipiones*, *Lentuli*, *Cethegi*, *Dolabellæ*, *Cinnæ*, *Syllæ* &c. tanquam ex uno trunco multi rami, propagatæ ſunt. Quare ne gens cum gente, ne familiæ ejuſdem gentis, ne homines ejuſdem tum gentis tum familiæ nominum ſimilitudine inter ſe confunderentur, adhiberi cœpta ſunt *Nomina* quæ *gentem*, *Cognomina* quæ *familiam*, *Prænomina* quæ *perſonam* deſignarent. Ut rem paucis concludam, *Nomine* gens a gente, *Cognomine* familia a familia, *Prænomine* frater a fratre diſtinguebantur: quod propoſito exemplo clarius patebit. Sint igitur *Publius Cornelius Scipio*, & *Lucius Cornelius Scipio*, ambo fratres, ex *Cornelia* gente & *Scipionum* familia; quare utrique commune & *nomen* & *cognomen*: utrumque fratrem nomen *Cornelius* a gente tum *Fabia* tum *Claudia*; cognomen *Scipio* ab aliis *Corneliæ* gentis familiis, ut *Lentulis*, *Cethegis*; & prænomen *Publius* & *Lucius* alterum ab altero diſcernit.

I. *Quid interſit inter nomen, cognomen, & prænomen.*

Tria hoc in loco annotare libitum eſt: unum, nomini gentilitio prænomen præponi, poſtponi cognomen, alterum, prænomina a Plutarcho appellari *prima*, nomina *ſecunda*, cognomina *tertia*. Hæc forte leviora; tertium paulo gravius, eſſe nonnullos, qui agnomen a cognomine plane diverſum eſſe velint: utque in eo, quod jam attulimus, exemplo hæreamus, *P. Cornelius Scipio Africanus*, & *L.*

II. *Agnomen a cognomine non diverſum.*

*Cornelius Scipio Aſiaticus*, *Africanus* & *Aſiaticus* vocant agnominia; quod cum ab actione aliqua eventuque petantur, ſicut prænomina fratrem alterum ab altero, ita victoriam unius a victoria alterius diſtinguant. Sic quidem illis placet; ſed quam opinione ſua falſi ſint, vel ex uno Cicerone intelligi poteſt, cujus duo teſtimonia hic adſcribere non pigebit, quorum in altero de *Scipionibus Africano* & *Aſiatico*, in altero de duobus *Africanis Majore* & *Minore* loquitur. Sic igitur ille pro Muræna: *quam laudem ille, Africa oppreſſa, cognomine ipſo præ ſe ferebat, eandem hic ſibi ex Aſia cognomine deſumſit*. Et in Somnio Scipionis: *eritque cognomen id tibi per te partum, quod nunc habes a me hæreditarium*. Quibus cum *Africanus & Aſiaticus* non agnomen, ſed cognomen eſſe ab eo dicantur, nihil opus eſt in his diutius immorari.

III. *Prænomina quo modo ſcripta & unde deducta.*

Studioſis, opinor, non erit ingratum, ſi quot fuerint prænomina, quot litteris notarentur, & unde ſingula deducta ſint, ex primæ claſſis auctoribus breviter hic expoſuerim. Triginta, ſi Varroni credimus, prænomina fuerunt; alia tamen aliis rarius uſurpata. Frequentiora erant octodecim, quorum alia ſingulis, alia binis, alia ternis literis ſcribebantur: ſingulis hæc undecim.

*A. Aulus*, qui Diis volentibus natus eſt. Ignotus auctor.

C. *Cajus*, a gaudio parentum dictus. Idem.

*D. Decimus*, qui decimus natus eſt. Varro.

*K. Cæſo*, qui ex matris utero exſectus eſt. Feſtus, Plinius, &c.

*L. Lucius*, vel a Lucumonibus Etruſcis, ut ignotus auctor; vel qui lucis initio natus eſt, ut Varro & Feſtus.

*M. Marcus*; qui menſe Martio ortus eſt. Ignotus auctor.

*M. Manius*, qui mane natus, vel ominis cauſſa, quaſi

quaſi bonus. Varro, Feſtus. Macrobius.
*N. Numerius*, a numero dictus, Feſtus.
*P. Publius*, vel a pube, a vel populo, quaſi popularis, vel quaſi pupillus. Ita ignotus auctor.
*Q. Quintus*, qui quinto loco natus. Varro.
*T. Titus*, a Sabino quodam dicitur, ex ignoto auctore; vel a titulo, ex Feſto, quaſi *Tutulus*, qui patriam tueretur.
Quatuor notantur binis literis.
*Ap. Appius*, ab Appio Sabino, Claudiæ gentis principe. Ignotus auctor.
*Cn. Cneus*, ob nævum inſignem.
*Sp. Spurius*, qui ſine patre. Antiqui enim iiſdem literis Sp. *Spurium*, & *Sine patre* ſcribebant. Plutarchus.
*Ti. Tiberius*, qui ad Tiberim natus eſt. Ignotus auctor:
Tria ſcribuntur tribus literis.
*Mam. Mamercus*, a Mamerco Pythagoræ filio.
*Ser. Servius*, quem ſerva mater peperit, Plutarchus: vel qui mortua matre in utero ſervatus eſt.
*Sex. Sextus*, qui ſexto loco natus eſt.
Rarius uſurpata prænomina.
*Fauſtus*, a favore dictus.
*Hoſtus*, qui peregre apud hoſpitem natus eſt. Ignotus auctor.
*Opiter*, quaſi poſt obitum patris genitus. Feſtus.
*Poſthumus*, qui poſt humatum patrem natus eſt.
*Proculus*, qui patre vel ſene, ut vult ignotus auctor, vel peregrinante procul a patria natus eſt, ut placet Plutarcho.
*Tullus*, ominis cauſſa, quaſi tollendus. Ignotus auctor.
*Volero*, quaſi volens naſci.
*Vopiſcus*, qui ex duobus conceptis, uno abortu excluſo, ad partum legitimum deduceretur. Feſtus, Plutarchus, & Plinius.

Sabi-

Sabinorum prænomina propria fuerunt *Ancus*, *Numa*, *Pompo*, *Tullus*, *Voluſus*; Etruſcorum *Ancus*, *Lar*, *Lucumo*; Albanorum *Metius*; Latinorum *Turnus*.

Prænomina quædam in cognomina verſa ſunt, ut *Agrippa*, *Gracchus*, *Proculus*, *Vopiſcus*; & nonnulla cognomina in prænomina, ut *Coſſus*, *Druſus*, *Julius*, *Nero*, *Paulus*, &c.

IV. *Nomina unde petita.* Infinitus ego ſim, ſi unde ſingula ſingularum gentium nomina petantur, ſigillatim perſequar; quare ſatius viſum eſt ſumma tantum capita breviter indicare, ut earum rerum intelligens lector ex iis, quas appellabo, paucis de aliis conjicere poſſit. Alia igitur gentium nomina a Trojanis & Aboriginibus ducuntur, ut *Fabii* a Fabio, *Julii* ab Iulo; quorum alter Herculis, alter Æneæ filius fuit. Alia ab Italis, ut *Calphurnii* a Calpo Numæ filio; a prænominibus, *Lucilii* a Lucio, a Manio *Manilii*; a nominibus, *Sextilii* a Sextiis; a cognominibus, *Rutilii* a Rutilo, a Fulvio *Fulvii*; ab oppidis, *Tarquinii* a Tarquiniis; a quadrupedibus, ut a porcis *Porcii*, abaſinis *Aſinii*; a miniſterio, ut *Flaminii*; a voce aliqua, ut *Octavii* ob Octavo. Non alienum erit hic annotare, omnia fere hæc nomina in *ius* deſinere, ut *Cornelius*, *Julius*; ſi quinque exceperis, *Cecinna*, *Narbonus*, *Peducæus*, *Perpenna*, & *Popæus*; quæ etiam, ut nonnullis placet, non nomina, ſed cognomina fuerunt.

V. *Cognomina unde deducta.* Cognomina familiarum alii aliunde repetunt, quæ tamen, ut rem paucis expediam, ad tria quaſi capita revocari poſſunt; ita ut alia ab animo, alia a corpore, alia a fortuna ducantur. Ad animum vero pertinent virtutes, mores, oratio, artes, ſtudia, res geſtæ &c. Ad corpus partes corporis, color, veſtitus, habitus, cum altero ſimilitudo, & alia ejuſdem generis. Ad fortunam & caſum cætera. A ſapientia *Cato* & *Sophus*; a virtute & moribus

bus *Frugi*, *Gurges*, *Nepos:* ab oratione *Lepidus*, *Atticus*; ab arte & ſtudio *Pictor*, *Metellus*; a regione vel urbe devicta *Africanus*, *Coriolanus*; ab amore in populum & in patrem *Publicola*, *Pius*; a corporis partibus *Cincinnatus*, *Calvus*; a corporis habitu *Craſſus*, *Macer*; a ſimilitudine cum alio *Serapio*; a fortuna *Felix*, *Fauſtus*.

## CAPUT III.

*Quæ lex fuerit nominum in fœminis, filiis adoptivis, libertinis, & ſervis.*

UT viri, ſic mulieres prænominibus uti conſueverant; ſed eorum alia aliis temporibus ratio fuit. Primum enim prænomina illis fuerunt, ut ignoto auctori placet, *Caja*, *Lucina*, *Publia*, *Numeria*, *Rutilia*, *Ceſella*, *Rodocella*, *Murrulla*, *Burra*; & ut auctor eſt Feſtus, *Cæcilia* & *Terratia*, quæ inverſis litteris ſcribi moris erat Ↄ. ⅂. W. deinde vero nomen gentis illis inditum eſt, ita ut ſi unica eſſet filia; *Cornelia* v. g. vel *Tullia* diceretur; ſi duæ, una *Cornelia Major*, altera *Cornelia Minor*; ſi plures, *Prima*, *Secunda*, *Tertia*, *Quarta*, &c. vel ut nomina ſonarent lenius, *Secundilla*, *Quartilla Quintilla*. Imponendi vero tum nominis tum prænominis, aliud fœminis, aliud maribus tempus fuit. Nomine enim fœminis octavo die, maribus nono imponi ſolebat; prænumina vero pueris, cum virilem togam ſumerent, puellis cum nuberent, data ſunt. I. *Nomina mulierum.*

De filiis adoptivis unum tantum habeo, quod moneam, ipſos aliquando nomen gentis, aliquando cognomen familiæ ita retinuiſſe, ut nomen inflecterent, cognomen vero ſervarent integrum. Exemplo nobis erunt *P. Cornelius Scipio Æmilianus*, & *C. Julius Cæſar Octavianus*, quorum alter II. *Filiorum adoptivorum.*

ter ex gente *Aemilia* in *Corneliam* a filio *Africani majoris*, alter ex gente *Octavia* in *Juliam* a C. *Cæſare* adoptatus eſt. Cum vero *P. Cornelius Scipio* a *Q. Metello Pio*, & *M. Junius Brutus* a *Q. Servilio Cæpione* adoptati eſſent, ille *Q. Metellus Pius Scipio*, hic *Q. Servilius Cæpio Brutus* dictus eſt.

III. *Servorum.* Inter ſervos & libertos id diſcriminis eſſe plerique volunt, quod ſervi domini prænomen tantum, liberti vero & prænomen & nomen aſſumerent, cognomen non item; quare ſervus vulgo vocatur *Lucipor*, *Mareipor*, quod idem ſonat ac *Lucii puer*, *Marci puer*. Si libertorum exemplum requiras, indicio tibi erunt duo M. Tullii Ciceronis liberti, quorum alter *M. Tullius Tiro*: alter *M. Tullius Laurea* appellatus eſt.

## CAPUT IV.

### *An eadem fuerit nominum ratio, ſtante everſaque Republica.*

Duo hic potiſſimum quærimus, quorum alterum ad prænomen, alterum ad nomen cognomenque pertinet. Primum, an poſterior ætas ſicuti prior, proprium cujuſque nomen cæteris nominibus præpoſuerit. Deinde, an nomen cognomenque a patre, avo, proavo, ut olim, certa lege repetierit.

I. *Stante Republica nomen proprium præpoſitum, poſt poſitum,* Stante Republica, hic mos ſemper obtinuit, ut nomen proprium (prænomen, uti diximus, erat) ante cætera nomina collocaretur; poſt everſam vero Rempublicam, & Romæ & in provinciis non primum, ut olim, ſed ultimum nomen cuique proprium fuit, ita ut fratres, cum cætera nomina communia haberent, non primis, ut antea, ſed ultimis nominibus inter ſe dignoſcerentur; ut *Fla-*

*vius*

*vius Veſpaſianus* , & *Flavius Sabinus* fratres apud Suetonium . Atque a multis exemplis ut abſtineamus, unum *Senecarum* addere ſatis ſuperque erit. Pater fuit *M. Annæus Seneca* , qui Rhetor : illi tres fuerunt filii *M. Annæus Novatus*, *L. Annæus Seneca*, qui Philoſophus, & *L. Annæus Mela*, qui Lucani pater. Quis non videt tres illos fratres, nec primo nec ſecundo nomine, quæ vel tribus vel duobus communia erant, ſed ultimo, quod unicuique proprium, inter ſe diſtingui?

II. *Nomina gentium florente Rep. ſtata erant.*

Florente Republica, prænominis imponendi hic mos fuit, ut filius natu maximus plerumque prænomen a patre, ſecundus tertiuſve a patruis, cognatis aut proavis mutuarentur: nomina vero gentium, & familiarum cognomina ita certa erant & ſtata, ut fratribus eſſent communia, & ad poſteros tranſirent. Quare *Cornelii* aut *Julii* dicebantur ii omnes, qui e gente *Cornelia* aut *Julia* nati erant; & *Scipiones* item aut *Cæſares*, qui e familia *Scipionum* aut *Cæſarum*. Sed paulo poſt occaſum Reipublicæ ita labi ſenſim ac mutari cœperunt, ut nullum familiæ, nullum gentis certum nomen fuerit, filiique a patribus, & a fratribus fratres, ſemper pluribus, interdum nominibus omnibus diſcreparent: cum id temporis, nec proprium cujuſque nomen, nec adjuncta ſeu prænomina ſeu cognomina ſemper a parentibus, ut prius, ſed aliunde ut plurimum pro arbitrio deducta aſſumerent; quod vel ex iis duobus, quæ proferam, exemplis intelligere licet. *Q. Clodius Hermogenianus Olybrius* , & *Faltonius Probus Alypius* Theodoſii ævo fratres erant; & aliquanto poſt *Flavii Aviti Mariniani* , qui *Aſclepiodoti* fuit in Conſulatu collega, filius erat *Rufus Prætextatus Poſtumianus* & ipſe conſul.

III. *Sub Imperatoribus incerta & varia.*

Utque rem paucis concludam, poſterior ætas a veterum Romanorum conſuetudine in his duobus deflexit, quod & primum cuique nomen fuerit

ſtante

ſtante Republica, quod primum; ea vero everſa, quod ultimum: & ſtata fuerint hiſce primis temporibus tum familiarum nomina, poſterioribus vero non item.

## CAPUT V.

*Populi Romani Ordines.*

I. *Variæ populi Romani diviſiones.* VArias variis temporibus inſtitutas populi Romani diviſiones ab auctoribus memoriæ proditum eſt: de quinque, quæ ad id, de quo agimus, maxime pertinent, nunc dicemus; de aliis alias. Prima fuit in Tribus, altera in Curias, tertia in Claſſes, quarta in centurias, quinta in Senatores, Equites, & Plebem: quæ licet temporum ordine tertia, ultimum tamen in locum a nobis de induſtria rejecta eſt. De ſingulis quærendum breviter, a quo, quando, qua ratione facta ſit, quidque fuerit in his deinceps immutatum.

II. *Tres a Romulo tribus inſtitutæ.* Ubi Romulus, ab exigua convenarum manu Rex ſalutatus, imperii aſſumſit inſignia, populum omnem in tres tribus; tribus ſingulas in curias decem, curiaſque in decem decurias tribuit: ſingulis ſingulos præfecti Duces, tribubus Tribunos, curiis Curiones, Decuriones decuriis. Quæ fuerint tribuum nomina, inter omnes convenit; quæ curiarum, non item: prima enim tribus *Ramnenſium* a Romulo, altera *Tatienſium* a Tatio Sabinorum Rege, tertia *Lucerum* a Lucumone Etruſco, vel a Lucerio Ardeate, vel quod verius putem, a Luco Aſyli nuncupata eſt. De curiarum nominibus, cum & pleraque pertinent, & alia ab aliis prodantur, affirmare nihil auſim, niſi quod ea nomina vel ab uxoribus Sabinis: ut auctor eſt Livius, vel a locis in quibus habitabant, ut volunt Plutarchus & Dio, vel ut placet Varroni & Dyoniſio, ab iis qui ipſis præ-

præerant Ducibus petita ſint. In prima tribu paſtores Albani fuerunt, qui una cum Romulo urbem condiderant, in ſecunda Sabini, in tertia Etruſci, Ardeates, Latini, & perfugæ omnes qui ad aſylum venerant.

III. *Auctus tribuum numerus.* Creſcente civium multitudine, crevit etiam tribuum numerus. Tarquinius Priſcus tres addidiſſe fertur, quas ex veterum nominibus *Secundos Ramnenſes*, *Tatienſes*, & *Luceres* appellari voluit. Servius vero Tullius, ut urbem agrumque Romanum in partes novendecim, ita populum omnem in totidem tribus deſcripſit; quatuor *urbanas* quæ urbem, *ruſticas* quindecim quæ agros incolerent: hæc enim verior eſt ſententia, ſi Sigonio credimus, quamvis aliter olim Catoni & Dionyſio viſum eſt. Tribubus ſingulis, vel a locis vel a collibus quos incolebant, nomen inditum: *ruſticæ* tamen aliquanto poſt nobilium familiarum nomina ſibi adſciverunt. Aliæ deinceps tribus a Cenſoribus additæ, earumque numerus crevit ad 35. quæ ad extrema uſque Reipublicæ tempora manſiſſe perhibentur. Tribubus *urbanis* iidem ſemper termini fuerunt, qui urbi; *Ruſticis* vero non iidem, qui agris: naſcente enim & florente Republica, earum tribuum longe diſpar fuit ſeu fortuna, ſeu gloria. *Urbanæ* quidem initio primas tulerunt, iiſque maximus habitus honos; at ubi *Q. Fabius* forenſem turbam, qua *Ap. Claudius* forum campumque corruperat, in quatuor tribus *urbanas* an. urbis 449. conjecit, tum tribubus *urbanis* adſcribi, probro, inter *ruſticas* cenſeri, laudi datum eſt: nec enim deinceps tribus aut urbis aut agri, ſed civitatis partes habitæ ſunt.

IV. *Curiæ a Romulo inſtitutæ.* Ut tribuum, ita curiarum [ ſicut diximus ] auctor Romulus extitit; urbe enim in triginta partes diviſa, ſingulas ſingulis curiis attribuit. Curiam inter & tribum cum multa fuerunt diſcrimina, tum hæc tria maxime: unum, quod tribuum

buum ſæpe creverit numerus, curiarum non item; alterum, quod tribus tum ad urbem tum ad agros, curiæ vero ad urbem tantum pertinerent; tertium denique, quod tribus communia ſacra haberent, curiæ vero ſibi propria, quibus aliæ ab aliis diſcernerentur. Unde lege cautum fuit, ut qui in curia deſcribi vellet, is & maneret in urbe, & ſacra illius curiæ ſuis relictis ſuſciperet.

## CAPUT VI.

### *Claſſes & Centuriæ.*

I. *Servius Tullius inſtituit claſſes.* UT belli paciſque munia non viritim, ſicut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent, juſſit Servius Tullius anno Urbis 186. dum cenſum inſtituit, & populum omnem in ſex claſſes, claſſeſque ſingulas in multas centurias diſtribuit. Qui centum millium æris aut majorem cenſum haberent, in prima claſſe deſcripti ſunt; qui ſeptuaginta millium, in ſecunda; qui quinquaginta millium, in tertia; qui quinque & viginti millium, in quarta; qui undecim millium, in quinta; hoc minorem cenſum ſextæ claſſis eſſe voluit. Hic quidem claſſium numerus fuit, at centuriarum multo major & longe diſpar ratio.

II. *Et centurias.* In ſingulis quidem claſſibus multæ centuriæ conſtitutæ fuerunt, ſed pro numero civium vel plures, vel pauciores: in prima 80. centuriæ, in ſecunda 20, totidem tum in tertia tum in quarta, in quinta vero 30, ſexta autem quæ tenuiorum fuit, habuit reliquam multitudinem. Deinde quatuor centuriæ additæ tum opificum, tum tibicinum, quæ inermes caſtra ſequerentur: arma enim omnibus imperata, alia tamen aliis. In claſſibus ſingulis centuriarum pars una ſeniorum fuit, altera juvenum, ut illi ad urbis cuſtodiam præſto eſſent, hi vero

foris

foris bella gererent. Ita pedeſtri exercitu ornato, octodecim centurias equitum legit ex primoribus civitatis; denique ſingulis honos additus: jus enim ſuffragii in comitiis *centuriatis* datum omnibus, non promiſcue tamen, ut antea, ſed ut vis omnis penes principes civitatis eſſet; equites primum vocati tum primæ claſſis centuriæ; deinde ſi diſſentirent, ſecunda claſſis; aliæ vel raro, vel nunquam: nemo enim neſcit, in comitiis omnibus ſive *tributis*, ſive *curiatis*, ſive *centuriatis*, eam legem fuiſſe, ut quod plures ſive tribus, ſive curiæ, ſive centuriæ juſſiſſent, id ratum haberetur.

## C A P U T VII.

### *Senatores*, *Equites*, *&* *Plebs*.

I. *Quænam Senatorum Equitum & Plebis origo.*

POſtquam Romulus populum duas in partes diſtribuit, unam divitum qui patricii, alteram tenuiorum qui plebeji dicerentur; e patriciis centum ſenes, ex nobilibus familiis trecentos juvenes ſelegit, ut illis ad Reipublicæ adminiſtrationem, his vero ad corporis cuſtodiam uteretur. Senes & *Patres* & *Senatores*, ſeu ob ætatem, ſeu ob auctoritatem: juvenes vero *Celeres*, vel a celeritate, vel ab eorum Duce, cui *Celer* nomen erat, appellari voluit. Hæc prima fuit tum ſenatorum, tum equitum, tum plebis origo; cum vero fuerit alia aliis temporibus eorum ordinum ratio, de his quærendum breviter, quis eorum numerus, quæ dignitas, quæ munia.

II. *Senatores.*

Ducenti ſenatores a Romulo lecti perhibentur, centum anno urbis 2. totidem anno 5. inito cum Sabinis fœdere. Centum etiam aliquanto poſt anno 138. a Tarquinio Priſco additi; qui trecentorum ſenatorum numerus ad Syllæ uſque Dictatoris tempora permanſit. Multi quidem exactis Re-

gibus a L. Bruto in Senatum allecti; at ii non auxerunt numerum, ſed cædibus a Tarquinio Superbo imminutum ſuppleverunt. Lex vero C. Gracchi, qua trecentos equites in Senatum adſcribi juſſerat, paulo poſt Philippo Conſule referente, cum a Senatu, tum a populo etiam antiquata fuit. At Sylla Dictator & ipſius & Marii crudelitate exhauſtum hunc ordinem trecentis equitum principibus anno 672. explevit: auctus deinde ad nongentos anno 708. numerus a C. Cæſare Dictatore: paulo poſt a mille a Triumviris anno 711. donec ab Auguſto, ubi ille rerum potitus eſt, ad priſtinum & modum & ſplendorem anno 724. revocatus eſt. Senatores legere primo Regum fuit, poſt Conſulum, tum Cenſorum. In iis vero legendis habita ratio eſt cenſus, ætatis, magiſtratus, generis, ordinis. Cenſus fuit ſeſtertium 800. millia, florente Republica; ætas 22. annorum; magiſtratus ſaltem Quæſtura; genus patricium ad annum 303. quo penes Decemviros ſumma rerum erat, deinde etiam plebejum; ordo equeſter: e plebe enim perraro legebantur. E ſenatoribus qui *patricii*, ſive *majorum* ſive *minorum gentium* fuerint, quique Patres conſcripti, ſupra diximus in Familiis Romanorum; qui vero *pedarii* dicti ſint, triplex eſt ſententia, una Feſti, altera C. Baſſi apud Gellium, tertia Varronis apud eundem. *Pedarius* ſenator is eſt, inquit Feſtus, qui tranſeundo ad eum, cujus ſententiam probat, quid ſententia, indicet; vel ſi C. Baſſo credimus, is qui cum magiſtratum curulem nullum geſſerit, in curiam pedes erat; vel is, ut placet Varroni, qui necdum a Cenſoribus in Senatum adſcriptus, jus tamen habeat ſententiæ, ſententiam tamen non rogatus, in eas quas principes dixerint, diſceſſerit. Qui peracto cenſu a Cenſore primo loco appellabatur, is *Princeps Senatus* fuit, qui ut plurimum & Conſularis & Cenſorius erat; & hunc honorem

quoad

quoad viveret, apud alios etiam Cenſores retinuit. Penes Senatum adeo totius Reipublicæ ſumma innexa eſt, ut ne Reges quidem, Conſules, aut Dictatores inconſulto Senatu quippiam molirentur.

Equeſter ordo cum opibus, tum honore a Senatu proximus fuit; ad quem nihil pertinuerunt equites ii, qui equis ſtipendia meruerunt, ſed ii, qui a Romulo lecti *Celeres* vulgo dicebantur. Equitibus a Cenſoribus & equus publicus, & annulus aureus datus eſt: iis cenſus equeſtris eſſe debuit, qui ſeſtertium quadringentorum millium erat. Inſigne fuit tum annulus aureus, quo a plebe, tum anguſtus clavus, quo a ſenatoribus diſcernerentur. Unum hic addere libet, ſenatorum filios, qui nondum in Senatum lecti eſſent, fuiſſe inter equites cooptatos III. *Equites.*

Annulorum uſus ex Ægyptiis & Judæis ad Græcos, a Græcis ad Romanos veniſſe videtur: nam Thamar *Gen.* 38, annulum a Juda popoſcit; annulum Joſepho Pharao tradidit, *Gen.* 14. Nulla quidem apud Homerum annulorum mentio; at annuli Polycratis Samii meminit Plinius. Romæ primis temporibus vel nemo vel pauci annulis uſi ſunt; poſtea Senatus omnis, at ferreis: aureis vero ii ſoli, qui vel triumpharent, vel legationem obirent. Deinde equeſtri ordini inſigne annulus fuit; plebi enim ſtante Republica prohibitus. Denique eo devenit annulorum libido, ut ſinguli digitorum articuli iis graves eſſent, annulique cuderentur leviores & graviores, æſtivi & hyemales. IV. *Unde annulorum uſus.*

Tertius ordo popularis fuit, in quo omnes ii, qui neque ſenatores eſſent, neque equites, ſive patricii ſtemmatis, ſive plebeji; multo enim latius patuit patriciorum numerus, quam ſenatorum. Unde patricii, ſi cenſum ſenatorium haberent, ſenatores erant; ſi equeſtrem tantum, equites; ſi neutrum, plebeji. Singulis vero ordinibus, ſi quis quid V. *Plebs.*

gravius deliquiſſet, aut conſumſiſſet patrimonium, ſtatutum fuit pœnæ genus: ſenatori Senatu dimoveri, equiti tum equo publico tum annulo aureo privari, homini vero plebejo ærarium fieri.

## CAPUT VIII.

### *Comitia Romanorum, Curiata, Centuriata, Tributa.*

I. *Triplex Comitiorum genus.*

Comitia, quibus a coeundo nomen factum eſt, nihil erant aliud, quam Populi Romani conventus ad ferendum de aliqua re ſuffragium: quod vero populus modo in curias, modo in centurias, modo in tribus diviſus ſuffragium ferret, ideo triplicis generis fuerunt comitia, curiata, centuriata; & tributa: in quibus omnibus ea fuit populi auctoritas, ut quod plures ſive tribus, ſive curiæ, ſive centuriæ juſſiſſent, id ratum haberetur. Omnia initio Calata dicta ſunt, a verbo *calo*, quod idem tum ſonabat, quod nunc *voco*. Ubi vero hoc vocabulum in uſu eſſe deſiit, *Calati* nomen iis tantum adhæſit comitiis, quæ vel ad condenda teſtamenta, vel ad creandos Pontifices haberentur.

II. *Comitia alia alio tempore inſtituta.*

Curiata comitia jam inde a Romuli temporibus, centuriata ſub Servio Tullio, tributa aliquanto poſt haberi cœpta ſunt: unde quivis intelliget, quam diu Romæ ſumma poteſtas penes Reges fuit, quæ ad publicam rem pertinerent, in curiatis comitiis peracta fuiſſe. In iis electi Reges, creati magiſtratus, leges promulgatæ: ubi vero & centuriata inducta ſunt & tributa, ſuum cuique veluti munus attributum, aliaque aliis de cauſſis convocata. Triplex vero, cur haberentur, cauſſa fuit; ſi creandus magiſtratus; ſi ferenda lex, ſi judicium peragendum.

III. *In iis creati magiſtratus.*

In comitiis omnibus creati magiſtratus, ſed in aliis alii; in centuriatis majores, ut Conſules, Prætores

tores

tores, Cenſores, Tribuni militares Conſulari poteſtate, & Decemviri ſcribendi legibus; minores in tributis, tum urbani, tum provinciales, ſive ordinarii eſſent ut Tribuni plebis, Ædiles tum curules tum plebis, Quæſtores, Triumviri capitales, &c. ſive extraordinarii ut Præfecti annonæ, Duumviri navales, &c. E provincialibus Proprætores interdum & Proconſules, quos ex ſenatuſconſulto vel plebiſcito mitti in provincias moris fuit: initio quidem Tribunos plebis in curiatis comitiis legi ſolemne erat; ſed Voleronis lege in tributis creari in poſterum juſſi ſunt, eaque lege factum, ut nullus poſtea magiſtratus in curiatis comitiis legeretur. IV.

*Sacerdotes*

Ut magiſtratus, ita etiam ſacerdotis ſubrogandi cauſſa comitia habita ſunt. In curiatis creati & Flamines & Curiones; in centuriatis appellatus eſt Rex ſacrorum; in tributis unus ante legem Domitiam ſummus Pontifex, poſtea vero & cæteri Pontifices, Augures Decemviri Epulonum & Quindecimviri ſacris faciundis: alii ſacerdotes vel a ſummo Pontifice cooptabantur, ut Veſtales; alii a ſuis collegiis ut Salii, Luperci, fratres Arvales. V.

*Latæ leges.*

Uſus etiam fuit, ut in comitiis leges ſancirentur, non omnes tamen in omnibus. Quæ in curiatis latæ ſunt, erant ut plurimum ejuſmodi: de confirmatione aliquorum magiſtratuum, qui in aliis comitiis deſignati erant, quod tamen obſervari deſitum eſt; de imperio ſive Proconſulibus ſive proprætoribus dando, quod ſenatus etiam conſulto ſæpe factum; de adoptionibus, de teſtamentis, de ſacroroum deteſtationibus. Si vero feriendum cum hoſtibus fœdus, ſi cui aut permittendus triumphus, aut danda civitas, ſi publicæ quæſtiones conſtituendæ, tum tributa haberi comitia moris fuit: in comitiis centuriatis una de bello hoſtibus inferendo lata lex, niſi quid gravioris eſſet momenti decernendum, quod ad publicam rem vehementer pertineret. Id vero

omnibus commune legibus fuit, ut a ſuis quæque comitiis nomina ſortirentur; unde aliæ curiatæ, aliæ centuriatæ, aliæ tributæ dictæ ſunt: id vero & centuriatis & tributis proprium fuit, quod illæ & a majoribus magiſtratibus ferrentur, & Senatus auctoritate; hæc vero *plebiſcita* vulgo dicerentur.

VI: *Habita judicia.* Judiciorum etiam cauſſa vocata ſæpe comitia ſunt, tum centuriata, tum tributa: in curiatis enim habita poſt Reges exactos judicia nullibi, quod ſciam, legere eſt, ſed alia judicia comitiis centuriatis, alia tributis permiſſa ſunt. Judicium enim de perduellione, hoc eſt de capite, ad centuriata; de mulcta vero alicui indicenda ad tributa pertinuit.

VII. *A quibus vocata comitia.* Curiata comitia primo vocarunt Reges, deinde Conſules, Prætores, Cenſores, Dictatores, Interreges, & interdum etiam, ad Flamines ordinandos, Pontifices. Centuriata vero majores omnes magiſtratus, ut Conſules, Prætores, Cenſores, Interreges, Tribuni militares Conſulari poteſtate, & Decemviri legum ferendarum; alii tamen alia de cauſſa. Ad creandos enim Conſules, Prætores, Cenſores, ab alio quam a Conſule haberi comitia nefas erat, quod majus imperium a minori rogari non eſſet jus. Nec etiam aut Prætoris aut Cenſoris fuit; ſed Conſulis ea vocare comitia, in quibus aut Prætor eligendus, aut Cenſor. Legum vero comitia & judiciorum celebrare licuit Dictatoribus, Conſulibus, Duumviris, Prætoribus, Cenſoribus non item; ſed cenſus tantum habendi cauſſa.

VIII. *Vocati a diverſis Magiſtratibus.* In tributis comitiis ſi creandi erant aut Tribuni aut Ædiles plebis, ea vocare fuit Tribuni plebis; ſi Quæſtores, Ædiles curules, aut Sacerdotes, Conſulis; ſi extraordinarii magiſtratus, ſi lex in iis ſancienda, ſi ferendum judicium, fuit & Conſulis & Prætoris & Tribuni, quibus cum populo agere licebat. Comitiis vero omnibus a Magiſtratibus, qui

in illis creati erant, nomen ita inditum, ut ſi Conſulis eligendi cauſſa vocarentur, conſularia; ſi Prætoris, prætoria; ſi cenſoris, cenſoria dicerentur. Idem de aliis magiſtratibus intelligo; fuerunt enim comitia ædilitia, tribunitia, & quæſtoria.

In iis vero comitiis indicendis, quæ vocari a Conſulibus ſolemne erat, hæc fere ſervata ratio eſt: ſi ambo Conſules eſſent in urbe, inter ſe aut comparabant, aut ſortiebantur, uter præeſſet comitiis; ſi uterque abeſſet, ducta ſorte alter redibat; ſi vero aut neuter poſſet redire, aut uterque abdicaſſet, Dictatorem comitiorum cauſſa ſenatuſconſulto creari opus fuit; ſi denique vel magiſtratuum vel candidatorum contentione intra annum non habita comitia, tum a patriciis ex ipſorum ordine Interrex appellatus, qui in urbe per quinque dies imperaret deinde alium Interregem ipſe diceret, & ille alium, donec comitia haberentur: primo enim Interregi habere comitia nefas erat, fas aliis. IX. *Uter Conſulum vocaret comitia.*

Comitiis aderant Romani cives, non omnes tamen in omnibus: curiatis ii tantum, qui in urbe habitarent, & in curias eſſent deſcripti: in centuriatis & tributis omnes tum urbis, tum municipiorum, tum coloniarum &c. incolæ, quibus data cum jure ſuffragii civitas erat: ſi quid tamen gravius ab hujuſmodi civibus peccatum eſſet, ii ignominiæ cauſſa vel in Ceritum tabulas relati, vel etiam ærarii facti, quorum utriſque ademtum erat jus ſuffragii, hi præterea vectigal pro capite pendere juſſi, quare utrique a comitiis prohibiti. In comitiis magiſtratuum, præter cives, quorum erat ferre ſuffragium, aderant candidati, qui petebant magiſtratus; diribitores, qui tabulas darent populo; rogatores, qui quæ cujuſque ſententia eſſet, exquirerent; cuſtodes, qui propter magiſtratus aſſiderent, ne quid in colligendis ſuffragiis fraudis fieret; & præcones, qui, quæ ſingularum eſſet ſive centuriarum X. *Qui aderant in comitiis*

rum ſive tribuum ſententia, quique ex candidatis ſuffragiorum numero vincerent, palam renunciarent. In comitiis vero judiciorum aderat accuſator, qui crimen objiceret; patroni, qui diluerent; reus cum amicorum turba, qui ſordida veſte, promiſſa barba, impexo capillo, & ſqualido totius corporis habitu, populi animum ad clementiam inflecteret.

XI. *Ubi habita comitia.* Comitiis tum curiatis tum centuriatis habendis ſtatus fuit certuſque locus; tributis non item. Quare curiata ſemper in foro, ſive potius in comitio, quæ pars fori fuit, habita ſunt; centuriata in campo Martio, qui extra Fluentanam portam, tributa vero vel in foro, vel in campo Martio, vel in Capitolio, vel in Circo Flaminio. Curiata enim extra urbis mœnia, centuriata intra pomærium haberi nefas erat; tributa autem vel extra vel intra pomærium indicere, religioni non fuit. Cur vero centuriata extra urbem haberentur, hæc princeps cauſſa perhibetur, quod niſi imperato exercitu illa vocari vetitum eſſet; exercitum vero intra urbem imperari jus non erat.

XII. *Quando habita.* Comitiis omnibus id commune fuit, ut comitialibus tantum diebus haberentur, nunquam aliis. Curiata & tributa, ſi aut legum eſſent aut judiciorum, nec certa lege, nec ſtatis temporibus coacta; ſed prout res tempuſque poſcebat. Centuriata ſingulis quidem annis vocata; ſed non iiſdem ſemper ſive menſibus ſive diebus: initio menſe Junio, deinde Martio vel Aprili, poſt Februario vel Januario, denique ſub Julii finem vel initium Auguſti. Quod vel inde intelligere eſt, quod Conſules alii alio tempore Conſulatum inierint: poſt Reges exactos Kalendis Sextilibus; poſt Decemviros Idibus Majis; ſub bella Punica Idibus Martiis; poſt annum 601. Kalendis Januariis: ita ut inter electionem & initum magiſtratum, maxime poſt annum 601. tres

qua

quatuorve menſes intercederent, ut competitores inquirerent diligentius, numquid a quoquam electorum vel pecunia vel ambitu contra leges peccatum eſſet. Inter comitia vero hic fere ordo fuit: primo tribunitia & ædilitia, quæ tributa erant, habita ſunt; deinde conſularia, tum prætoria, poſt cenſoria, deinde ædilitia ad Æediles curules eligendos, poſt quæſtoria, deniquetribunitia ad creandos Tribunos militum. Id vero Cenſoribus ſingulare fuit, quod, ubi deſignati erant, continuo magiſtratus inirent; cæteri non item.

XIII.

*Quæ requirebantur, ut juſta eſſent comitia:* Ut comitia juſta eſſent, multa prius obſervari opus fuit; primum, ut trinundino ante ab eo magiſtratu, penes quem id jus erat, indicerentur; unde edictum ſcriptum in tabella proponi moris fuit, ut ad quam diem populus conveniret, multo ante tum coloniarum tum municipiorum incolæ intelligerent: quare ſi abeſſent Conſules, edictum illud ab iis præmitti ſolebat, vel indicebantur a Prætoribus comitia, ſi tamen aut res urgeret, aut eſſet Interrex; ex eo tempore detractum nonnihil. Deinde adhibenda erant auſpicia, ad omnia obſervatio de cœlo: avium præterea inſpectio ad curiata & centuriata; quare & aderant tres Augures, qui magiſtratibus adeſſent in auſpicio, & ſi de cœlo ſervatum eſſet, obnunciationi parendum erat. Ad tributa vero nec captata auſpicia, nec ſacra facta, nec pullarii augureſve adhibiti.

*Quæ præterea ad centuriata.* Ad comitia centuriata, nonnulla præter hæc præmitti neceſſe fuit: primum patres illorum auctores erant, hoc eſt, magiſtratus ex ſenatuſconſulto comitia indicebat; deinde captata a magiſtratu vel in arce vel intra pomœrium auſpicia; tum facta intra urbem ſacra legitima; poſt, captum in campo Martio tabernaculum, quod tum vitio capi dicebatur, ſi magiſtratus non fuiſſet intra pomœrium auſpicatus. Initio populus ſub ſignis in ſuas deſcri-

psut

ptus centurias magiſtratum armatus ſequebatur; poſtea omiſſa quidem arma, ſed erecto vexillo exercitus præſidii cauſſa in Janiculo conſtitutus, ne hoſtes, qui tum non procul aberant, urbem invaderent.

XV. *Quæ ratione cœpta comitia.* Ubi populus vel in forum vel in campum Martium convenerat, ſolemne fuit ut magiſtratus concionem haberet ad populum, qua rogaretur ut id, de quo agebatur, vel probaret vel vetaret, ſive lex eſſet ſive judicium: tum lex & propoſita eſt & deſcripta, ut illius & habendæ & legendæ cuique copia eſſet. Aderat etiam interdum civis, qui & gratia & auctoritate apud populum valeret, ut legem ipſi perſuaderet, auctorque legis exiſteret. In curiatis comitiis hac ut plurimum formula magiſtratus utebatur; *Si ita vobis videtur, Quirites, diſcedite in curias, & ſuffragium inite.* Si rogatio non eſſet e re populi, e Tribunis plebis vel unus vel plures intercedebant hoc ſolemni verbo: *veto*, vel *vetamus;* tum dimitti comitia uſus fuit, ferre enim ſuffragium nefas erat: ſi vero nullus intercederet, populus de rogatione conſultabat.

XVI. *Bona pro ſingulis magiſtratibus habita comitia.* In comitiis magiſtratuum, qui præerat comitiis, habita concione monebat populum, ut Conſules, Prætores, Ædiles, &c. e candidatis, quos lubitum erat, eligeret. Quanquam alia alio tempore ratio fuit; dum enim populus voce tulit ſuffragium, illi integrum erat e civibus, quos vellet, eligere, ſive candidati eſſent ſive ſecus: ubi vero tabellæ dari cœptæ ſunt, in quibus ſcripta erant candidatorum nomina, tum e ſolis candidatis creati magiſtratus, nunquam ex aliis. Pro ſingulis magiſtratibus bina habita ſunt comitia; altera ut deſignarentur, vel centuriata vel tributa; ut confirmarentur altera: pro Cenſoribus centuriata, tributa pro aliis. In prioribus comitiis ubi deſignandi erant, mos fuit populum ita rogari, *quos vultis Conſules, Prætores &c. fieri:*

*fieri:* in poſterioribus, in quibus rata electio habenda erat, *vultis jubetiſne ut M. Cicero & C. Antonius* v. g. *quos Conſules populus deſignavit, Conſulatum habeant*? De confirmatione cujuſque magiſtratus lex ſemper ad populum lata eſt; de deſignatione non item, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui pœniteret: quæ tamen comitiorum ratio poſt expletas tribus 35. nonnihil immutata eſt.

XVII. *Ferendi ſuffragii duplex ratio.*

Alia alio tempore fuit ferendi ſuffragii ratio: primum voce illud ferri mos fuit, deinde tabula. Anno enim 614. Gabinius Tribunus plebis legem tulit, ne voce ut antea, ſed tabella darentur deinceps ſuffragia in comitiis magiſtratuum; quod aliquanto poſt in comitiis tum legum tum judiciorum, legibus Caſſia, Papyria, Cœlia, obſervari cœptum eſt. Dum ſuffragium voce latum eſt, in comitiis magiſtratuum cuique, quem luberet, appellandi jus erat; in comitiis autem ſive legum ſive judiciorum, legem ſi quis probaret, hoc verbo utebatur, *uti rogas;* ſi repudiaret, *antiquo;* ubi vero lex de pœna reo infligenda antiquata erat, tum reus criminis abſolutus fuit; ſin minus, damnatus. Poſtquam inductæ ſunt tabulæ, tot cuique datæ ſunt, quot erant candidati. In ſingulis ſingula illorum nomina ſcripta erant, non integra illa quidem, ſed tantum appicta cujuſque nominis prima litera; in comitiis vero & legum & judiciorum duas tantum tabulas cuique dari uſus erat, quarum in altera ſcriptum erat, *uti rogas*, his primis elementis *V. R.* in altera *antiquo* per *A.*

XVIII. *Quot ſuffragiis opus erat, ut quis alios vinceret.*

In omnibus comitiis ſolemne fuit; ut quæ ſententia in eadem ſive curia ſive centuria ſive tribu plurium fuerat, hæc totius aut curiæ aut centuriæ aut tribus eſſe cenſereretur; quod vero plures curiæ, centuriæ, tribus juſſerant, id ratum haberetur. Quare ſi in comitiis curiatis curiæ ſexdecim, in centu-

centuriatis centuriæ primæ claſſis, in tributis tribus ſeptemdecim conſentirent, hæc ſententia vicit; nec aliæ curiæ, centuriæ, tribus vocatæ ſunt ad ſuffragium, ſed ſoluta comitia. Si vero diſſentirent, tum aliæ curiæ, centuriæ, tribus tulerunt ſuffragium; donec major comitiorum pars idem aut juberet aut vetaret. Ne quis vero miretur, quod centuriæ primæ claſſis alias aliarum centurias ſuffragio ſuperarent; erant enim in omnibus claſſibus centuriæ 192. in prima claſſe 18. equitum, 80. peditum, quæ ut numero ita & ſuffragio vincebant cæteras: ſi tamen centuriæ omnes, quod raro contigit, pari utrinque numero in duas irent ſententias, tum vocata ultima, quæ inopum erat centuria, quæ utri parti accederet, ea potior erat. Id vero fuit in comitiis ſacerdotum ſingulare, quod in iis tribus tantum ſeptemdecim ſorte ductæ ſuffragium ferrent: quare ſi quis novem tribuum ſuffragia tuliſſet, is continuo ſacerdos erat.

XIX. *Suffragia quomodo ſorte lata.*

Ferendi vero ſuffragii non idem in omnibus comitiis ordo fuit. In curiatis & tributis nulla dignitatis habita ratio eſt, ſed ſortis ad finem uſque comitiorum, ita ut quæque & curia & tribus eo ordine ferret ſuffragium, quo ſorte vocabatur; in comitiis autem centuriatis major dignitati habitus eſt honos. Initio quidem pro ratione cenſus data ſuffragia, ita ut prima claſſis primum iniret ſuffragium deinde ſecunda, tum tertia, &c. poſt expletas tribus 35, centuriæ omnes ſorti permiſſæ ſunt, quænam prima ferret ſuffragium. Unde duplex facta ſortitio eſt, una inter tribus, altera inter centurias quæ tribus primo exibat, *prærogativa tribus*, quæ centuria, *prærogativa centuria*; reliquæ & tribus & centuriæ *ſorte vocatæ* dicebantur, quamvis non ſorte, ſed ſuo quæque ordine ad dandum ſuffragium procederet.

XX. *In ferendo*

Nec admonere hoc loco omiſerim, in comitiis tri-

tributis duplicem etiam factam eſſe ſortitionem ante legem Juliam: primam in qua tribu a Latinis, alteram quo ordine a ſingulis tribubus daretur ſuffragium. Sancito enim cum Latinis fœdere an. 261. iis ſuffragii poteſtas in comitiis tum legum tum judiciorum, dum eſſent in urbe, data eſt; cum tamen nulla in tribu deſcripti eſſent, ſortiendum erat, qua in tribu ad ferendum ſuffragium cenſerentur. In eadem tribu non eadem ſemper ratione lata ſuffragia: nam initio patricii, plebeji, ingenui, libertini, ſenatores, equites, &c. ejuſdem tribus promiſcue dabant ſuffragia. Sed a M. Æmilio Lepido & M. Fulvio Nobiliore ſingulæ tribus, generibus hominum, cauſſis, quæſtibus deſcriptæ ſunt, ita ut patricii & plebeji, ſenatores & equites, agricolæ & qui artes exercebant, ut lictores, fabri, præcones, tibicines, ſeorſim in eadem tribu inirent ſuffragia. *Suffragio habita etiam dignitatis ratio.*

XXI. *Quomodo data ſuffragia.*

In comitiis, quæ in campo Martio habebantur, ſive centuriata eſſent, ſive tributa, hac fere ratione lata ſunt ſuffragia. Primum, cujuſque ſive centuriæ ſive tribus nomina in ciſtam conjecta; deinde ſorte educta; tum populus in ſuas aut centurias aut tribus diſcedere juſſus; poſt vel centuria vel tribus *prærogativa* a magiſtratu, qui in tribunali ſedebat, per præconem vocata; deinde aliæ & centuriæ pro ordinis dignitate, & tribus, prout ſors tulerat. Vocata ad ſuffragium centuria aut tribus ex eo loco, ubi conſtiterat, in ſeptum ſive ovile diſcedebat (locus erat juxta tribunal cancellis concluſus) quo interim ingredi aliis non licuit; in ovile per pontes iter erat; iu pontibus ſtabant diribitores, qui tabulas darent ſingulis, ut quiſque in ovile venerat, propoſita a rogatoribus ciſta, in quam ſinguli eam, quam vellent, conjicerent tabulam: ubi collectæ erant centuriæ unius vel tribus tabulæ, tum ad illas educendas cuſtodes adhi-

adhibiti, quorum erat ſuffragia deſcribere, hoc eſt, tot puncta notare in tabella, quot ſimiles erant in quaque centuria tabellæ, ita ut hæc centuriæ ſententia renunciaretur, qua ex punctorum numero pluras habere ſimiles tabellas perſpiceretur; ubi *prærogativa* centuria tulerat ſuffragium, ex ovili dimiſſa eſt, & prima equitum centuria, deinde aliæ primæ claſſis centuriæ ſuo quæque ordine evocatæ. Idem de tribubus dicito, quas tamen non dignitatis ratione, ſed ſorte vocari moris fuit.

XXII. *Si par ſuffragiorum utrinque numerus, quid actum.*

Si in utramque partem pares eſſent numero tabellæ unius vel centuriæ vel tribus, nulla illius ſententia renunciata eſt, niſi in perduellionis judicio; hæc enim & tribus & centuria favere reo dicebatur, a qua damnatus non erat. In electione Tribunorum plebis, Quæſtorum, & extraordinariorum magiſtratuum, ſi duo parem ſuffragiorum numerum tuliſſent, ita revocatæ ad ſuffragium aut centuriæ aut tribus, donec alter vinceret alterum: ſi in electione Ædilium idem contingeret, res ſorti permiſſa, utri cederet magiſtratus. Si quid accidiſſet de cœlo, aut avulſum eſſet a majori magiſtratu e Janiculo vexillum, deductuſve exercitus, hac die agi præterea quidquam nefas erat. Illorum vero; qui prius electi erant, diverſa conditio fuit. Si quis enim creatus erat aut Conſul aut Prætor, rata illius electio fuit; ſi Cenſor, nulla: ubi quis vero ſuffragiorum numero vicerat, continuo a magiſtratu appellatus eſt, a quo precatio ſolemnis habita, & qui deſignatus erat, a populo, a nobilibus, ab amicis domum ſummo cum honore deductus.

Cum frequens a nobis Capitolii mentio facta ſit, non abs re fuerit pauca de illo ſubjicere. Templum fuit in monte Tarpejo Jovi ſacrum, cui id nomen inditum eſt, quod dum illius fundamenta jacerentur, hominis caput repertum ſit, ut volunt Livius &

Plutarchus, vel ut mavult Scaliger, quod ſupra totam urbem emineret; quod enim Græcis ἄκρα, verbum e verbo Ldtinis Capitolium eſt. Illud bello Sabino vovit Tarquinius Priſcus, jecitque illius fundamenta; ex hoſtium ſpoliis Servius Tullius altius exſtruxit, perfecit Tarquinius Superbus, Horatius Pulvillus Conſul dedicavit. Poſt hæc tempora ter ſeu incendio ſeu ruina everſum eſt: ſemel in diſſenſione civili Marium inter & Syllam, L. Scipione & C. Norbano Coſſ. iterum ſub Vitellio, tertium ſub Tito: ter etiam reſtitutum, primum a L. Sylla Dictatore, tum ab Imperatore Veſpaſiano, denique a Domitiano, cujus ea fuit hoc in opere munificentia, ut in deauratione duodecim talentorum millia, hoc eſt, ſeptem milliones impenderit. Erant in hoc templo tres ædes; una Junonis, altera Minervæ, tertia quæ & media & maxima fuit, Jovis. Illius limina ænea, inaurata laquearia, vaſa argentea, ambitus duodecim jugerum, &c. Si quis plura requirat, Dionyſium conſulat.

# DISSERTATIO SECVNDA.

## MAGISTRATUS ROMANORUM.

NEc iidem ſemper, nec eodem numero apud Romanos magiſtratus fuerunt; ſed alii alio tempore, & pro numero tum civium tum provinciarum, vel pauciores vel plures. Cum enim res anguſta domi, erant præter Reges aut Conſules admodum pauci; cum civibus, agris, provinciis aucta, domi, foris, militiæ pluri-

plurimi, quorum alii ſtatis locis & temporibus ex more legebantur, alii præter morem & ordinem, prout tempus reſque poſcebat. Non omnes hic explicamus dignitates, ſed præcipuas tantum, *Conſulatum*, *Præturam*, *Cenſuram*, *Aedilitatem*, *Tribunatum*, *Quæſturam*, *Proconſulatum*, & *Dictaturam*: de quibus ſi quis plura avet ſcire, præter veteres legat Sigonium, Gruchium, Pighium, & Roſinum; nam Pomponius Lætus & Feneſtella, ſive potius Dominicus Floccus, ea brevius, quam par eſſet, perſtrinxerunt.

## CAPUT PRIMUM.

### *Conſul.*

I. *Conſulum inſtitutio, inſignia, & jura.* EXactis Regibus anno Urbis 244. magiſtratus, auctore Junio Bruto, creari placuit, qui & bini eſſent & annui, ut & alter alterum, & imperii brevitas utrumque in officio retineret. Hi quod civibus præeſſent, primum *Prætores*; deinde a judicando *Judices*; denique a conſulendo *Conſules* dicti ſunt, quibus omnia fere Regum tum jura tum inſignia conceſſa, prætexta, ſella curulis eburnea, faſces ſecuribus armati initio 24, paulo poſt conſilio Poplicolæ 12, qui non erant penes utrumque Conſulem, ſed alternis menſibus penes alterum: nam primo menſe præferri ſolebant Conſuli, aut qui natu major erat ex lege Valeria, aut cui plures eſſent liberi ex Julia. Conſulum hæc munia fuere; ſacra facere, jus ſecundum leges dicere, habere comitia, ſenatum cogere, rogare ſententias, ſenatuſconſulta & plebiſcita exequi, habere delectus, populi juſſu bella gerere, adminiſtrare provincias, ſocios tueri, & quod ipſis ſingulare fuit, ſuo tum nomine tum magiſtratu annorum ſignare numerum; hoc uno inferiores Regibus, quod in caput civis Romani injuſſu

Juſſu populi animadvertere vetitum, & cuivis liceret ab eis ad populum provocare. II.

*Conditiones, & quis eſſet Conſul.*

Legibus cautum erat, ne quis Conſul crearetur, niſi & præſens eſſet, & 43. annos natus, & patricii generis; ſed earum legum aliæ alia de cauſſa interdum neglectæ fuerunt, aliæ infirmatæ: nam ante ætatem legitimam Conſulatus honos & virtutis ergo *M. Valerio Corvino*, duobus *Africanis majori* & *minori*, huic etiam abſenti, *Pompejoque Magno* delatus eſt; & per vim tum a *C. Mario Juniore* tum ab *Octavio Cæſare* uſurpatus. Per annos quidem 142. nullus niſi patricius Conſul fuiſſe perhibetur; ſed tandem populi querelis a patribus datum eſt anno urbis 387. ut Conſulum alter, & aliquanto poſt ut uterque etiam e plebe legeretur, quod deinceps factitatum.

II.

*Conſules abjecti & reſtituti.*

Ab anno urbis 244. quo ejecti Tarquinii ad annum 302. ſumma rerum penes Conſules fuit; deinde per triennium plus minus penes Decemviros legum ferendarum; poſt iterum penes Conſules ad annum 316. Tum enim pro populi libidine modo Conſules modo Tribuni militares creati ſunt ad annum 387. deinde ſumma poteſtas, *L. Syllæ* tum brevem tum injuſtam dominationem demas, per annos prope quadringentos in Conſulibus fuit ad annum 706, cum *C. Cæſar*, paulo poſt *Triumviri*, denique *Imperatores* rerum potiti ſunt. Sub his tamen ex more creati Conſules, ſed quorum nec eadem quæ prius auctoritas erat, nec idem numerus. Poteſtas enim vel parva vel nulla; numerus pro arbitrio Principis modo minor, modo major: nec enim bini erant, ut antea nec annui, ſed ſæpe trimeſtres, interdum menſtrui, nonnunquam diurni, & ſub Commodo Conſules 25. uno anno fuiſſe a Lampridio memoriæ proditum eſt.

IV.

*Sublati.*

Unde hæc dignitas ſenſim vileſcere cœpit, donec anno Chriſti 541. Urbis vero 1292. quo *Ba-*

*ſilius junior* ſine collega Conſul ponitur ſub Juſtiniano, Conſulum nomina in faſtis notari deſita ſunt, licet nonnulli etiam poſtea Conſules memorentur. Hujus rei invidia penes *Juſtinianum* Imperatorem fuit, & legum conditorem *Tribonianum*, quorum ille præpoſtera gloriæ cupidine Imperatorum & annis & nomine tempora ſignari juſſit; hic vero (ut tum fama fuit) honorem illum, quem, quod paganus eſſet, eſſequi non poterat, aliis invidiſſe perhibetur.

## CAPUT II.

### *Cenſor.*

I. *Cenſorum origo.* CEnſu, uti diximus, anno Urbis 186. inſtituto, Regum fuit, tum Conſulum, illum quinto quoque anno peragere. Cum tamen aliquanto poſt ob varia, quæ alia ex aliis oriebantur bella, id præſtare Conſulibus non liceret, anno 310. duo Cenſores creati ſunt; quæ dignitas a parvis profecta initiis, tantum cepit incrementum, ut morum diſciplinæque Romanæ regimen, Senatus equitumque centuriæ, decoris dedecoriſque diſcrimen in ipſius ditione eſſent.

II. *Quę requiſita ut quis Cenſor eſſet.* Primis quidem temporibus mos fuit, ut Cenſor legeretur nemo, niſi qui & geſto Conſulatu & patricio ſtemmate clarus eſſet: poſtea tamen & nonnulli Cenſuram ante Conſulatum adepti ſunt, & populus pervicit anno 402, ut ſemper Cenſorum alter e plebe, anno vero 622, ut uterque interdum crearetur. Mortuo e Cenſoribus altero, alterum ſuffici religio fuit: ſed alterum abdicare ſe, ut duo de integro legerentur, inſtitutum eſt; & uni hanc dignitatem bis deferri, poſt *Marcum Cenſorinum*, nefas.

III. *Cenſura ſublata, & reſtituta.* Quinquennalis primum Cenſura fuit, paulo poſt *Aemilii Mamertini* Dictatoris lege an. 319. annua & ſe-

& ſemeſtris facta, a C. *Cæſare* anno 707. ſublata, vetuſque tum cenſus agendi, tum luſtri condendi ratio ab *Auguſto* anno 731. revocata; terque ipſe ſive Cenſor ſive Magiſter morum cenſum egiſſe, biſque luſtrum condidiſſe fertur.

IV. *Cenſorum jura & poteſtas.*

Cenſorum fuit civium omnium ſobolem, familiam, facultates deſcribere, urbis templa, vias, aquas, ærarium, vectigalia tueri, populum in tribus partiri, in omnium mores inquirere, legere tum Senatus, tum equeſtris ordinis principem, cives improbos notare ignominia. Si quis enim quid in ſe gravioris criminis admiſiſſet, pro delicti vel levitate vel gravitate varium fuit pœnæ genus: ſi Senator quid deliquiſſet, Senatu moveri; ſi eques, equeſtri ordine, interdum etiam tribu, nonnunquam ærarium fieri, & in Cæritum tabulas referri.

V. *Quid tranſvectio.*

Non abs re fuerit, qua ratione tranſvectio facta ſit, hoc loco paucis explicare. De tranſvectione multi ſcripſerunt, ſed aliter aliis placet. Eo inſtitutam putat Sigonius, ut equites de ſtipendiis legitime confectis Cenſoris rationem redderent. Teſtatur Aurelius Victor, equites ab æde Honoris olea coronatos ad Capitolium in equis tranſiiſſe. Ab utroque Dionyſius diſſentit; cui tamen libentius aſſenſerim, cum in honorem Caſtoris & Pollucis, quod victoriam de Latinis ann. 257 relatam nunciaſſent, hanc pompam celebratam velit; & ab æde Martis per Forum in Capitolium tetendiſſe equites, qui per tribus & curias ad quinque millia diſtincti, quaſi redirent e pugna, fronde oleagina coronati, togiſque palmatis inſignes eſſent, quorum alii coronas, alii torques, pars phaleras, haſtas, armillas, ſinguli ſingula & præmia virtutis & bellicæ laudis inſignia magnifice oſtentarent. Dignum ſane majeſtate imperii ſpectaculum.

# CAPUT III.

## *Prætor.*

I. *Prætores; primū duo illorumque jura.*

VAriis diſtricti bellis ab Urbe ſæpius cum abeſſent Conſules, nec eſſet qui in civitate jus redderet, Prætor unus anno Urbis 387. creatus eſt; ob peregrinorum multitudinem anno Urbis 510. alter additus. Ille quod civibus jus diceret, *urbanus* vulgo dictus eſt; hic quod peregrinis, *peregrinus*. Eadem fere utrique quæ Conſulibus inſignia, ſella curulis, trabea, prætexta, duo lictores, tribunal, præterea haſta & gladius. *Urbani* longe major in urbe & dignitas fuit & auctoritas; illius enim erat viduas pupilloſque defendere, ludos ſolemnes & ſacra quædam facere, Senatum abſentibus Conſulibus cogere, rogare ſententias, comitia habere, interdum etiam ducere exercitum. *Peregrini* vero fuit de peregrinorum cauſſis cognoſcere, modo exercitui, modo claſſi præeſſe; & ad hunc honorem primum patriciis tantum, deinde plebejis etiam an. 417. aditus patuit.

II. *Plures additi.*

Quamdiu iiſdem, quibus Italia, finibus clauſum eſt Romanorum imperium, tamdiu hic manſit Prætorum numerus; at ubi victi Carthaginienſes Romanis ceſſerunt, in bello Punico primo Siciliam & Sardiniam, in ſecundo vero utramque Hiſpaniam citeriorem & ulteriorem; tum quatuor adjuncti Prætores, duo anno 526. qui Siciliam & Sardiniam, anno vero 556. totidem qui Hiſpanias regerent. Mutatis haud multo poſt civium moribus, hæc mutata ratio eſt. Deleta enim Carthagine, deleta Numantia, Philippo, Antiocho, Perſeo devictis, ſimul cum opibus libido, luxus, ambitio, avaritia crevere; unde admiſſa tum in urbe tum in provinciis multa & a privatis & a magiſtratibus ſcelera, homi-

homicidia, veneficia, rapinæ, &c. quare quæſtiones publicæ, quæ prius vel Conſulibus vel lectis Senatoribus extra ordinem, prout, res poſcebat, committi ſolebant, perpetuæ factæ ſunt, de *repetundis*, de *ambitu*, de *majeſtate*, de *peculatu*, *parricidio*, *inceſtu*, &c. eæque anno 609. demandatæ Prætoribus, ita ut penes illos omnia eſſent judicia; penes *urbanum* & *peregrinum* privata, penes alios publica. Quo munere ut fugerentur, lege ſancitum eſt, ut Prætores omnes annuum magiſtratum in urbe tranſigerent, tum inter ſe provincias ſortirentur, quas cum imperio vel proconſulari vel proprætorio adminiſtrarent.

III. *Illorum in provinciis poteſtas: alii adjecti & ſublati.*

In provinciis ad Prætores pertinuit jus ſecundum leges dicere, tutari ſocios, perdulles reprimere, ducere exercitum, bellum (ſi opus foret) gerere, exigere vectigalia, caſtra, vias, & opera publica munire. A *L. Sylla Dictatore* anno Urbis 673. duo adjecti Prætores, quorum alter de *ſicariis*, alter de *falſo* cognoſceret. Totidem a *C. Cæſare* nnno 707. additi, qui quod frumento præeſſent, *cereales* vulgo nuncupati: tum anno 708. quatuor, denique anno 709. duo. Cæſo tamen paulo poſt Cæſare, Prætores tantum octo uti prius creati, donec Auguſtus ſub finem bellorum civilium anno 725. quatuor, & aliquanto poſt Claudius duos adjecit, ita ut ſingulis annis deinceps Prætores 14. legerentur.

## CAPUT IV.

### *Aedilis.*

I. *Ædiles plebis: curules, cereales.*

ÆDiles Romæ ſex omnino fuiſſe perhibentur, duo *plebis*, *curules* duo, totidem *cereales*: alia aliis origo, dignitas munera. *Aediles plebis* a populo, ubi e monte Sacro in urbem rediit, eo-

dem an. quo Tribuni plebis 260. conſenſu patrum inſtituti ſunt: *curules* vero anno 387. creati a patribus, quod *Aediles plebis* ludos, quos Senatus voverat, acturos ſe negarent: *cereales* a C. Cæſare anno 709. *Aediles plebis* plebeji ſemper generis fuere; *cereales* patricii; *curules* utriuſque. *Curules* cæteris dignitate præſtabant; ipſis enim præmia ob laborem data, antiquior in Senatu ſententiæ dicendæ locus, toga prætexta, ſella curulis, jus imaginum, quæ aliis negata.

II. *Singulorum officia.* *Aedilium plebis* officia fuerunt Tribunis inſervire, matronas inſimulare probri, fœneratores coercere, inhibere popinas; ut aquæductus, cloacæ, ædificia, ſive privata ſive publica, munda eſſent & integra, curare; providere, ne annonæ penuria urbs laboraret, ſenatuſconſulta & plebiſcita cuſtodire: *curulium* vero fuit, ludos ſacros & ſolemnes inſtituere; templa, baſilicas, theatra, porticus, ſtadia, fora, curias, mœnia & reficere & exornare. Ad *cereales* pertinuit frumento publico præeſſe, præterea nihil.

## CAPUT III.

### *Tribunus plebis.*

I. *Tribunatus quando inſtitutus.* TRibunis plebis creandis cauſſam dedit ſeceſſio plebis patribus, anno poſt Urbem conditam 259. Plebs enim nexu gravata & deluſa ſæpius in montem, qui inde Sacer dictus eſt, trans Anienem diſceſſit. Miſſus ad eam placandam *Menenius Agrippa*, vir populo ac patribus juxta carus; cujus oratione delinita plebs in Urbem ediit, ea tamen lege, ut plebejos haberet magiſtratus qui ideo *Tribuni* dicti ſunt, quod e Tribunis militum lecti eſſent, teſte Varrone; vel quod populus tres in partes tum diviſus eſſet, ut auctor eſt Pomponius; vel

potius

potius a tribuum ſuffragio, ut volunt alii. Duos ergo Tribunos anno Urbis 260. plebs habere cœpit, ut verior eſt ſententia; aliter enim placet Dionyſio: tres aliquanto poſt an. 284. lege *Publilia* additi, & præterea quinque anno 269. modo ne quis reficeretur eorum, qui anno proximo eundem magiſtratum geſſiſſent. Decem hi Tribuni peſtis Reipublicæ fuere, & inde manavit omne civile nefas.

II.

*Quando ſublatus.*

Omnis fere auctoritas a *Sylla Dictatore* an. 672. Tribunis ademta; ſed paulo poſt partim a *M. Cotta* an. 679. partim a *Cn. Pompejo* an. 683. eis reſtituta: donec an. 730. conſenſu patrum in *Auguſtum Cæſarem*, deinde in alios Imperatores translata eſt. Nomen tamen & umbra illius magiſtratus penes plebem manſiſſe dicitur ad *Conſtantini Magni* imperium.

III.

*Tribunorũ poteſtas & jura.*

Hæc plane ſingularia *Tribunis* conceſſa ſunt, eos cum religione tum lege ſacroſanctos eſſe, ut qui eis nocuiſſet, ejus caput Jovi ſacrum eſſet; ab Urbe diem integrum, niſi Latinis feriis, abeſſe nefas; eorum domum interdiu noctuque patere omnibus, quippe qui publicæ libertatis cuſtodes eſſent; vel unius interceſſione aliorum decreta eſſe irrita; eorum poteſtatem extra urbem nullam, in urbe maximam; repudiare Senatus decreta, quæ plebi fraudi eſſet poſſent; & ſolus e magiſtratibus non parere Conſuli. *Tribunum* vel e patriciis, vel e Senatoribus legi, aut in curiam venire diu vetitum; ſed poſtea & patriciis, ſi a plebæjis adoptati eſſent, Tribunatus, & Tribunis *Atinia* lege curia patuit. Hæc Tribunatus & jura fuerunt & onera: ſed longe plura deinceps, jure an injuria, a *Tribunis* uſurpata; Senatus edicta, leges, conſulta, acta magiſtratuum ab iis ſæpe reſciſſa; promulgatæ novæ leges; comitia tum plebis tum Senatus pro arbitrio & coacta & ſoluta; tributorum collationes, militumque de-

ctus prohibiti; ducti etiam interdum eorum juſſu in carcerem Conſules; agri denique, vectigalia, pecuniæ publicæ magiſtratibus, provinciæ civibus ſeu probis ſive improbis pro libidine & datæ & ereptæ.

## CAPUT VI.

### *Quæſtor.*

I. *Quæſtores capitales.* TRia *Quæſtorum* apud Romanos genera fuerunt alii enim *capitales*, alii, *urbani* ſeu *ærarii*, ali *provinciales*. Omnia *capitalibus* & aliis erant præter nomen plane diverſa; *ærariis* & *provincialibus* omnia, præter inſignia, plane eadem. *Capitales* vel a Romulo, vel a Numa, vel certe a Tullo (a quo enim, obſcurum eſt) inſtituti ſunt. Eorum fuit in maleficia, parricidia, perduellionem, & alia crimina inquirere; donec anno 465: id muneris Triumviris capitalibus demandatum; & quæſtiones publicæ anno 609. uti diximus, conſtitutæ ſunt. Sunt etiam qui eos ſub Regibus pecuniæ & colligendæ & ſervandæ præfuiſſe velint.

II. *Urbani & militares.* Quæſtorum tum *ærariorum* tum *militarium*, numerus alius alio tempore, pro vectigalium ratione vel minor vel major fuit. Primum quidem an 244. duo creati a *P. Poplicola*; tum an. 333. duo additi, qui Conſules apud exercitum ſequerentur. Ubi vero perdomita Italia eſt, adjecti quatuor anno 488. qui quatuor Italiæ provincias una cum Prætoribus regerent; deinde a *Sylla* auctus ad 20. eorum numerus an. 672. Sub Imperatoribus vero diverſus fuit pro provinciarum numero. Ad Quæſturam, qui primus ad alios honores gradus erat, mos obtinuit, ut legeretur nemo niſi qui & 28. plus minus annos natus eſſet, & decem annos ſtipendia feciſſet, & patricia

cia eſset familia genitus: admiſſi tamen anno 335. plebeji.

Quæſtoribus *urbanis* nullum imperium fuit; non vocatio, non prehenſio, nec ſella curilis, nec lictores: *militaribus* vero & ſcribæ erant & lictores, & juris dicendi poteſtas. *Urbanorum* munus fuit, ærario Saturni præeſſe, curare vectigalia, in tabulas tum accepti tum expenſi rationem referre, ſigna militaria ex ærario depromere, vendere prædam captam ex hoſtibus, civium qui in præliis ceciderant numerum inire, exterarum gentium legatos excipere hoſpitio, eiſque munera Reipublicæ exhibere. *Militarium* vero fuit legatis, cohorti prætoriæ, & exercitui ſuppeditare & annonam & ſtipendia, privatam militum pecuniam apud ſigna depoſitam cuſtodire, manubias recipere, &c. Ad Quæſtores denique, qui provinciis Italiæ ptæerant, pertinuit vectigalia, tributa, portoria, pecuniam, & frumentum colligere, in rationum tabulas referre, pro majeſtate populi Romani rem gerere, ſubigere hoſtes, & ſocios tueri. IIII. *Illorum jura.*

Si quis vero avet ſcire, quenam fuerint illæ quatuor in Italia quæſtoriæ provinciæ; hæ fuerunt, ut conjicit Pighius in Annalibus Romanis, ad annum Urbis 488. Prima *Oſtienſis*, in qua Latini, Sabini, Marſi, Etruſci, & alii circa Romam populi; altera *Calena*, in qua Campania, Samnium, & Lucania, &c. tertia *Ariminenſis* ſeu *Gallica*, in qua Umbria & Gallia ad Rubiconem uſque & Pidemum; & quarta *Lucerina* ſive *Apuliæ* & *Cambriæ*, qua Apuli, Hirpini, Salentini, &c. ad ſinum uſque Tarentinum. IV. *provinciæ quæſtoriæ.*

## CAPUT VIII.

### *Proconſul & Prætor.*

I. *An dicendum Proconſul an Pro Conſule.* CUm par prope fuerit Prætoris ac Proconſulis dignitas, eademque fuerint utrique & inſigna & munera, hic de utroque brevitatis cauſsa agemus. Inter ſcriptores non convenit, *Proconſul*, an *Pro Conſule*; *Proprætor*, an *Pro Prætore* legendum ſit. *Proprætor* & *Proconſul*, ut pronepos proneptis, Aldo Manutio probatur; Pighius vero, cum Cicerone tum faſtis Capitolinis auctoribus, *Pro Conſule* & Pro *Prætore* legendum putat. Ego, utro quis modo legeret, peccaturum non crediderim.

II. *Proconſulum inſignia & comitatus.* Alia florente ac everſa Republica Proconſulum ratio fuit. Antequam enim Cæſares rerum potirentur, Proconſules erant ii, qui vel e Conſulatu, vel prorogato ipmperio, vel e privatis extra ordinem in provincias, ut iis praeeſsent, mitti ſolebant. Iis erant Legati, Tribuni militum, Centuriones; Præfecti, Scribæ, Lictores duodecim, Haruſpices, Medici, & Contubernales, quæ Cohors prætoria vulgo dicebatur: his omnibus ſtipendia, veſtes, vaſa, vehicula, tabernacula, & alia id genus dari impenſa publica moris erat.

III. *Proconſules ſine auſpiciis erant.* Proconſules ſemper cum poteſtate fuerunt, ſæpe cum imperio, ſemper ſine magiſtratu & auſpiciis; unde honos triumphi, dum vigerent leges, Proconſulibus, ut *Africano Majori*, re etiam bene geſta negatus eſt: poſtea tamen nonnullis, ut *Pompejo Magno*, conceſsus; primis enim temporibus ſolemne fuit, eorum, qui ſine magiſtratu & auſpiciis viciſſent, triumphare neminem.

IV. *Quid interfuit inter poteſtatem &* Non erit opinor alienum, quid poteſtatem inter & imperium, Magiſtratum & Proconſulatum interfuerit, admonere paucis. Poteſtas ad jus dicendum, ad

ad exigenda vectigalia, ad ordinandam ſive Urbem ſive provinciam; imperium vero ad ſocios tutandos armis, pellendos hoſtes, bellumque gerendum pertinuit. Magiſtratus alii majores, alii minores: majores *Dictator*, *Conſul*, *Cenſor*, *Prætor*; minores *Quæſtor urbanus*, *Tribunus plebis*, *Aediles* tum *plebis*, tum *curulis*, tum *cerealis*. Sua ſingulis auſpicia fuere, ſed alia aliis, majoribus majora, minora minoribus. Omnibus item ſemper data poteſtas, imperium non item; ſed Dictatori tantum, Conſuli, & Prætori: iiſque nec ſemper, nec iiſdem quibus magiſtratus dabatur comitiis, ſed & cum res poſceret, comitiis ſæpe curiatis, interdum tributis, nonnunquam etiam ſenatuſconſulto. *imperium.*

V. *Quænam conſulares provinciæ*

Quænam vero *conſulares* provinciæ fuerint, paucis accipe. Lege C. Gracchi ſancitum erat, ut antequam novi ſive conſules ſive Prætores deſignarentur, alter Conſulum ad Senatum referret, quæ provinciæ *conſulares* eſſent, quæ *prætoriæ*: quod ubi conſtitutum erat, mos fuit, ut deſignati tum Conſules tum Prætores eas vel ſortirentur, vel inter ſe compararent: tum ſi bellum gerendum, imperium; ſin minus, ſola poteſtas dabatur: deinde quæ latitudo provinciæ, quot legiones, quod ſtipendium militibus, quis comitatus, & alia id genus, vel pro gravitate belli gerendi vel pro dignitate ſive Proconſulis ſive Proprætoris, modo majora modo minora decernebantur. Eadem enim Proprætoris ac Proconſulis ornamenta: tamen Proconſulis comitatus nobilior, robuſtior exercitus, provincia clarior, bellum gravius, lictores duodecim; ſex tantum Proprætori.

VI. *Provinciarum diviſio ab Auguſto facta.*

Auguſtus Cæſar, devictis Antonii patribus, orbem Romanum duas in partes an. 726. tribuit, quarum alteram Senatui populoque regendam permiſit, alteram ſibi retinuit. Quo vero penes ipſum legiones

nes eſſent & totius Imperii robur, provincias quæ paterent hoſti, ſibi; quæ vero procul eſſent a bellico tumultu, Senatui attribuit. Qui provinciis præerant Senatus nomine, & *Proconſules*; qui ſuo, & *Prætores* & *Præfectos* appellari voluit: ſed illis gladium, habitum militarem, juſque milites capite plectendi ademit; his hæc omnia conceſſit. Exinde quæ provinciæ parebant Senatui, *conſulares* fuere; quæ Cæſari, *prætoriæ*. Quarum laterculum hic apponere libuit, quo facilius quivis intelligat, quam late id temporis patuerit Romanum Imperium. *Italia*, *Africa*, *Numidia*, *Aſia*, *Epirus*, *Macedonia*, *Græcia*, *Sicilia*, *Creta*, *Cyrene*, *Bithynia*, *Pontus*, *Sardinia*, *Hiſpania*, *Bætica* Senatui permiſſæ, Cæſaris vero Præfectis ſuberant *Gallia Narbonenſis*, *Laugdunenſis*, *Aquitanica* & *Celtica*, *Hiſpania Tarraconenſis*, *Luſitania*, *Cæleſyria*, *Phœnice*, *Cilicia*, *Cyprus*, *Aegyptus*.

## CAPUT VIII.

### *Dictator*.

I. *Dictator quando inſtitutus.* ANno poſt Reges exactos nono, poſt Urbem conditam 252, cum omne Latinum nomen auctore Mamilio Tarquinii genero in Romanos conjuraſſet, plebſque ære alieno oppreſſa detrectaret militiam, nihil e re publica magis fore patribus viſum eſt, quam ſi magiſtratus crearetur, penes quem ſumma belli paciſque poteſtas eſſet: qui, quod populo præeſſet, *Magiſter populi*, quod a Conſule diceretur, *Dictator* vulgo nuncupatus eſt.

II. *Illius poteſtas.* Huic delata ſunt omnia Regum tum inſignia, tum jura; purpura, ſella curulis, equi phalerati, lictores cum ſecuribus 24. ſummumque imperium domi foriſque in militum, civium, magiſtratuum fortunas & vitam. Nulla tum Conſuli, nulla prætori,

tori, nulla aliis, ſi Tribunos plebis excipias, magiſtratibus auctoritas fuit, nec ab eo ulla provocatio fuit ad annum 304. quo lege *Duilia* cautum eſt, ne ullus deinceps magiſtratus ſine provocatione ad populum crearetur.

Alia legendi *Dictatoris* ac cæterorum magiſtratuum cauſſa fuit & ratio: nec enim annis ſingulis, uti Conſules, ſed tum, cum periculum ingens vel ad hoſtibus, vel a civibus, vel a diis Reipublicæ imminere putaretur. Nullus enim *Dictator* dictus eſt, niſi rei gerundæ cauſſa, ſedandæ ſeditionis, comitiorum habendorum, legendi Senatus, aut religionis ergo; ſi vel clavus figendus eſſet, vel, ob prodigia, aut ludi Romani celebrandi, aut feriæ Latinæ inſtaurandæ: jubente Senatu, Conſulum alter, penes quem tum faſces erant, de media nocte captatis auſpiciis, ex conſularibus quem vellet, jubebat Dictatorem. III. *Quando creatus Dictator.*

Hæc dignitas Romanæ rei ſæpe ſaluti fuit: quamvis enim regiæ prope par eſſet, nec inviſa tamen erat populo, nec perpetua, ſed ſemeſtris tantum, perraro in annum prorogata. Nec enim *L. Syllæ*, nec *C. Cæſari* ſponte delata fuit, ſed ab iis opreſſa libertate contra jus faſque & uſurpata & retenta diutius; vetitum etiam, ne extra Italiam cum imperio eſſet, ne veheretur equo, donec *Q. Fabio Dictatori*, ut equo uti liceret, a Senatu honoris cauſſa conceſſum eſt. IV. *Semeſtris illius poteſtas.*

DIs-

# DISSERTATIO TERTIA.

## ROMANORUM SACERDOTIA.

III. *Varia apud Romanos ſacerdotia.*

SAcerdotum apud Romanos infinita prope fuit & multitudo & varietas, quorum plane diverſa erant tum nomina tum munera. Nomina vel a diis quibus inſerviebant, vel a rebus quas curabant, ut plurimum petita; munera jam inde a primis Urbis temporibus ſingula ſingulis præſcripta, ſed aut pro Numæ arbitrio, aut pro varia ſive deorum ſive ſacrorum indole, alia aliis. Erant enim qui deorum omnium, erant qui ſingulorum ſacris præeſſent: deorum omnium curabant ſacra *Pontifices*; ſingulorum alii omnes, *Luperci* Panis *Potitii* Herculis, *Sodales Titii* Sabinorum deorum, *Salii* Martis, *Veſtales* Veſtæ: *Flaminum* vero alii Jovis, alii Martis, alii Quirini. Erant præterea *Augures* qui auſpiciorum, *Haruſpices* qui extorum, *Feciales* qui belli & pacis diſciplinam tenerent, *Epulones* qui liberorum Sibylinorum ſacra, *Rex ſacrificulus* qui regia ſacra adornaret. Erant denique *Fratres Arvales* & *Curiones*, quorum illi pro agrorum frugibus, iſti pro curiis ſacrificarent. Non eſt animus ſacerdotum omnium ſingula munera hic perſequi, ſed eorum tantum, quorum ſæpe apud ſcriptores occurrit mentio, & qui dignitate præſtabant cæteris.

## CAPUT PRIMUM.

### Pontifices.

I. *Pontificum unde no-*

POntifices, quibus (ut volebat Q. Mutius) a poſſe & facere, vel (ut Varroni placuit & Dionyſio)


pag. 264
Tubicines
Citharoedi
Popae
Victima percussa
Hostia excoriata
Haruspices
Camilli
ANTIQUORUM
SACRIFICANDI RITUS
ex
Onuph. Panvinio.

nyſio[ a ponte & facere nomen inditum eſt; primum a Numa Pompilio quatuor e patriciis creati ſunt; deinde ab Ogulniis Tribunis anno 454. quatuor e plebe additi; tum a L. Sylla Dictatore anno 671. ſeptem. Unde duplex ordo Pontificum deinceps fuiſſe dicitur; alter veterum qui *majores*, alter recentiorum qui *minores* fuerunt vulgo nuncupati. *men, & duplex ordo.*

II. *A quibus lecti Pontifices.* Cooptari Pontificem a Numæ temporibus ad annum uſque 649. penes Pontificum collegium fuit; deinde lege Domitia penes populum: quam haud multo poſt a L. Sylla anno 671. abrogatam reſtituit Ti. Labienus Tribunus plebis an. 690. donec ſub Imperatoribus nec collegii, nec populi, ſed unius Principis arbitrio Pontifices legi cœpti ſunt.

III. *Illorum jura.* Pontifices inter & magiſtratus hæc maxime tria intererant: unum, quod magiſtratus annui eſſent, Pontifices perpetui; alterum, quod magiſtratus ad reddendam rationem ſive Senatui ſive populo tenerentur, Pontifices non item; tertium denique, quod magiſtratus ſemper vel poteſtatem vel imperium, Pontifices eorum neutrum haberent. Pontificum hæc munera fuere, de cauſſis omnibus quæ ad ſacra pertinerent judicare; in ſacerdotum omnium mores, officia, cæremonias inquirere: pro delicti graviate animadvertere in reos; novaſque leges de ſacris pro arbitrio condere, ita ut (ſi Ciceroni credimus) omnis Reipublicæ dignitas, omnium ſalus, libertas, aræ, foci, dii penates, fortunæ, domicilia illorum ſapientiæ & fidei credita viderentur.

IV. *Pontificis maximi dignitas.* Pontificum collegio præfuit Pontifex maximus a Numa eo conſtitutus, ut eſſet quo de rebus ſacris conſultum plebs veniret; illius enim erat, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa, ſacra tum publica tum privata fierent, præſcribere; quibus ritibus juſta funebria peragenda, placandive manes

edo-

edocere; quæque prodigia fulminibus aliove viſo miſſa curarentur. Illum & ex collegio Pontificum, & tributis populi comitiis legi ſemper mos fuit; primum quidem e ſolis patriciis, deinde etiam e plebe.

V. *Aſſumta ab Imperatoribus & ſublata.* Hanc dignitatem, mortuo Lepido, cum Auguſtus ipſe tum cæteri deinceps poſt illum Imperatores & Pagani & Chriſtiani una cum imperio aſſumſerunt; ita tamen, ut Chriſtiani, cum ab hiſce muneribus abhorrerent, ſolum Pontificis maximi nomen inter elogia ſua adſcribi paterentur. Ubi vero Gratianus Pontificem Maximum appellari ſe vetuit, haud multo poſt anno Chriſti 389. Theodoſius ſenior, ſacerdotum reditibus fiſco addictis, perfecit ut Pontifices, Augures, aliive ſacerdotes creari deſierint.

## CAPUT II.

### *Augures.*

I. *Augurum numerus alius alio tempore.* ARtem augurandi a Chaldæis ad Græcos, a Græcis ad Etruſcos, ab his vero ad Latinos & Romanos manaſſe memoriæ traditum eſt: cætera quæ de illius origine vulgo traduntur, meræ ſunt fabulæ. Tres Augures a Romulo, qui & ipſe Augur fuit, ſinguli ex ſingulis tribubus creati ſunt, quibus a Servio Tullio, ut multi ſuſpicantur, quartus adjunctus eſt, itidem ut tres alii, patricius: deinde ab Ogulinis fratribus an. 454. quinque e plebe additi, quorum numerus uti Pontificum a L. Sylla an. 971 ad quindecim auctus. Qui ætate ſenior erat, is præerat cæteris, Magiſter collegii vulgo nuncupatus.

II. *A quibus lecti.* Ut Pontificum, ita Augurum legendorum alia aliis temporibus ratio fuit: jus enim illud ab Augurum collegio ad populum a Domitio an. 649. tranſ-

latum

latum eſt; a L. Sylla an. 671. Auguribus reſtitutum, & a Ti. Labieno iterum an. 690. datum populo; ab Auguſto tandem cæteriſque Imperatoribus, licet ipſi Augures non eſſent, uſurpatum.

Ad Augures pertinuit ex cantu volatuve avium, aut ex pullorum tripudiis, ſomniis, portentis, oraculis reſponſa dare, quidque per ea Reipublicæ aut boni aut mali portenderetur, vaticinari. Auguriorum enim quinque potiſſimum genera recenſentur, unum e cœlo, alterum ex avibus, tertium ex pullis, quartum ex quadrupedibus, quintum ex diris peti ſolebat. Quæ, ne longior ſim (de his enim nonnihil dicam paulo poſt) breviter indicaſſe ſatis erit. III. *Illorum jura.*

## CAPUT III.

### *Flamines.*

FLaminibus vel pileus quo utebantur, ut vult Plutarchus, vel filum quo caput redimiti erant, ut auctor eſt Varro, nomen fecit. Illos non Romulus (quod ſcripſit Plutarchus) ſed Numa (teſtibus Dionyſio & Livio) inſtituit: cum enim videret Reges ab urbe belli gerendi cauſſa ſæpius abfuturos, ne ſacra regiæ vicis deſererentur, Flaminem Jovi aſſiduum ſacerdotem creavit. Huic duos adjecit, Marti unum, alterum Quirino; deinde duodecim in multorum deorum honorem, alii aliis temporibus additi ſunt ejuſdem quidem nominis, ſed non ejuſdem dignitatis: unde illi *majores*, hi vero *minores* vulgo dicti ſunt, quod illi & antiquiores eſſent & patricii, hi vero & recentiores & plebeji. I. *Flamines a quibus creati, illorumque numerus.*

At cæteris omnibus, cum auctoritate tum inſignibus, longe *Dialis* præſtitit; cui cum aliis commune fuit, in comitiis tributis creari, inaugurari a II. *Flaminis Dialis dignitas.*

Pontifice Maximo, & ſi quid admiſiſſet ſceleris, abire flaminio. Hæc vero illi plane ſingularia, lictore, ſella curuli regia, & veſte inſigni uti; vinctum, ſi ejus ædes introierit, ſolvere; reum, ſi ad ejus pedes procubuerit, verberibus eo die prohibere; illi exercitum armatum conſpicere, jurare, annulo uti, magiſtratum ullum aut petere aut gerere nefas fuit. Multo plura refert Gellius lib. 16. cap. 15. quem, ſi quis hæc cupit ſcire, conſulat.

III. *Quando ſublata.* Flamen Dialis a Numæ temporibus ſummo ſemper in honore fuit ad bella uſque civilia Marii & Syllæ: tum enim pulſo C. Cæſare, qui ſacerdotium illud etiam tum juvenis Cinnæ gener adeptus fuerat, a Sylla ſublatus eſt, poſt annos plus minus centum ab Auguſto reſtitutus. Theodoſii tandem ætate una cum aliis ſacerdotibus deſiit.

## CAPUT IV.


### *Veſtales.*

I. *Unde Veſtæ & Veſtalis nomen.* SEu a vi ſtando, ſeu a veſtiendo Veſta dicitur. Ovidio terra eſt, quod & vi ſua ſtet, & floribus herbiſque veſtiatur. Ciceroni vero ignis, voce a Græcis deducta; ἑστία enim ad focos pertinet. Quænam autem fuerit Veſta, docet vel hiſtoria, vel fabula potius. Diodorus Saturni filiam, Fabius Pictor Jani uxorem facit, quæ ignis æterni cuſtodiam puellis mandaverit.

II. *Veſtales a quo inſtituta.* Sacra Veſtæ in Italiam fuiſſe a Trojanis adducta, templumque primum Lanuvii ab Ænea, tum ab Aſcanio in Albano monte ipſi dicatum, auctores plerique omnes conſentiunt; uter vero Romæ Veſtales inſtruerit, Romulus an Numa, inter illos non convenit: ego Dionyſio quam aliis aſſenſerim libentius, qui a Numa creatas quatuor, & aliquanto poſt duas a Tarquinio Priſco additas affirmat.

Veſta-


pag. 259.
FAVSTINÆ
Nummus
Temp.
Vestæ
S C


pag. 265.
CAVEA PULLARIA

Veſtalis enim legendæ primum penes Reges jus erat, deinde penes Pontificem Maximum; quibus tamen non quam liberet capere integrum fuit. Lege enim cautum erat, ne qua patre aut ſevo aut liberto nata, aut quavis corporis labe deformis, aut annis vel ſex minor vel major decem legeretur; cui vero aut ſoror jam Veſtalis, aut pater Augur, Flamen, Salius, Septemvir Epulonum erat, illi oblatum ſacerdotium repudiare fas erat.

Simul ut in atrium Veſtæ deducta Veſtalis, illi cum a Senatu, tum a populo etiam univerſo & ſumma jura tribui, & honores eximii deferri ſolebant; ea tamen lege, ut & ignem ſacrum & virginitats florem illibatum conſervaret. Cavebant enim diligenter, ne ſacer ille ignis reſtingueretur; *ut ad ſimulacrum cœleſtium ſiderum*, inquit Florus, *cuſtos imperii flamma vigilaret*. Si quando tamen ſeu Veſtalis culpa, ſeu quovis alio caſu extinctus eſſet, alio igne quam cœleſti illum accendi nefas; puram enim & ſinceram e ſolis radiis flammam elicere noverant, qua ſopitus ille ignis excitaretur. Hæc vero ſingulis ſtata certaque lex fuit, triginta annis deæ ſacrario inſervire; primo decennio ceremonias, ritus, rationemque ſacrorum diſcere, ſequenti exercere, poſtremo docere alias: quo tempore fas erat poſitis ſacerdotii inſignibus, cui vellent, nubere; quod a perpaucis, nec læto vitæ exitu factum, memoriæ proditum eſt. IV. *Veſtalis munera.*

Si vero ſacer extinctus ignis eſſet, aut violatus pudor, Veſtalem certum ſupplicii genus manebat; aliud tamen, pro genere delicti, alio gravius. Si ſacer reſtinctus ignis, virgis cædi; ſi damnata inceſtus crimine, ſuffodi viva jubebatur. Erat ad portam Collinam caverna altius humi depreſſa & inculta tenebris, in qua ſtratus lectulus, ardens lucerna, ac ne rea continuo fame periret, panis, lac, oleum. Hunc in locum poſtquam demiſſa erat Veſtalis, V. *Pœnæ, ſi ignis extinctus.*

clauſumque oſtium, altum fuit illo die per totam Urbem ſilentium, ingenſque mœror. Ita Dionyſius & Plutarchus.

## CAPUT V.

*Potitii & Pinarii.*

I. *Potitii & Pinarii quando instituti.* DE Potitiorum & Pinariorum origine cum a Dionyſio, tum a Livio aliiſque Hiſtoricis hujuſmodi texitur ſeu hiſtoria, ſeu potius fabula. Simul ut Cacum ob amotas per fraudem boves clava occidit Hercules, Evander qui tum ea loca regebat, paſtorum clamoribus excitus accurrit, & formam habitumque viri aliquanto auguſtiorem humano intuens ab eo quænam facinoris cauſſa rogitat, quis eſſet, unde genus? Ubi vero nomen, patrem, patriamque accepit, continuo aram extrui jubet, & bove eximia ſacrum fieri, adhibitis ad miniſterium dapemque Potitiis & Pinariis; quæ tum familiæ maxime inclitæ ea loca incolebant. Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus præſto eſſent, Pinarii non item; inde inſtitutum manſit, donec Pinarium genus fuit, ne extis ſolennibus veſcerentur.

Potitii ab Evandro edocti hujus ſacri antiſtites per multas ætates fuerunt, donec anno ab Urbe condita 461. Potitia gens, cum auctore Appio Claudio Cenſore ſervos publicos miniſterii delegandi cauſſa ſolemnia ejus ſacris docuiſſet, intra annum, licet duodecim familias complecteretur, omni cum ſtirpe interiit; & Cenſor ipſe Appius haud multo poſt luminibus captus eſt. Hæc fere Livius l. 1. & 9.

# CAPUT VI.

## *Luperci.*

ALia alii de *Lupercalibus* tradunt auctores: ab Evandro ex Arcadia in Italiam translata volunt Dionyſius, Livius, & Plutarchus; a Romulo & Remo inſtituta propter factam ſibi ab avo Numitore Urbis in monte Palatino, ubi educati fuerunt, condendæ poteſtatem, tradit Valerius Maximus; a Romanis celebrata refert Ovidius ob beneficium a lupa Romanis præſtitum in educandis pueris Romulo & Remo, templumque ad vicum Ruminalem ab iis extructum teſtatur, quod *Lupercal* vocatum eſt. Quod *Lupercal* Romanis dictum eſt, *Lycæum* Græcis fuit; idem enim apud Græcos λύκος ſonat, quod apud Romanos *lupus*, ſive a lupis arcendis ne pecori nocerent vox illa deducta ſit, ſive a Lycæo Arcadiæ monte, ubi Pan præcipuo honore colebatur. I. *Luperci a quo inſtituti.*

II. *Illorum ſacrificia & feſta.*

Luperci canem immolabant vel in gratiam lupæ, a qua nutritus Romulus, vel in Panis honorem, cui canis ob fidelem armentorum curam gratus eſſet. Si tamen Servio credimus, *Lupercal* ſpelunca fuit ſub monte Palatino, in qua capro litabatur. Mos fuit, ut *Luperci* xv. Kalendas Martias (is enim dies *Lupercalibus* ſacer erat) rem divinam undi agerent, & per vicos urbis curſitantes ſcuticis e caprina pelle, cum obvios quoſque, tum præcipue mulieres ferirent, ut fœcundæ magis redderentur.

III. *In tres ſodalitates diviſi; quando ſublati,*

Lupercorum vero tres ſodalitates fuiſſe perhibentur, una *Fabiorum*, altera *Quintiliorum*, tertia *Juliorum*; illa jam inde ab Urbis primordiis inſtituta, hæc multo poſt in honorem Julii Cæſaris. Illis nomen a ſuis ducibus inditum eſt *Fabio* & *Quintilio*,

lio, quorum alter a Romuli, alter a Remi patribus ſteterat. Hæc ſacra, poſt cædem C. Cæſaris neglecta, ab Auguſto reſtituta ſunt, teſte Suetonio; & ad Anaſtaſii Imperatoris tempora, ut auctor eſt Onuphrius, Romæ permanſerunt.

## CAPUT II.

### *Libri Sibyllini, & Duumviri ſacris faciundis.*

I. *Quæ & quot Sibyllę fuerunt.* SIbyllæ apud Ethnicos deorum ſacerdotes ut plurimum fuiſſe perhibentur, quas virginitatis honos, & maxime prædictio futurorum poſteris commendavit. Afflatus divinus illis nomen fecit; Σιὸς enim, vox Æolica, idem plane valet quod Θεὸς Deus, & βȣλὴ idem quod conſilium: unde *Sibylla* quaſi Θεοβȣλὴ, hoc eſt, divini particeps conſilii, dicta eſt. Sibyillarum numerus alius ab aliis proditur. Unam agnovit Diodorus Siculus, cui nonnulli ſancti Patres ſubſcripſere; at de nomine non conſentiunt: ab aliis enim *Daphne* dicitur, ab aliis *Manto* Tireſiæ filia, quæ 27. annis ante Trojæ excidium direptis Thebis, ubi hactenus manſerat, Delphos ab Epigonis miſſa eſt. Duas inducit Martianus Capella, *Cumanam* & *Erythræam*; tres & Plinius & Solinus, *Delphicam*, *Erythræam* & *Cumanam*; at Lactantius, D. Auguſtinus, & alii plerique omnes, auctore M. Varrone, decem numerant: *Perſicam*, *Libycam*, *Delphicam*, *Cumæam*; *Erythræam*, *Samiam*, *Cumanam*, *Helleſponticam*, *Phrygiam*, *Tiburtinam*.

II. *Libri Sibyllini cui & a qua Sibyl. la oblati.* Quænam harum Sibyllarum Cumæa, an Erythræa, an Cumana potius libros Sibyllinos Romam detulerit; utri Tarquiniorum, Priſco an Superbo; illos vendiderit, incertum eſt. Priſco oblatos volunt Lactantius & Servius, Superbo Dionyſius & Gellius. In re igitur perobſcura, quod ſimilius vero mihi

hi viſum eſt, paucis accipe. Sibylla Cumana, in qua plerique conſentiunt, cui nomen vel *Amalthea* vel *Demophile* fuit, regnante Tarquinio Priſco (tempora enim magis congruunt) Romam appulit, Regique libros novem ex multarum Sibyllarum carminibum contextos obtulit, modo trecentos nummos ipſi ſolveret: deſpecta a Rege tres libros in ignem abjicit, deinde pro aliis idem iterum pretium poſcit, iterumque Rex ridere mulieris inſaniam; at illa continuo combuſſit librorum partem alteram, & tantundem pro reliquis petit. Tum mulieris pertinaciam Rex admiratus, ex Augurum conſilio & pretius perſolvi, & libros ſervari juſſit. A nobis Plinius in eo diſſentit, quod tres tantum libros oblatos Tarquinio, & duos a Sibylla exuſtos, & unum flammis ereptum velit.

III. *Dumviri creati, illorumque munera.*

Hos libros inter ſacra Romani Imperii Tarquinius haberi, & in Capitolini Jovis ſacrario ſub terram in area lapidea deponi voluit. Qui eos ſervarent creavit e patriciis *Duumviros*, quorum numerus anno Urbis 388. a C. Licinio & L. Sextio Tribunis ad decem eo auctus eſt ut eorum pars una e plebe, e partibus altera legeretur: quibus a L. Sylla anno 671. quinque additi: unde *quindecimviros ſacris faciundis* apud auctores paſſim legere eſt. Ad illorum munus pertinuit libros Sibyllinos cuſtodire, eoſque ex ſenatuſconſulto, ſi tumultu, ſi peſte Urbs laboraret, ſi ingens accepta clades, aut quid mali Imperio portenderetur, conſulere; tum quæ legiſſent, referre Senatui; ludos ſæculares, cæremonias, ſupplicationes, ſacrificia, & alia id genus, quæ libri Sibyllini præſcriberent, procurare.

IV. *Libri Sibyllini combuſti.*

Quo caſu libri Sibyllini perierint, affirmare non auſim; quid certi ab Hiſtoricis memoriæ proditum ſit, proferam: tuum eſto, lector, judicium. Anno Urbis 670. L. Scipione & C. Norbano Coſſ. cum Capitolium ſive oblato, ſive fortuito incendio de-

flagraſſet, una cum aliis donariis hos etiam libros flammis abſumtos affirmat Dionyſius, alii non meminerunt.

V. *Verſus Sibyllini undique quæſiti.* Reſtituto haud multo poſt a L. Sylla Capitolio, bis in varia loca miſſi ſunt, qui carmina Sibyllina undique colligerent. Primum anno 677. Erythras ex ſenatuſconſulto, Cn. Octavio & C. Curione Conſulibus, *P. Gabinius*, *M. Otacilius*, *L. Valerius*, qui (ut auctor eſt apud Lactantium Feneſtella) deſcriptos a privatis verſus circiter mille Roman retulerunt; deinde ab Auguſto miſſi legati Ilium, Erythras, Samum, & in Africam, & per colonias Italiæ, ut tradit Tacitus. Cum enim permulta Sibyllarum nomine ferrentur, quidquid erat fatidicorum librorum Græci Latinique generis, ſupra duo millia contracta undique, cremari, ac ſolos Sibyllinos, hoſque delectu per *Quindecimviros* habito (teſte Suetonio) duobus forulis auratis ſub Palatini Apollinis baſi ſervari voluit: tum alios e Capitolio in idem templum a Pontificibus deſcriptos, quia characteres exoleſcebant, deferri; cumque multo poſt ſub Aureliano templum Apollinis arſiſſet, a flammis illæſi ablati ſunt, ut referunt Flavius Vopiſcus & Ammianus Marcellinus. Anno tandem Chriſti 389. cum Theodoſius ſenior omnia deorum idola everit juſſiſſet, Stilicon, qui tum Italiæ præerat, carmina Sibyllina combuſſit.

## CAPUT VIII.

### *De Auguriis Auſpiciis, & Haruſpicina.*

I. *Quid Augurium.* Augurium quaſi *avigerium*, ut ait Feſtus, ab avium garritu dictum, quodvis omen fuit, quod vel ſubito & ex improviſo ſive domi ſive foris objiceretur, vel ritu aliquo ſolemni prænotatum, ex cantu volatuque avium aut pullorum tripudiis

futura

futura præſagiret. Auguriorum alia erant proſpera, alia adverſa & infauſta. Utrorumque alia *oblativa* dicta, quæ non poſcebantur; alia *impetrativa*, quæ optata accidebant: hæc aliis certiora habita ſunt, quod ſuſcitari divinitus putarentur.

II. *Augurii captandi ratio.* Captandi vero augurii hæc fere ratio fuit. Augur in ſaxo Tarpejo ſedebat, & ſereno puroque aere, lituo (inflexus in ſummo baculus erat) converſa in ortum facie, quatuor in cœlo deſignabat ſpatia, quæ *templa* dicta ſunt; ita ut antica ortum, occaſum poſtica, dextra meridiem, boream ſiniſtra reſpiceret. Deinde ea concipiebat animo, quæ ſigna mitti vellet, vultures, aut aquilas, aut columbas; poſt cæſæ victimæ, fuſæque ad deos preces. Tum Augur velato capite & duplici amictus toga, defixis in cœlum oculis circumſpicere, numquid alicunde prodiret: ſi avis objiceretur, annotare, huc an illuc tenderet; prono an ſupino motu corporis ferretur; qua in parte ſe occultaret, a dextra an a ſiniſtra canerent oſcines: nec ſatis fuit augurium unum vidiſſe, niſi altero ratum haberetur. Si vero diſſimilia duo viſa, prius poſteriori ſolutum eſt.

III. *Varia auguriorum genera.* Quinque fuerunt auguriorum genera, alia aliunde petita: primum e cœlo naſcebatur, ſecundum aves dabant, tertium pulli, quartum quadrupedes, quintum diræ movebant. E cœlo tonitrua & fulmina augurium dedere: quæ vero aut fauſta aut infauſta portenderent, ſigillatim perſequi infinitum ſit. Avium aliæ *oſcines* dictæ, quæ ore canentes facerent auſpicia, ut corvus, cornix, noctua; aliæ *præpetes*, quæ volatu, cujus generis fuerunt aquilæ, vultures, buteones.

IV. *Auſpicia ex pullis.* Hoc fere ritu captum de re gerenda per pullos augurium eſt. Summo mane imperatoque de more ſilentio, aut puls aut offa, recluſa cavea, objiciebatur pullis: qui ſi ad oblatam eſcam continuo non proſilirent, ſi illam diſſiparent alis, ſi illa relicta

vel

vel occinerent vel avolarent; tum omen infauſtum & timoris plenum. Si vero cum impetu involarent in eſcam & avide depaſcerentur, ita ut veſcentibus aliquid dilaberetur in terram, inde magna ſpes rei bene gerendæ.

V, *Ex quadrupedibus &c.* Quæſita etiam ex quadrupedibus, ut lupis, vulpibus, capris, aſinis, arietibus, leporibus, muſtellis, muribus auſpicia. Dirarum vero ea intellige, quæ præter morem in domibus, agris, corporibus &c. eveniunt; v. g. ſi lepus iter tranſverſo ſaltu dirimeret, ſi muſtella conſpecta aut ſerpens, ſi ſalinum, ſi poculum everſum, ſi mel a muribus corroſum, ſi cibus inter epulas prolapſus, ſi vinum effuſum, ſi voces ex occulto miſſæ vel reſponſi inſtar redditæ, & ejuſdem generis alia.

VI. *Haruſpices.* Haruſpices a victimis in ara inſpiciendis dicti ſunt. Illorum fuit & victimas, antequam jugularentur, conſiderare, & ubi diſſectæ erant, earum exta: præterea flammam quæ ex incenſis evolabat victimis, farinas ex quibus liba pinſebantur, denique thus, vina, & aquas. Si victima ductorem non ſponte ſequeretur, ſi profugiſſet, ſi elapſa ictum fefelliſſet, ſi jecur obſitum ulceribus puſtuliſve vel livore deforme vel duritie contractum, ſi cor palpitaret aut exiliret aut coiviſſet in rugas, ſi flamma vix multo flatu excitaretur vel in hiatum dehiſceret nec recto ductu surſum niteretur, ſi thus fœdum odorem mitteret &c. hæc vel offenſi vel alienati numinis indicia erant. Si vero victima ad aram ſponte accederet, ſi confoſſa copioſum effunderet cruorem, ſi jecur nativa ruberet purpura nec ulla labe fœdaretur, ſi cor ſolito grandius eſſet & pinguedine veſtitum, ſi flamma pura ac nitida nullaque infecta fuligine, ſi thus ſuffitum gratum cieret &c. læti ominis & faventis dei ſigna erant.

DIS-

# DISSERTATIO QVARTA.

## ROMANORUM FAMILIÆ.

UT Hiſtoriæ Romanæ ſtudioſis adoleſcentibus opera noſtra gratior ſit, & etiam utilior, non gentes omnes Romanas, quod infinitum ſit, hic perſequimur; ſed eas tantum, ſive patriciæ ſint ſive plebejæ, quæ vel militari gloria vel geſtis honoribus præ cæteris maxime floruerunt. Cum vero ante bella Punica Romana res aut anguſtis, aut iiſdem, quibus Italia, finibus clauderetur; & bellorum & ducum fama primum obſcurior fuit, poſtea illuſtrior. Quare familias, quæ ante illa tempora aut domi aut militiæ nobiles extiterunt, quam breviſſime fieri potuit, explicuimus; quæ aliquanto poſt orbis imperium patriæ ſuæ virtute bellica pepererunt, paulo uberius. Ac ne quid etiam illud haberet faſtidii, cum familiæ aliæ multos & pacis & belli artibus inſignes viros protulerint, aliæ unum alterumve tantum; illarum ſtemma integrum appoſitum eſt, harum vero non item, ſed clariſſimi quique, ſuo quiſque loco, appellati. Ne cui vero nominum ſimilitudo errorem objiciat, & annus, quo quiſque Conſul fuit, annotatus eſt, & præfixi numeri, qui continuam familiarum ſeriem indicent. In ſignandis Conſulum annis Faſtos conſulares, ut extant tum apud Sigonium tum apud Pighium, ſecuti ſumus. Quare nemo ſit, qui miretur, ſi a Glandorpio aliiſque nonnullis ſæpius diſſentiamus.

## CAPUT PRIMUM.

*Qui apud Romanos patricii, qui nobiles.*

I. *Patriciorum origo.* ROmanorum omnes tum gentes tum familiæ in quatuor claſſes tribui haud incommode poſſunt: aliæ enim, ſi genus ſpectemus, patriciæ fuerunt, aliæ plebejæ; ſi honores, aliæ nobiles, aliæ novæ. Primum de patriciis, deinde de nobilibus dicemus, de quibus tantum hic agimus.

II. *Qui patricii majorum minorum gentium.* Urbe condita, populum omnem duas in partes Romulus diviſit; unam divitum, qui *Patres*, eorumque poſteri *patricii* dicerentur; alteram tenuiorum, qui *plebeji*, ut illi pauperibus patroni, iſti optimatum clientes eſſent. Penes *patricios* ſacra, judicia, magiſtratus erant, totiuſque Reipublicæ ſumma: plebis vero fuit agrum colere, alere pecus, quæſtuoſis artibus operam dare, & alia id genus exercere opificia. Hæc prima, ut memoriæ proditum eſt, *patriciorum* origo.

At cum Romulus, Tarquinius Priſcus, & L. Brutus, alius alio tempore patricios allegerunt, qui *majorum gentium* dicendi ſint, qui *minorum*, Livium inter & Tacitum non convenit. Nam Livius quos Romulus adſcripſit, *majorum gentium*, quos Tarquinius, *minorum*, quos L. Brutus, *Patres conſcriptos* appellat. Tacitus vero vult omnes, tum a Romulo tum a Tarquinio allectos, *majorum gentium* fuiſſe; adſcitos vero a Bruto *minorum gentium* nuncupatos. Utri horum aſſentiri debeas, tute ipſe videris; ego certe affirmare non auſim.

III. *Quid inter civem Romanum & patricium interfuit.* Ex his facile quivis intelligat, multum inter civem Romanum & patricium interfuiſſe. Is enim civis erat, qui civitate donaretur; at non continuo patricius, niſi ab eo qui tum rerum potiretur, in hunc ordinem cooptatus eſſet. Nam Principis

cipis ſuit patriciorum numerum pro arbitrio vel explere vel augere: quod factitatum legimus primum a Tarquinio Priſco, tum a L. Bruto Conſule, multo poſt ab Auguſto; denique a Claudio, ut tradunt Livius, Suetonius, & Tacitus.

IV. *Qua ratione ex duabus unius gentis familiis una plebeja fuerit, altera patricia.*

Unum eſt, quod vel eruditis aliquando negotium faceſſere ſolet, cur ex duabus familiis ejuſdem nominis & gentis ſæpe altera *patricia*, *plebeja* altera fuerit; imo una eademque interdum familia modo *patricia*, modo *plebeja* dicatur? Qui id factum ſit, multi multas cauſſas afferunt, ex quibus tres potiſſimum apud Sigonium mihi probantur. Una eſt, quod ex *patricia* gente alii ad plebem ſe contulerint, alii in priſtina dignitate remanſerint. Contra vero e *plebeja* alii tranſierint ad *patricios*, alii non item; quod de gente Octavia prodidit Suetonius, quæ a Servio Tullio inter *patricios* allecta, ſe ad plebem aliquando poſt contulit, & C. Cæſaris opera ad *patricios* rediit. Altera, quod cum *plebejus* a *patricio*, tum *patricius* a *plebejo* adoptatus, illius qui ipſum adoptabat, conditionem ſequererur. Verbi gratia *M. Brutus* plebejus a *Q. Cæpione* patricio, & *P. Scipio* patricius a *Q. Metello* plebejo adoptatus eſt, uti jam diximus: quare ille *Brutorum* familiam ex *plebeja patriciam*, hic vero *Scipionum* familiam ex *patricia plebejam* reddidit. Tertia, quod ſi quis vel libertate vel civitate a patricio quopiam donaretur, is illius ſive domini ſive patroni nomen ferret gentilitium, patricium tamen honorem non obtineret: unde duæ propagabantur familiæ ejuſdem quidem nominis, at non ejuſdem dignitatis.

V. *Qui nobiles.*

Dum ſolis patriciis aditus ad honores patuit, iidem *nobiles* erant qui *patricii*; at ubi Romana res adolevit, plebi ſimul cum opibus animi ſpiritusque creverunt: tum enim ambire honores, magiſtratus petere, facere ſeceſſionem a Patribus, tumultus ſeditio-

ditioneſque in urbe excitare, donec illius pervicacia fracta Patrum conſtantia eſt, plebſque ad honores ea lege admiſſa, ut e Conſulibus alter e plebe, alter e patribus legeretur. Tunc tandem e populo bene multi aſſecuti Conſulatum, imperia, triumphos; *nobiles* haud aliter ac *patricii* haberi cœpti ſunt. Nobilitas enim nec genere nec omnibus honoribus, ſed iis tantum, qui curules eſſent, Conſulatu, Cenſura, & aliquot annis poſt Ædilitate majore parabatur. His muneribus qui defuncti erant, jus habebant imaginum; alii non item: nam qui magiſtratus curules geſſerant, illis ſui imaginem habere domi, poſteriſque relinquere fas erat; vetitum aliis. Unde colligere licet, eos fuiſſe *nobiles*, qui multas majorum ſuorum oſtentarent imagines; eos vero *homines novos*, qui cum nullas haberent, magiſtratus tamen curules vel e gente vel e familia ſua primi aſſequerentur.

## CAPUT II.

### *Gens Aemilia.*

I. *Familiæ gentis Æmiliæ.* SIve a *Mamerco* Pythagoræ filio, ſive ab *Aemilio* Æneæ nepote, ſive ab *Amulio* Albanorum rege gens *Aemilia* genus ſuum repetat (aliter enim aliis placet) a ſingulari certe aut oris venuſtate, aut ſermonis lepore *Aemilii* nomen invenit. Ea ſane patricia majorum gentium fuit, & ſummis ſemper perfuncta honoribus, ſeptemque potiſſimum familias complectitur: *Mamercos*, *Barbulas*, *Pappos*, *Regillos*, *Paulos Scauros Lepidos*. Aliæ enim, quas addit Onuphrius, obſcuriores ſunt. De quatuor, quas *primas* appellavi, familiis, quia vetuſtior earum memoria eſt, dicemus paucis, de aliis paulo uberius.

II. *Æmilii Mamerci.* *Aemilii Mamerci* ab anno Urbis 260. ad annum circiter 450. ſummos in Republica magiſtratus ade-

adepti ſunt. Multi Conſules, multi Tribuni militares conſulari poteſtate, nonnulli etiam Dictatores, & triumphi honore inſignes, quorum virtus in bellis adverſus Volſcos, Æquos, Fidenates, Sabinos, & Vejentes enituit. Aliis omnibus rerum geſtarum gloria longe præſtitit *Mam. Aemilius Mamercinus*, qui Tribunus militaris anno 325. deinde ter Dictator fuit; & ſemel atque iterum de Fidenatibus triumphavit. *Mamercorum* familia ab anno 450. per annos amplius ducentos jacuit, donec *Mam. Aemilius Livianus* anno 674. Conſul creatus eſt: illum enim ex *Mamercorum* familia multi fuiſſe ſuſpicantur. III.

*Barbulæ.* *Barbularum* nomen ab anno Urbis 430. ad an. 530. floruit. Quatuor potiſſimum memorantur, *Quintus Aemilius Barbula* Conſulatu duplici anno 436. & 442. triumphoque de Etruſcis clarus: cujus duo filii *Marcus* & *Lucius*, uterque Conſul; ille anno 468. hic 472. *Marcus* etiam Dictator fuit, *Lucius* de Tarentinis & Samnitibus triumphum egit. *Lucii* filius *Marcus* Conſul ponitur anno 523. IV.

*Pappi.* *Papporum* domus ab anno 430. ad 580. celebris admodum fuit, cujus princeps *Marcus* Dictator dictus eſt anno 432 filio tamen & uepoti virtute multo inferior: illi *Quintus*, huic *Lucius* nomen fuit; uterque Cenſor. Sed *Quintus*, bis cum Fabricio Conſul anno 471. & 475. Pyrrhi retudit impetus: *Lucius* vero Conſul anno 528. quadraginta Gallorum millia cecidit, de jiſque triumphavit. *Lucii* filius *Marcus* Curio fuit Maximus. Nepos *Lucius* Prætor Siciliam obtinuit. V.

*Regilli.* E *Regillis* unus perhibetur *Lucius* bellica laude inſignis, qui, victa ad Myoneſum Antiochi magni claſſe, Pretor triumphum navalem aſſecutus eſt. Illius quidem pater *Marcus Regillus* bello Punico ſecundo Conſul relatus eſt, ſed a Q. Fabio Cunctatore repudiatus, cum diceret alio Conſule contra Annibalem opus eſſe.

*Aemi-*

VI. *Pauli.* *Aemilios* omnes gloria militari *Pauli* longe ſuperarunt. Quatuor omnino fuerunt, duo *Marci*, totidem *Lucii;* Conſulatu omnes, *Lucii* triumphis etiam clariſſimi. *Marcus* Conſul cum eſſet anno 451. Magiſter equitum a Q. Fabio Rulliano dictus eſt; cujus filius *Marcus* Conſul anno 498. multas naves & Carthaginienſibus ademit, & naufragio amiſit. *Lucius* ex eo genitus duplicem Conſulatum geſſit pari fortitudine, ſed fortuna longe diſpari; nam in primo Conſulatu an. 534. triumphavit de Illyriis, in ſecundo an. 537. ad Cannas cecidit. Filiam habuit Æmiliam, quæ Africani majoris uxor; & filium *Lucium*, qui Æmilius ille Paulus duplici Conſulatu triumphis celeberrimus. Nam Prætor anno 564. de Hiſpania ulteriore, primum Conſul an. 571. de Liguribus, Conſul iterum an. 585. de Perſe triumphavit. Duas habuit uxores: ex prima, quæ Papyria fuit, duos ſuſcepit filios, totidemque filias. E filiis natu major in gentem *Fabiam*, minor in *Corneliam* adoptatus eſt: quare ille *Q. Fabius Maximus Aemilianus*, hic vero *P. Cornelius Scipio Aemilianus* dictus eſt. Filiarum altera *Q. Aelio Tuberoni* nupſit altera *M. Catoni* Cenſoris filio. Ex ſecunda uxore, quam ſenex duxerat, duos etiam genuerat filios; ſed eorum alter paulo ante patris de Perſe triumphum, alter paucis diebus poſt obiit.

VII. *Aemilii Scauri.* *Scaurorum* familia obſcura admodum fuit ab anno Urbis 563. quo *L. Aemilius Scaurus* ſub Æmilio Regillo contra Antiochum militaſſe fertur, ad annum 638. quo *M. Aemilius Scaurus* Conſulatum adeptus eſt, & aliquanto poſt Proconſul de Liguribus triumphum egit, & Cenſor ſtravit viam Æmiliam, diuque Senatus princeps in Urbe, ſi quis unquam civis, potuit plurimum. Ex *Cæcilia Metelli Pii* filia, quæ poſtea *L. Syllæ* nupſit, *Aemiliam* primum *Acilii Glabrionis*, tum *Pompeji Magni* uxorem ſuſcepit, duoſque filios: quorum alter, quod ſtationem Cimbro-

Cimbrorum metu deſeruiſſet, objurgatus a patre paulo durius, mortem ſibi conſcivit; alter *Marcus* ille *Scaurus* Ædilitate, ludorum apparatu, & theatri magnificentia notiſſimus, qui ex Prætura Sardiniam ſortitus, Sardorum accuſatione ſpe Conſulatus dejectus eſt. Ille ex *Mutia* a *Pompejo Magno* repudiata natus eſt *M. Scaurus*, qui poſt C. Cæſaris mortem primum ad *Brutum*, deinde ad *Sextum Pompejum*, poſt ad *Antoninum* fugit; eoque victo vitam ab Octavio obtinuit *Mutiæ* matris precibus. Illius filius fuit *Mam. Scaurus*, qui ſub Tiberio eloquentiæ & ingenii laude cum floreret, adulterii cum *Livia* inſimulatus, hortante *Sextia* conjuge ſibi cruentas manus intulit. *M. Scauri*, qui Senatus princeps fuit, indolem breviter deſcripſit Saluſtius in bello Jugurthino, his verbis. *Aemilius Scaurus homo nobilis, impiger, factioſus, avidus potentiæ, honorum, divitiarum: cæterum vitia ſua callide occultans.*

VIII. *Æmili Lepidi ſtirps prima.*

*Lepidorum* domum ad ſummos honores evexerunt *Lepidi* duo, quorum alter alterius nepos fuit. Utrumque *Marcus* dictus, & bis Conſul, avus anno 521. & 533. nepos 565. & 578. hic præterea de Liguribus triumpho nobilis; Pontifex Maximus, Cenſor, princeps Senatus, miſſuſque in Ægyptum, ut tutorio nomine pupilli regnum adminiſtraret. Ab eo propagatæ ſunt duæ *Lepidorum* familiæ, quorum ex altera fuerunt *M. Lepidus Porcina* a Vacceis victus, & *Lepidus Livianus*, aliique aliis temporibus Conſules, quorum continua ſeries ex Hiſtoricis colligi vix poteſt.

IX. *Altera, ex qua Triumvir.*

Stirpis alterius princeps fuit *Marcus* ille *Lepidus* qui Tribunus militum Romanis de Antiocho victoriam virtute ſua peperit. Illius filius *M. Lepidus* cum *L. Oreſte* Conſul anno 627. quartos ludos ſæculares celebravit. Ex eo natus *M. Lepidus*, qui *Pompeji* ope adeptus Conſulatum, acta *Syllæ* cum reſcindere vellet, anno 675. a Collega

*Q. Catulo* Urbe pulſus, in Sardinia, quo fugerat, deceſſit. Ambo illius filii *Lucius* & *Marcus* C. Cæſaris partes ſecuti; hic prætorius, ille jam conſularis: at *Marcus* a Cæſare primum Magiſter equitum, deinde Conſul anno 707. factus poſt illius cædem & Pontifex Maximus fuit, & Triumvir cum Octavio & Antonio; copiis tamen aliquanto poſt ſpoliatus ab Octavio, Circejos relegatus eſt. Multo etiam triſtior *M. Lepidi*, quem *Junia* M. Bruti ſoror illi pepererat, exitus fuit; nam infenſus Auguſto cum novis rebus ſtuderet, a Mæcenate oppreſſus eſt.

X. *L. Lepidi qui Triumviri frater fuit, familia.*

*L. Aemilius Paulus*, *Marci* Triumviri frater, varia etiam fortuna uſus eſt; geſto enim Conſulatu anno 703. proſcriptus a fratre Triumviro, quem hoſtem patriæ dixerat, fugit ad Brutum, deinde Miletum seceſſit, unde aliquot annis poſt ab Auguſto revocatus, Cenſor lectus eſt. Ex *Cornelia* P. Scipionis Naſicæ & Scriboniæ, quæ poſtea Auguſto nupſit, filia *M. Lepidum* & *L. Paulum* ſuſcepit. Ambo Conſules fuerunt, illi anno 758. hic 753. Neutri filius natus eſt, ſed utrique filia. *Aemilia Lepida*, quæ *Marci* fuit, *Druſo* Germanici filio; quæ vero *Lucii*, *Ap. Junio Syllano* nupſit.

## CAPUT III.

### *Gens Antonia.*

*Antoniorum familia patricia.*

*Antoniorum* familia duplex, alter patricia, plebeja altera. Patriciæ *Merenda* cognomen fuit; plebejæ nullum. Plebeja recentior quidem, ſed geſtis honoribus multo illuſtrior. Nam e patricia duo tantum memorantur, quorum alter *T. Antonius Merenda*, qui Decemvir cum Ap. Claudio anno 303. ob affectatam tyrannidem cum collegis Urbe pulſus eſt; alter *Q. Antonius Merenda* Tribunus militaris

anno 331. An tum hæc familia deſierit, an ſe contulerit ad plebem, obſcurum eſt.

E plebeja tres quatuorve ante Antonii oratoris ætatem produntur a Livio. *M. Antonius* Magiſter equitum a P. Cornelio Rufino dictus anno 419. & multo poſt *Quintus* & *Aulus Antonii*: quorum ille L. Æmilii Regilli Prætoris contra Antiochum; hic L. Æmilii Pauli Conſulis contra Perſen legatus fuit. Ætate etiam ſuppar illis fuit *M. Antonius* Prætor. Ab iis prognatusne ſit *Antonius* orator, an ſecus, incertum eſt. Cum tamen a nemine, quod ſciam, novus homo dicatur ab iis *Antoniis* traxiſſe originem, non temere dixerim: in re enim dubia conjectura uti licet. II. *Plebeja.*

*M. Antonius*, orator ille a Cicerone tantopere laudatus, fuit prudentia & eloquentia ſingulari; nec militaris etiam ſcientiæ rudis. Nam ex Conſulatu anno 654. Ciliciam ſortitus tam feliciter rem geſſit, ut cum triumpho redierit. Cenſor haud multo poſt factus eſt, & in bello civili juſſu Marii cæſus, duos reliquit filios *M. Antonium* & *C. Antonium*, qui famoſi quidem rebus geſtis fuere, virtute tamen parenti longe inferiores. *Marcus* enim, curationem nactus rei frumentariæ, maris imperium obtinuit: ſed bello Cretenſibus illato victus eſt, cujus dedecoris impatiens mœrore obiit: unde *Cretici* cognomen illi, non honoris, ſed ludibrii cauſſa, inditum eſt. *Cajus* vero nihilo fratre felicior, Syllæ partes ſecutus poſt victoriam, cum Achajam ſpoliaſſet, a Cenſoribus Senatu motus eſt; reſtitutus tamen aliquanto poſt cum Cicerone & Prætor & Conſul fuit anno 690. oppreſſoque per Petrejum legatum Catilina, Macedoniam Proconſul ſortitus eſt; ſed victus a Dardanis, amiſſo exercitu, provinciaque temere habita, accuſante M. Cælio damnatus, apud Cephalonios 15. annis exulavit; donec occiſo Cæſare, a M. Antonio Conſule fratris filio re- III. *Antonii oratoris filii.*

vocatus paulo poſt obiit. Filiam ejus *Antoniam* M. Antonius uxorem duxerat; ſed quaſi a Dolabella corruptam, patre etiam tum ſuperſtite, dimiſit.

IV. *Antonii Triumviri fratres & geſta.* *M. Antonio* Cretico oratoris filio duæ uxores fuerunt, *Numitoria*, & *Julia* L. Cæſaris, qui Conſul in bello ſociali Samnites vicit, filia; quæ deinde poſt mariti mortem nupſit P. Cornelio Lentulo, qui ob Catilinæ conjurationem in carcere necatus eſt. *Antonius* ex *Numitoria* nullos liberos ſuſtulit; ex *Julia* filios tres, *Marcum*, *Cajum*, & *Lucium Antonios*. *M. Antonius* & in Syria ſub Gabinio meruit, & in Gallia ſub C. Cæſare, a quo in diſſenſione civili primum Magiſter equitum, deinde Conſul anno 709. creatus eſt; cujus cædem ulturus, Triumviratum cum Octavio & Lepido aſſumſit. Sex bella vario eventu geſſit; tria civilia, *Mutinenſe* contra Rempublicam, *Philippenſe* contra Brutum & Caſſium, *Actiacum* contra Octavium: tria item externa, *Armeniacum* contra Armeniæ Regem, *Syriacum* & *Parthicum* adverſus Parthos. *In Philippenſi Syriaco* & *Armeniaco* victor, in *Mutinenſi Parthico* & *Actiaco* victus, Alexandriæ victoris Octavii metu ſe gladio transfixit. Fratrum *Caji* & *Lucii* aut triſtior aut obſcurior exitus fuit; quorum ille miſſus in Macedoniam Bruti juſſu cæſus eſt, hic vero poſt triumphum de Alpinis gentibus, & bellum Peruſinum cujus auctor fuerat, incerto mortis genere periit.

V. *Uxores & liberi* *M. Antonius* Triumvir habuit uxores quinque, *Fadiam*, *Antoniam* C. Antonii avunculi filiam, Caninii Galli antea uxorem, *Fulviam* quæ prius & P. Clodio & C. Curioni nupſerat, *Octaviam* Octavii Cæſaris ſororem, quæ jam ex C. Marcello *Marcellum* & duas *Marcellas* pepererat, & *Cleopatram* Ptolemæi Auletis filiam, Reginam Ægypti. Ex *Fadia* nullos, quod ſciam, ſuſcepit liberos; nullos etiam ex *Antonia*. Ex *Fulvia* duos filios, *M.*

*Anto-*

*Antonium* qui Octavii juſſu Alexandriæ necatus eſt, & *M. Julium Antonium*. Ex *Octavia* duas *Antonias*, quarum major nupſit Druſo Liviæ filio, privigno Auguſti; minor L. Domitio Ænobarbo. Major ex Druſo *Grrmanicum*; minor ex Domitio *Cn. Domitium* Neronis Imperatoris patrem genuit. Ex *Cleopatra* mares duos, *Alexandrum* & *Ptolemæum*, fœminam unam *Cleopatram* ſuſtulit, quæ ab Octavio Jubæ juniori Mauritaniæ Regi uxor data eſt. Quid de *Alexandro* & *Ptolemæo* poſt Octavii triumphum factum ſit, memoriæ non eſt proditum.

*M. Julius Antonius*, Triumviri & *Fulviæ* filius, ab Auguſto non vita ſolum & libertate, ſed Sacerdotio etiam, Prætura, & Conſulatu an. 743. donatus, admiſſi cum Julia adulterii pœnas voluntaria morte luit, cum jam ex *Marcella* Auguſti nepte ſuſcepiſſet *L. Julium Antonium*, qui paulo poſt ab Auguſto ſtudiorum cauſſa, ut tum ferebatur, ſed reipſa in exilium miſſus eſt Maſſiliam, ubi ſub Tiberio anno 776. interiit, & cum eo tota *Antoniorum* familia. IV. *de Quanit interi ipſius familia*.

# CAPUT IV.

## *Gens Aurelia*.

GEns *Aurelia* plebeja quidem, at nobilis, tribus cognominibus diſtincta fuit, *Cottarum*, *Oreſtarum*, & *Scaurorum*. E Scauris unus *M. Aurelius Scaurus* Conſulatum adeptus eſt anno 654. & paulo poſt in Caſſii Conſulis exercitu legatus a Cimbris cæſus eſt. Ex Oreſtarum familia tres in Faſtis Conſules numerantur, quibus omnibus *Lucii* prænomen fuit. Unus anno 596; alter is, qui anno 627. ludos ſæculares quartum celebravit; tertius anno 650. in Conſulatu mortuus. I. *Gentes Aureliæ tres familiæ, Cotiæ, Scauri, & Oreſtæ*.

*Cottarum tres familiæ, prima & ſecunda,*

II. *Cottarum* domus, quæ a Sabinis, ut *Aurelii* cæteri, originem, *ἀπο τȣ̃ κοτȣ ab ira Cottæ* nomen invenit, ab anno 500. ad Neronis uſque tempora cum ingenii laude, tum ſummis floruit honoribus. Mihi quidem ſi conjicere liceat, triplex *Cottarum* familia fuiſſe videtur, affirmare tamen non auſim; quarum uni *Cajus*, alteri *Lucius*, tertiæ *Marcus* prænomen ut plurimum adhæſerit. Ex prima Conſules duo, totidem ex ſecunda, ex tertia quinque recenſentur. Ex prima *C. Cotta* duplici Conſulatu anno 501. & 505. Cenſura & triumpho de Pœnis & Siculis nobilis; illiuſque nepos C. *Cotta* Conſul 553. Ex ſecunda duo *Lucii Cottæ*, pater & filius, ille anno 606. hic 634. Ille ne Hiſpaniam Proconſul obtineret, a Scipione Æmiliano prohibitus; hic Galliam ſortitus, quid geſſerit, incertum.

*Tertia.*

III. Tertiæ familiæ, ut opinor, princeps fuit L. *Marcus* ille *Cotta*, qui a C. Carbone in exilium pulſus eſt, cujus filius tum pietate in patrem, tum liberorum amplitudine clarus extitit; nam eo die, quo togam virilem ſumſit, Carbonem accuſaſſe dicitur: ex *Rutila* genuit *Aureliam* C. Cæſaris matrem, treſque filios *Cajum*, *Marcum* & *Lucium*, ingenio & eloquentia paciſque artibus prope pares, bellica verò laude non item. Nam *Cajo* ob res in Gallia fortiter geſtas poſt Conſulatum anno 679. honor triumphi delatus erat; ſed morte repentina paulo ante triumphum obiit. *Marcus* L. Luculli anno 679. in Conſulatu collega a Mithridate ad Chalcedonem turpiter victus fugatuſque eſt. Lucius vero Prætor judicia Senatui, equitibus, & Tribunis ærarii communicavit; haud multo poſt Conſul an. 688. & continuo Cenſor, ad bellum uſque Mutinenſe vixit. C. *Cottam*, qui cum ætate, tum militari & forenſi gloria fratribus paulo ſuperior fuit, in libris de Oratore & de Natura Deorum loquentem inducit Cicero. A filio *Lucii*, ut eſt

conje-

conjectura, id enim obſcurum eſt, in gentem *Aureliam* adoptatus eſt. *L. Aurelius Cotta Meſſalinus*, M. Mæſsalæ oratoris filius, qui Conſul anno 756. fuiſſe, & ſæviſſimæ cujuſque ſententiæ auctor dicitur. Illius tum filio tum nepoti *Marcus* nomen fuit. Illi Conſulatum anno 772. Tiberius; huic bonis diſſipatis annuam penſionem Nero dedit.

## CAPUT V.

### *Gens Cæcilia.*

CAecilios alii a *Cæculo* Vulcani filio, qui Preneſte condidit; alii a *Cacade* Æneæ com te prognatos volunt. Ut ut eſt, illi *Cæcilii* nomen (quæ ſententia verior eſt) ab oculorum parvitate; *Metelli* vero a voce militari, quæ mercenarium ſignificat, inditum eſt. Haud ſcio an ulla gens, ſi Corneliam exceperis, Cæciliæ par fuerit rerum geſtarum ſplendore. Nullam certe reperias tot cognominibus devictarum a ſe gentium nobilitatam: fuerunt enim *Cęcilii Macedonicus Numidicus*, *Dalmaticus*, *Balearicus*, & *Creticus*; hoc tamen pluribus inferior, quod non patricia, ſed plebeja fuerit. I. *Cæciliæ gentis decora.*

II. *Familia L. Metelli qui Pœnos vicit.* Conſulatum ex hac gente primus obtinuit an. 469. *Lucius Cæcilius Metellus*, cujus filius *L. Metellus* duplici Conſulatu an. 502. & 506. Magiſterio equitum, Dictatura, Pontificatu Maximo, triumpho de Pœnis, in deos pietate clariſſimus extitit. Nam 13. hoſtium duces ante currum vinctos, & 120. elephantos in triumpho duxiſſe fertur, oculoſque, dum ſacra Veſtæ medios per ignes auferret, amiſiſſe: quare illi conceſſum, ut quoties iret in Senatum, curru veheretur. Tres habuit filios, *Quintum*, *Lucium*, & *Marcum*, gloria inter ſe longe diſpares. *Lucio* enim, quod poſt cladem Cannenſem deſerendæ Italiæ auctor fuiſſet, infamiæ nota

inulta eſt. *Marcus* non ultra Præturam adſcendit. *Quintus* vero dignitate patris prope par, Conſul fuit anno 547., Magiſter equitum, Dictator & Pontifex Maximus, in eoque patre ſuperior, quod ex duobus quos ſuſceperat filiis, *Q. Macedonico* & *L. Calvo*, duæ *Metellorum* familiæ propagatæ ſint.

*Q. Metellus*, qui Prætor ex domita Macedonia,
III. victoque Pſeudophilippo *Macedonici* cognomen &
*Q. Metelli Macedonici.* triumphum retulit, & Achæos prælio fudit, Conſul anno 610. Celtiberos etiam domuit; aliquanto poſt Cenſor a Scipione Æmiliano diſſenſit ſæpius: idque illi ſingulare fuit, ut mortuus efferretur a quatuor filiis, ex quibus unus jam triumphalis, tres conſulares erant. Sex enim liberos genuit, mares quatuor, duas fœminas; quarum altera P. Servilii Iſaurici, altera P. Scipionis qui in exilio periit, mater extitit. Filii fuerunt *Q. Metellus Balearicus*, *Lucius Metellus Dalmaticus*, *M. Metellus*, &. *C. Caprarius* ob ingenii tarditatem *Metellus* dictus. Conſules omnes alii alio tempore. *Marco* & *Cajo* vel nulli vel non admodum illuſtres liberi nati ſunt; quare de illis nihil dicemus. Sed primum de *Quinto*, tum de *Lucio*, denique de *L. Calvo Macedonici* fratre eorumque poſteris agemus breviter. Unum eſt tamen, quod te monitum velim, *Marcum* & *Cajum* non Conſules tantum fuiſſe, ſed etiam triumphales. Eodem enim die uterque cum Conſulatum geſſiſſet anno 638. de Sardis; hic etiam tum Conſul anno 640. de Thracibus triumphavit.

*Q. Metellus*, Conſulatu anno 630, Cenſura,
IV. de Balearibus triumpho, & Balearici nomine inſi-
*Q. Metelli Balearici.* gnis, duos filios genuit. Utrumque *Quintus* dictus eſt; ſed alteri ob celeritatem, qua munus gladiatorium paucis poſt patris obitum diebus dedit, *Celeris*, alteri ob diſſipatam rem familiarem *Nepotis*

cogno-

cognomen adhæſit : hic tamen Conſul fuit anno 655. ille non item. Utrique filius natus; alter *Q. Metellus Nepos*, alter *Q. Metellus Celer* a patris prænomine & cognomine vulgo nuncupatus : ille Conſul *696.* Ciceronem exulem Romam revocari curavit, hic Prætor Ciceronem Conſulem ad opprimendum Catilinam enixe juvit; biennio poſt Conſul *693.* ab uxore Clodia ut fama fuit veneno ſublatus interiit.

V. *L. Metelli Dalmatici.*

*L. Metellus Dalmaticus*, itidem ut frater *Balearicus*, Conſulatu anno *634.* Cenſura, Triumpho, gentiſque devictæ cognomine enituit. Illius filii *Quintus* & *Lucius* Conſules etiam fuerunt : ille anno *684.* hic *685.* Sed *Lucius* in Conſulatu mortuus, *Quintus* vero in bello Piratico tam feliciter contra Cretenſes bellum geſſit, etiamſi ipſi Pompejus adverſaretur, ut iis domitis & triumphum & *Cretici* cognomen reportarit. *Cæcilia* ejus filia M. Craſſo diviti nupſit. Ab ejus filio, qui Tribunus plebis fuit, Craſſo ſecundum Conſule adoptatus eſt, niſi falſus ſum. *Quintus* ille *Metellus Creticus Silanus*, qui ſub Auguſto Conſul anno *759.* ponitur.

IV. *Q. Metelli Numidici.*

*L. Metelli Calvi*, qui *Macedonici* frater erat, familia ſummis etiam effulſit honoribus; nam & ipſe Conſul fuit anno *611.* & filiam habuit *Cæciliam* L. Luculli matrem, & duos filios *Lucium* & *Quintum*, ambos Conſules, illum anno *634.* hunc anno *644.* *Lucius* etiam ſummo Pontificatu; *Quintus* vero victoriis & triumpho de Jugurtha, C. Marini & Saturnini odio, exilio, reditu, cenſura celeberrimus extitit. Nec minor gloria illius filii, *Q. Metelli*, qui a pietate in patrem, quem precibus & lacrymis ab exilio revocavit, *Pius* dictus eſt. Nam Prætor Q. Poppedium Marſorum ducem interfecit : Proconſul Sertorium vicit, Conſul una cum Sylla *Dictatore* anno *673.* fuit, Cenſor, Pontifex Maximus, opibus, magnificentia, affinitatibus civis clariſſimus :

illius

illius enim filia *Cæcilia* duobus viris, qui tum poterant plurimum, primum M. Scauro Senatus principi, deinde L. Syllæ paulo poſt Dictatori nupſit; ipſeque cum prole maſcula careret, adoptavit *P. Scipionem Naſicam*, qui Pompeji Magni ſocer in Africa periit, & vulgo *Q. Metellus Pius Scipio* appellatur.

## CAPUT VI.

### *Gens Calphurnia.*

I. *Calphurnii, Flammæ, & Bibuli.* C*Alphurnii* ſive *Calpurnii*, licet plebeji, a *Calpo* Numæ Pompilii filio originem repetebant. Eorum alii *Piſones*, alii *Bibuli*, alii *Flammæ* dicti ſunt. E *Piſonibus* Conſules multi numerantur, unus e *Bibulis*, e *Flammis* nullus. Illi Bibulo *Marcus* prænomen fuit; qui anno 694. C. Cæſaris in Conſulatu collega adeo nihil poterat, ut per jocum diceretur *Cajo & Cæſare Conſulibus*. Cenſor tamen aliquando poſt creatus eſt, fidelemque Pompejo contra Cæſarem navavit operam.

II. *Piſones, Cæſonini.* Ut *Calphurniorum*, ita *Piſonum* diverſa fuerunt cognomina: illis enim *Cæſonini*, aliis *Frugi*, aliis *Beſteæ*, aliis vero *Piſonis* tantum cognomen adhæſit. Familia omnium nobiliſſima *Cæſoninorum* fuit, ex quibus *Beſteæ*, & ut ſuſpicor, *Frugi* etiam propagati ſunt. C. *Piſo* Conſul anno 573. duos filios habuit, *L. Cæſonium* & *Q. Piſonem*, quorum alter Conſul fuit anno 681. alter 618. Ex *Quinto* nulli liberi; ex *L. Cæſonino* duo filii nati ſunt, *L. Piſo Cæſoninus* Conſul anno 641. & *L. Piſo Beſtea* Conſul anno 642. Ille poſt Conſulatum cum L. Caſſio, cujus legatus erat, a Tigurinis cæſus eſt; hic in Jugurtham bellum acriter aggreſſus, multas urbes pugnando cœpit: ſed paulo poſt pecunia (ut tum fama fuit) corruptus, cum hoſte pacem iniit. *Lucii*

*Pi-*

*Piſonis* ex filio nepos fuit *Lucius* ille *Piſo Cæſoninus* qui una cum Gabinio Conſul anno 695. Ciceronem a Clodio Urbe pelli non ægre paſſus eſt; quare in eum etiam nunc extat elegans illa Ciceronis oratio, quæ *in Piſonem* inſcribitur. Ejus liberi multum in Urbe potuerunt: nam filia *Calpurnia* C. Cæſari paulo poſt Dictatori nupſit; filius *L. Piſo* & Conſul anno 739. & Pontifex, & Præfectus urbis per annos viginti, ad cujus filios Horatius aureum de *Arte Poetica* libellum inſcripſit: niſi malis aſſentiri aliis, qui Præfectum illum urbis, non ex *Cæſonini*, ſed ex *Frugi* familia oriundum volunt. Ut ut eſt, illius ſeu filius ſeu nepos, Conſul etiam anno 809.

Ex ſtripe *Frugi* Conſul unus anno 620. perhibetur *L. piſo*, qui & *Frugi* cognomen ex ſingulari continentia invenit, & bellum ſervorum confecit in Sicilia. Ex illa vero *Piſonum* familia, quæ nullum aliud cognomen adſcivit, erant tum *Cn. Piſo* Conſul anno 614. illiuſque, ut opinor, nepotes C. *Piſo*, qui anno 686. legem de ambitu tulit; & *M. Pupius Piſo* Conſul 692. tum *Cn. Piſo*, qui Pompejanas partes in Africa ſecutus, ab Auguſto tamen Conſul an. 730. dictus eſt: cujus ambo filii Conſules fuerunt, *Lucius* anno 752. *Cn. Piſo* 746. Tiberii in Conſulatu collega, & aliquanto poſt Syriæ ab eo præfectus Germanicum, ut perhibent, veneno ſuſtulit. Illius tamen filius, mutato *Cneji* nomine in *Lucium*, anno 779. aſſecutus eſt Conſulatum. Duorum *Piſonum Beſteæ*, & Præfecti urbis mores deſcripſerunt Salluſtius & Vellejus, alter alterius: ille *Beſteæ*, hic Præfecti urbis, uterque breviter. Salluſtii de *Beſtea* hæc verba ſunt. *In Conſule noſtro multæ bonæque artes animi & corporis erant, quas omnes avaritia præpediebat. Patiens laborum, acri ingenio, ſatis providens, belli haud ignarus, firmiſſimus contra pericula & inſidias*. De *L.* vero *Piſone*

III. *Calphurnii, Frugi & Piſones.*

urbis

urbis Præfecto ita Vellejus l. 2. *De quo viro hoc omnibus ſentiendum ac prædicandum eſt, eſſe mores ejus vigore ac lenitate mixtiſſimos; & vix quemquam reperiri poſſe, qui otium aut validius diligat, aut facilius ſufficiat negotio, & magis quæ agenda ſunt, curet, ſine ulla oſtentatione agendi.*

## CAPUT VII.

### *Gens Claudia patricia.*

I. *Claudiorũ gens duplex.* CLaudiorum duæ gentes Romæ fuerunt, quibus diſpar quidem genus, ſed par gloria: nam altera patricia fuit, plebeja altera; at utraque viris domi militiæque inclytis admodum fœcunda. Primum de patricia, tum de plebeja paucis dicemus.

II. *Patriciæ origo & familiæ* *Accius Clauſus Sabinus*, cui poſtea *Ap. Claudio* nomen fuit, ſex circiter annos poſt exactos Reges Regillis Romam cum profugiſſet, & inter patricios allectus eſt, & multis cum ipſe decoratus honoribus, tum ipſius poſteri 28. Conſulatibus, Dictaturis 5, Cenſuris 7, triumphis 6, ovationibus 2. claruiſſe dicuntur. Primum *Regillenſes*, deinde *Craſſi*, denique (ubi gentis in tres familias ab Ap. Cœci liberis divortium factum eſt) alii *Claudii pulchri*, alii *Nerones*, alii *Centhones* vulgo nuncupati ſunt.

III. *Appii Claudii.* *Ap. Claudio* gentis principi, qui Conſul fuerat annos 258. duo filii nati ſunt, *Appius* & *Cajus*, uterque Conſul, ille anno 202. hic 203. *Appius*, plebi itidem ut pater infeſtus, exercitum quod pugnare detrectaſſet, cæſis Centurionibus, ſorte decimavit; filiumque habuit *Appium* illum, qui anno 302. Decemvir, cum & principatum affectaret, & Virginiam virginem a patre abducere conaretur, conjectus in carcerem ſibi mortem conſcivit. Illius filius Tribunus militaris anno 329; nepos Dictator Hernicos vicit; pronepos Conſul, omnes

*Appii:*

*Appii*: abnepos vero *C. Claudius* Dictator 416. qui tres ſuſcepit liberos, *Claudiam* Veſtalem & duos *Appios*. Natu majori *Craſſi* & *Cæci*, natu minori *Caudicis* cognomen fuit, quod Conſul anno 489. Mamertinis auxilio miſſus parvis naviculis exercitum in Siciliam traduxerit. De Pœnis & Hierone tum victoria tum triumpho, poſtea Cenſura clarus extitit.

Major tamen gloria fuit fratris *Ap. Craſſi* ſive *Cæci*, qui bis Conſul an. 447. & 457, ſemel Dictator, Sabinos, Samnites, & Etruſcos ſæpe vicit: per quinquennium Cenſor ad Brunduſium uſque viam Appiam ſtravit, & ſenex & cœcus turpiſſimas pacis cum Pyrrho conditiones diſcuſſit, quatuorque filios genuit, *Ap. Claudium Craſſum*, *P. Pulchrum*, *C. Centhonem*, & *Tib. Neronem*. An *Ap. Craſſus* Conſul anno 485. prolem maſculam reliquerit, obſcurum eſt: alii certe cognomina ſua in tres nobiliſſimas familias propagarunt, cum e *Centhonibus* duo tantum hujus nepos & pronepos *Cajus* & *Appius*, ille Conſulatu anno 513. Cenſura & Dictatura inſignis, hic Prætura & ovatione de Celtiberis. De his addemus nihil; nunc de *Pulchris*, poſt de *Neronibus* agemus. IV. *Claudii Craſſi.*

*P. Claudius Pulcher Ap. Cæci* filius Conſul anno 504. cum contra auſpicia pugnaſſet, a Pœnis victus eſt. Natus ex eo *Ap. Pulcher* Conſul anno 541. tres filios habuit, *Appium*, *Publium*, & *Cajum*. Omnes Conſules fuerunt, primus anno 568. alter anno 569. tertius anno 576. qui poſt Conſulatum de Liguribus triumphum & Cenſuram obtinuit. Primum *Appii*, tum *Caji* poſteros perſequemur: *Publio* enim nulla proles fuit. V. *Claudii Pulchri.*

*Appii* filius item *Ap. Pulcher* Conſulatu 610. triumpho de Salaſſis (gens erat Alpina) Cenſura & Senatus principatu enituit. Illius quidem filia Tib. Graccho viro clariſſimo nupſit; at ex ejus nepotibus

nullus

nullus Conſulatum adeptus eſt. Ejus pronepos *Livius Druſus Claudianus* per adoptionem inſertus *Liviorum* familiæ avus fuit *Liviæ*, quæ primum Tib. Neronis, deinde Auguſti uxor extitit.

VI. *Claudii Tribuni plebis familia.* C. *Claudii* filio & nepoti *Cajus* prænomen fuit, uterque Conſul, alter anno 623. alter anno 661. Hic duos habuit filios *Appium* & *Cajum*, qui Prætor a Spartaco victus eſt. *Appius* Conſul anno 674. tres mares totidemque fœminas ſuſtulit, *Appium*, *Cajum*, & *Publium*. *Appius* ex Conſulatu anno 699. Ciliciam anno ante Ciceronem ſortitus, Cenſuramque geſſit cum L. Piſone. *Publius* ſeditioſus ille Tribunus Ciceronem urbe expulit, & a Milone cæſus eſt. Duæ ex iis *Clodiæ* natæ ſunt, quarum altera, quæ *Appii* filia erat, Cn. Pompejo Magni filio nupſerat, altera, quæ *Publii*, C. Cæſari Octaviano deſponſata fuit. *Cajus* eorum frater præter Tribunatum nullos honores geſſiſſe legitur. Sed filiorum alter *Sextus*, cum a partibus Antonii ſtetiſſet, Conſul anno 715. fuiſſe perhibetur. De *P. Clodio* Tribuno plebis hæc breviter Vellejus l. 2. *P. Clodius homo nobilis, diſertus, audax, qui neque dicendi neque faciendi ullum, niſi quem vellet, noſſet modum, malorum propoſitorum executor acerrimus.*

VII. *Claudii Nerones.* *Tib. Claudius Nero Ap. Cæci* filius duos ſuſcepit liberos, *Tiberium* & *Publium*. Hujus filius Conſul anno 551; nepos & pronepos Prætores; omnes *Tiberii* dicti. Ex *Tiberio Ap. Cæci* nepote natus eſt *Cajus* ille *Nero*, qui Conſul anno 546. cum Livio Salinatore Aſdrubalem fratrem Annibalis ad Metaurum flumen cum exercitu cecidit, copiaſque Annibalis ſemel atque iterum fudit, Cenſuramque aliquanto poſt geſſit cum eodem Livio. Ex illius nepotibus nullus Conſul fuit, Prætorii duo. Abnepos *Tib. Nero*, Quæſtor C. Cæſaris in bello Alexandrino, ex *Livia* procreavit *Tiberium* poſtea Impera-

peratorem & *Druſum Germanicum*, de quibus in gente Julia.

## CAPUT VIII.

### *Gens Claudia plebeja.*

HUic genti haud immerito *Marcelli* cognomen quaſi *Marci* inditum eſt: laude enim bellica maxime floruit. *M. Claudius Marcellus* Conſul anno 422. & aliquanto poſt Dictator, pater fuit *M. Marcelli* Conſulis anno 466, cujus ex filio *Marco* Ædili nepos fuit *Marcus* ille *Marcellus*, qui Conſulatibus quinque anno 531. 538. 539. 543. & 545. cæſo Virdumaro Gallorum Rege, opimis ſpoliis Jovi Feretrio conſecratis, de Gallis, Inſubribus, & Germanis triumpho, fuſo ſemel atque iterum ad Nolam Annibale, captis poſt triennalem obſidionem Syracuſis, & majorum & nepotum gloriam longe ſuperavit. Annibalem enim primus vinci poſſe docuit, eamque laudem aſſecutus eſt, ut populi Romani gladius vulgo diceretur. Annibalis tandem inſidiis deceptus occubuit. Ipſi duo filii nati ſunt, *M.* & *C. Marcelli*. Tertium addunt nonnulli *M. Marcellum* Conſulem an. 570. Ex *Cajo* propagati ſunt *Marcelli Aeſernini*, e quibus duo tantum Conſules numerantur, *P. Lentulus Marcellinus* an. 735. & *M. Aeſerninus* 731.

I. *Marcelli quinquies Conſulis genus.*

*M. Marcellus*, *Marcelli* quinquies Conſulis filius natu major, & ipſe Conſulatu an. 557, de Gallis Inſubribus, triumpho, Pontificatu, & Cenſura nobilis, filium habuit *Marcum* ter Conſulem an. 587. 598. & 601. duplicique clarum triumpho, qui ſibi, patri, avo ſtatuas poſuit, quibus inſcripſiſſe fertur: *Hi Marcelli novies Conſules*. Ejus filio *Marco* Prætorio duo fuerunt liberi, *Marcus* & *Cnejus*; qui prætorius ex Junia pater fuit *Caji*

II. *Poſteri.*

*Marcelli* Conſulis an. 703. ad quem Epiſtolæ Ciceronis lib. 15. *Marcus* Ædilitius genuit *Marcum* & *Cajum*, quorum uterque Conſul, ille an. 702. hic 702. *Marcus* de provinciis C. Cæſari tollendis cum ad Senatum primus retuliſſet, veniam tamen vitamque Senatus precibus obtinuit: quare Cæſari cum ſuo tum Reipublicæ nomine gratias egit Cicero eleganti illa oratione, quæ *pro Marcello* inſcribitur. *Cajus* vero ex *Octavia* minore Auguſti ſorore duas *Marcellas* reliquit, illumque *Marcellum*, qui jam Ædilitius in ſpem Imperii adoleſcebat, cum immatura morte ſublatus eſt. *Marcellarum* major primum *M. Agrippæ*, deinde *M. Julio Antonio*; minor *M. Valerio Meſſallæ Barbato*, ut eſt conjectura, nupſit.

## CAPUT IX.

### *Gens Cornelia.*

I. *Gentia Corneliæ familiæ.* INfinitus ego ſim, ſi Cornelios omnes perſequi velim. *Corneliorum* enim vel duæ gentes, vel etiam plures, ex quibus vel una patricia adeo late patuit, ut duodecim prope familias complexa ſit, *Maluginenſes*, *Coſſos*, *Arvinas*, *Scipiones*, *Lentulos*, *Cethegos*, *Rufos*, *Syllas*, *Cinnas*, *Dolabellas*. An *Siſennæ*, *Mammulæ*, *Merendæ*, *Merulæ*, *Scapulæ* ex eadem gente fuerint, obſcurum eſt. E *Siſennis* & *Mammulis* Conſul nullus, e *Merendis* unus anno 479. unus etiam e *Scapulis* an. 425. e *Merulis* duo, uterque *Lucius*; alter anno 560. alter 666. Fuit illud *Corneliis* ſingulare (illud enim annotare non abs re fuerit) non cremare, ſed terræ mandare mortuos. Primus ex hac gente Sylla Dictator cremari voluit.

II. *Cornelii Maluginenſes.* *Ser. Cornelius Maluginenſis* Conſul anno 268. duos ſuſcepit filios, *Lucium* & *Marcum*. Ille Conſul

ſul anno 294. contra Volſcos rem bene geſſit; hic Decemvir in exilium pulſus eſt. Hujus filius *Marcus* Conſul an. 317. Illius vero *Sergius* pater *Publii*, qui bis Tribunus militaris an. 349 & 356. duos filios habuit, *Sergium* & *Marcum*; utrumque Tribunum militarem, illum octies, hunc ſemel atque iterum, anno 383. 386.

*Cornelio Maluginenſi*, *Marci* Decemviri ex filio nepoti, ex facie rugoſa *Coſſi* cognomen adhæſit; ipſe, cæſo Larte Tolumnio Vejentium Rege, alter a Romulo opima ſpolia Jovi Feretrio tulit: Conſul anno 335. & Magiſter equitum paulo poſt ſub Dictatore Mamerco. Ex eo nati *Aulus*, *Publius*, & *Cneus*, omnes Tribuni militares, alius alio tempore. *Publius* præterea Dictator Volſcos cecidit. *Cneus* Conſul an. 344. *Aulus Auli* filius fugatis Volſcis Dictator M. Manlium Capitolinum in carcerem conjici juſſit; duos, ut eſt conjectura, filios reliquit, *Aulum* bis Magiſtrum equitum, & *Publium A. Coſſi Arvinæ* patrem. III. *Coſſi*.

*A. Coſſus Arvina* Magiſterio equitum ſub Camillo Conſulatu duplici 410. & 421. Dictatura & triumpho de Samnitibus nobilis. IV *Arvinæ*.

*Scipionibus* pietas nomen fecit. *Publio* enim *Cornelio*, quod cæcum patrem regeret, *Scipionis* cognomen inditum eſt. An ex *Maluginenſium Coſſorum-ve* famlia fuerit, incertum eſt. Illius enim nec patris nec avi nomen proditur; *Maluginenſem* tamen fuiſſe ſuſpicor. Ut *Corneliorum*, ita *Scipionum* varia cognomina diverſæque familiæ: fuerunt enim *Scipiones*, *Aſinæ*, *Hiſpalli*, *Africani*, *Aſiatici*, & *Naſicæ*. V. *Scipiones*

*Scipionum* ſtemma hactenus perobſcurum ex faſtis commode ſic explicari poteſt. *P. Cornelio*, qui & Magiſter equitum fuit ſub Camillo anno 357. & interrex an. 36 . tres filii nati ſunt, *Lucius*, *Cneus* & *Publius Scipiones*, omnes dicti patris cognomi- VI. *Scipiones Aſinæ & Metelli*.

*ſe*. *Lucius* Conſul ponitur an. 403. *Publius* Magiſter equitum eodem anno *Cnei* in faſtis nulla mentio. *Lucius* liberis caruit: ex *Cneo Aſinæ* & *Hiſpalli*; ex *Publio Africani*, *Aſiatici*, & *Naſicæ* propagati ſunt. *Cneus* enim *Scipio* ex *Lucio* filios duos nepotes habuit, *Cn. Aſinam* & *L. Scipionem*. Uterque Conſul fuit; ille bis an. 493. & 499. hic ſemel an. 494. Uterque triumpho de Pœnis clarus. *Cnei* filius *Aſinæ P. Aſina* Conſul fuit an. 532. ac de Iſtris triumphavit. *Lucii* vero pronepos *Cn. Scipio Hiſpallus* Conſul anno 577. ex eoque natus *C. Scipio Hiſpallus* an. 614. Prætor peregrinus Chaldæos Urbe expulit.

VII. *Scipionis Africani genus.*

*Publius*, primi *Scipionis* filius, pater fuit *L. Scipionis* Conſulis an. 455. cujus ex *Lucio* filio nepotes fuerunt *Cn.* & *P.* Scipiones. Uterque Conſul; *Cneus*, *Calvus* vulgo dictus, an. 531. *Publius* 535. qui ab Annibale ad Ticinum fuſus, Hiſpaniam cum fratre legato obtinuit. Ab iis ad Illiturgum Amilcar Mago & Aſdrubal victi, deinde Anno ad Incibile ſuperatus; iterum Mago & Aſdrubal primum ad Illiturgicum, tum ad Mundam, denique ad Auringen fugati: ſed tandem *Publius* ad Incibile victus & occiſus eſt, & paulo poſt *Cneus* etiam victus in prælio occidit. *Cneus* filium habuit *Scipionem Naſicam*; *Publius* vero *P.* & *L. Scipiones*, quorum ille *Africani*, hic *Aſiatici* cognomen victoriis ſibi peperit.

VIII. *P. Scip. Africani majoris.*

*P. Scipio Africanus* major, ſervato in pugna Ticinenſi patre, decemque Romanorum millibus ex clade Cannenſi Canuſium perductis, etiam tum adoleſcens in Hiſpaniam miſſus eſt; novam Carthaginem cepit, Aſdrubalem & Magonem ſemel atque iterum victos Hiſpania expulit; tum in Africa primum Syphacem & Aſdrubalem, deinde ipſum Annibalem, denique Verminam Syphacis filium vicit; leges pacis & Carthaginienſibus imperator, & ali-

quan-

quanto poſt Antiocho fratris legatus præſcripſit: ſed tandem poſt tot in patriam merita vir ille duplici Conſulatu annis 548. & 659. Cenſura, Senatus principatu, victoriis & triumpho, ætatis ſuæ longe clariſſimus Linterni exul obiit. Ex *Aemilia* L. Pauli, qui ad Cannas cecidit, filia genuit duas *Cornelias*, quarum major *Scipioni Naſicæ* viri optimi filio, altera *Tib. Graccho* nupſit, & *P. Scipionem*, qui captus ab Antiocho patri gratis remiſſus eſt.

Cum infirma eſſet valetudine, liberiſque careret, Prætorius cognatnm ſuum adoptavit L. Pauli, qui Perſen vicit, filium, qui *P. Scipio Aemilianus* dictus eſt; vir patri avoque bellica laude par, literarum vero humaniorum ſcientia longe ſuperior duo maxima bella confecit; Punicum tertium & Numantinum. Duplex triumphus, alter de Carthagine deleta *Africani*, alter de Numantia everſa *Numantini* cognomen illi dedit; quamvis Conſulatum nunquam petierit, bis tamen Conſul factus eſt; ſemel ante ætatem an. 606. iterum abſens etiam præter leges an. 619. & ante ſecundum Conſulatum Cenſor. Triſtior illius, quam *Africani majoris* exitus fuit: cum enim C. Gracchi conatibus obſiſteret, ſive C. Carbonis, M. Fulvii Flacci, ſive uxoris ſuæ Semproniæ, quæ Gracchorum ſoror erat, crimine ( ut tum creditum eſt ) noctu domi necatus eſt. IX. *Africani minoris victoriæ.*

*L. Scipio*, *Africani majoris* frater natu minor, Conſul anno 563. de Antiocho victoriam, triumphum, & *Aſiatici* cognomen retulit; & aliquanto poſt repetundarum injuria, ut putatur, damnatus eſt. Hujus filius *Lucius* Prætorius Senatu motus dicitur; abnepos *Lucius* Conſul anno 670. in bello civili cum Marii partes ſequeretur, a Sylla ſpoliatus exercitu, incolumis dimiſſus eſt: cujus etiam forte abnepos *P. Scipio Aſiaticus* ſub X. *Scipiones Aſiatici.*

Nerone anno 820. Conſulatum geſſit.

XI. *Scipiones Naſicæ.* *Scipio Naſica Cn. Scipionis*, qui cum fratre *Publio* in Hiſpania periit filius, a Senatu *vir optimus* cum iudicatus eſſet, Matrem deum hoſpitio excepit; deinde & Pontifex, & Conſul anno 522. de Bojis triumphavit. Eo major fuit illius filii Publii, qui *Corculum* vulgo dictus eſt, gloria, ſemel atque iterum Conſul annis. 568. & 591. Delminio (urbs Dalmatarum erat) expugnato, & Imperatoris nomen a militibus, & honorem triumphi a Senatu oblatum repudiavit; vir alioqui eloquentia primus, juris ſcientia conſultiſſimus, ingenio ſapientiſſimus, & paulo poſt Cenſoria dignitate inſignis. Nec laus minor fuit filii *P. Scipionis*, *cui Serapionis* cognomen datum eſt: nam & Conſul anno 615. fuit, & Pontifex Maximus, & Ti. Gracchum, licet affinem, quod rebus novis ſtuderet, privatus per ſuos occidit. Ex eo natus *P. Naſica* Conſul anno 642. in magiſtratu obiit; qui ex *Cæcilia* Metelli Macedonici filia habuit *P. Naſicam*, cui *Licinia* Craſſi oratoris filia tres filios peperit, *Publium*, *Licinium Craſſum Scipionem*, qui avo materno in adoptionem datus eſt, & *Q. Metellum Pium Scipionem* a Metello adoptatum, cujus filia *Cornelia* in uxorem data primum Craſſo juniori, deinde Pompejo Magno: ipſe Conſul factus eſt an. 701. & in bello civili dux partium Pompejanarum a Cæſare in Africa victus periit. Illius frater natu maximus *Publius*, in Mariana diſſenſione Urbe pulſus, filium reliquit *Publium* illum *Scipionem*, qui ex *Scribonia*, quæ poſtea Octavio Cæſari nupſit, *Corneliam* Æmilii Pauli uxorem ſuſcepit, *C. Scipionem* Conſul an. 737. cujus etiam nepos *Publius* Conſul ponitur an. 808.

XII. *Cornelii Lentuli.* Ita obſcurum eſt *Lentulorum* ſtemma, ut illud qui voluerit in ordinem digerere, operam luſerit: quare ſatius mihi viſum eſt, ſervata temporum ratione, illos

illos tantum appellare, qui ex hac familia Conſulatum adepti ſunt; ita tamen, ut primum proferamus eos, qui ad *Lentuli* cognomen nullum aliud adſciverunt, deinde alios, qui varia adhibuerunt cognomina. Fuerunt, enim *Lentulus Caudinus*, *Clodianus*, *Crus*, *Eſquilinus*, *Getulicus*, *Lupus*, *Marcellinus*, *Scipio*, *Spinther*, *Sura*. E *Lentulis* Conſules fuiſſe perhibentur *Lucius anno* 436. *Servius* anno 450. *Lucius* 545. *Cneus* 552. *Publius* 591. *Cneus* 607. *Cneus* 656. *Cneus* 697. *Cneus* 735. *Cneus* 739. & *Lucius* 750. Ex aliis *Cajus Lentulus Eſquilinus* anno 275. E *Caudinis* tres, pater *Lucius* an. 478. & filii duo, *Lucius* 516, & *Publius* 517. *Lucius Lupus* 597. *Cneus Clodianus* 681. *P. Sura* 682 ob Catilinæ conjurationem in carcere necatus. *P. Spinther* anno 696. Ciceronem exilio revocavit. *L. Lentulus Cruſcellus* an. 704. *P. Marcellinus* 735. *P. Scipio* 739. E *Getulicis* quatuor; pater *Coſſus Getulicus* an. 752. & duo filii, *Coſſus* & *Cneus*, ille an. 777. hic 778. qui cum res novas moliretur, a Caligula cæſus eſt. *Coſſi* filius collega Neronis an. 812. fuit.

E *Dolabellis* quinque potiſſimum memorantur, quorum princeps *P. Dolabella* Conſul anno 470. de Gallis triumphavit; *Cneus* illius forte pronepos Conſul 594: cujus ex filio nepos an. 672. e Macedonia triumphum retulit, repetundarum tamen a C. Cæſare accuſatus nepotem habuit, ut eſt conjectura, fratris *Publii* filium *Publium Dolabellam* M. Ciceronis generum, qui in locum occiſi Cæſaris Conſul anno 709. ſuffectus, Syriam quidem interfecto Trebonio occupavit; ſed ipſe paulo poſt a ſervo Laodiceæ necatus eſt: natus ex eo *Publius* ab Auguſto an. 762. Conſulatum obtinuit. XIII. *Cornelii Dolabellæ.*

*Cethegis* omnibus longe præſtitit *Marcus* ille *Cethegus*, qui etiam tum adoleſcens Pontifex factus eſt, & aliquanto poſt Cenſor ante Conſulatum, XIV. *Cornelii Cethegi*

denique Conſul annno 459. Etruriam in fide continuit. Illius ex fratre nepos fuit *Cajus* Conſulatu anno 556. Cenſura & triumpho de Inſubribus nobilis: quo quidem alii Conſules, *Publius* an. 572. & *Marcus* 593. ſed rebus geſtis non admodum clari. Illuſtrius aliquanto fuit *P. Cetegbi* nomen, qui in diſſenſione Mariana Urbe pulſus tempore Luculli civitatis princeps fuiſſe dicitur.

XV. *Corneli Cinnæ.* *L. Cornelius Cinna* Conſul anno 626. filium habuit Lucium quater Conſulem annis 666, 667. 668. & 669. qui cum in cives una cum Mario multis cædibus graſſatus eſſet, tandem a ſuis ipſe militibus cæſus eſt. Illius filia *Cornelia* C. Cæſari nupſit; filius vero *Lucius* primum Lepido, deinde Sertorio adhæſit: denique C. Cæſaris opera reſtitutus, ex Pompeji Magni filia ſucepit *Cn. Cinnam Magnum*, qui bis ab Auguſto veniam obtinuit; ſemel, quod hoſtis in ipſum arma tuliſſet, iterum, quod ipſi paraſſet inſidias; amicus tandem ipſi factus Conſulatum an. 756. adeptus eſt.

E *Rufis* duo tantum ſummos honores aſſecuti ſunt, quibus *Plinii* prænomen fuit, pater & filius, uterque Dictator; hic præterea duos Conſulatus anno 463. & 476. Illius nepoti *Publio*, quod ludos Apollinares ex libris Sybillinis celebrari juſſiſſet, primum *Sibyllæ*, tum *Syllæ* cognomen inditum eſt: ejus abnepos fuiſſe dicitur *L. Sylla* Dictator.

VXI. *Cornelii Rufi & Syllæ.* *L. Sylla* primum Quæſtor C. Marii in Africam Jugurtham a Boccho accipit; deinde legatus in bello Cimbrico, Teutonico & ſociali multa cum fortiter geſſiſſet, Cluentium, Samnites, & Hirpinos fudiſſet, poſt Præturam Conſulatum an. 665. omnium pene civium ſuffragiis, & bellum Mithridaticum obtinuit: ſed cum *Sulpitius*, Tribunus plebis provinciam & bellum in *Marium* transferret, in urbem unde fugerat, cum exercitu rediit; occiſo *Sul-*

to *Sulpitio*, *Marium* fugat, tranſiit in Græciam, captiſque Athenis, *Archelaum* Mithridatis ducem ſemel atque iterum ad Orchomenum & Chæronæam ſuperat, *Fimbriam* in Aſia opprimit, & pace Mithridati conceſſa in Italiam reverſus, *Norbanum* ad Canuſium, *Marium juniorem* ad Sacriportum, ad Cluſium *Carbonem Teleſinum*, & Samnites ad portam Collinam vincit; Dictaturam occupat; quam tertio anno poſt deponit: in his omnibus laudandus, niſi cruentiſſima proſcriptione in cives ſæviiſſet. Quatuor uxores habuit, *Aeliam*, *Cæliam*, *Cæciliam* Metelli Pii filiam, & *Valeriam*. Ex *Cæcilia Fauſtum Syllam* ſuſcepit, & *Fauſtam*, quæ primum *Q. Pompejo Rufo*, tum *C. Mummio*, denique *T. Miloni* nupſit. *Fauſto Syllæ Pompeja* Pompeji Magni filia peperit *Fauſtam* Æmilii uxorem. *Syllæ* Dictatori, ſi Dioni credimus, frater fuit *Ser. Sylla*, cujus filius *Publius* C. Cæſaris in bello civili legatus a Cicerone hac oratione, quæ etiam nunc extat, defenſus eſt. Ejus filius, & nepos *Lucii*, & pronepos *Cn. Fauſtus* Conſulatum adepti ſunt; primus ſub Auguſto an. 748. alter ſub Tiberio anno 785. tertius ſub Claudio anno 804.

## CAPUT X.

### *Gens Domitia.*

UT *Claudiorum*, ita *Domitiorum* gens duplex fuit; ſed utraque plebeja. Altera *Aenobarbi*, altera *Calvini* cognomen habuit. De *Aenobarborum* familia, quæ multo illuſtrior fuit, hic agimus. I. *Domitiorum gens duplex.*

*Cn. Comitius* Conſul anno 561. pater fuit *Cnei* Conſulis an. 591. cujus filius *Cneus* Conſulatu an. 631. Cenſura, Pontificatu Maximo, de Allobrogibus & Arvenis tum victoria tum triumpho clarus II. *Domitii Ænobarbi.*

extitit. Filios habuit *Cneum* & *Lucium*: ille Conſul an. 657. a L. Craſſo ipſius in Cenſura collega diſſenſit ſæpius; hic etiam Conſul fuit an. 559. uterque in bello civili Syllæ & Marii cæſus eſt. *Cneo* duo erant filii, *Cneus* Cinnæ gener in flore ætatis a Pompejo in Africa occiſus, & *Lucius* qui Conſul an. 699. in acie Pharſalica fortiter dimicans cecidit. Ex Porcia ſuſceperat *Cn. Domitium*, qui ob cædem C. Cæſaris primum damnatus, & aliquanto poſt reſtitutus, Conſul creatus eſt anno 721. *Hoſtilia* illi peperit *Lucium* Conſulem an. 737 qui ex *Antonia minore* genuit *Cneum* Conſulem. anno 784. *Neronis* Imperatoris patrem.

## CAPUT IV.

### *Gens Fabia.*

I. *Fabii tres fratres, unde cæteri prognati.*

FAbiæ gentis alii originem referunt ad *Herculem*, qui ex Evandri filia *Fabium* genuerit: alii nomen ab agrorum foſſione deducunt, quaſi primum *Fodii*, deinde *Fabii* dicti ſint. *Fabiorum* omnium hic nomina prodere res eſſet & operoſa & multi faſtidii: ſatis erit illos proferre, qui adoleſcente jam Republica victoriis ſuis Romanam rem multum auxerunt. Duo tamen te monitum velim; unum eſt, tres *Fabios M. Vibulani* filios, *Quintum*, *Cæſonem*, & *Marcum*, ſeptem annis continuis munus Conſulare obtinuiſſe, ex iiſque *Cæſonem* cum 315. *Fabiis* ad Cremeram a Vejentibus cæſum fuiſſe; alterum eſt, *Fabios* omnes, qui poſtea multis perfuncti ſunt honoribus, a *Quinto Marci* filio, qui unus gentis cladi ſuperſtes fuit, ut multis placet, propagatos eſſe.

II: *Maximi & Pictores.*

*Marcus Fabius Ambuſtus Quinti* filius gemino Tribunatu militari, Conſulatu triplici anno 393. 387. 399. ovatione de Hernicis, de Tiburtibus

trium

triumpho, Magiſterio equitum, Dictatura, & Senatus principatu inſignis, tres mares *Quintum*, *Marcum*, & *Cæſonem* ſuſtulit, duaſque fœminas, quarum altera Sulpitio patricio, altera Licinio Stoloni plebejo cum nupſiſſet, hæc marito Tribuno plebis perſuaſit, ut legem ferret de Conſulari dignitate plebi communicanda. Ut a *Quinto Maximorum*, ita a *Marco Pictorum* familia profluxit, e quibus tres Conſules memorantur, *Cajus* anno 448. qui ædem Salutis pinxit, ejuſque duo filii, *Cajus* anno 484. *Numerius* anno 487. ſed Conſulibus illuſtrior *Q.* ille *Fabius* Prætor: qui poſt cladem Cannenſem Delphos legatus miſſus eſt, & ſcripſit Romanam Hiſtoriam, quæ cum a multis, tum a Livio ſæpiſſime laudatur.

III. *Fabius Rullianus*

*Q. Fabius Rullianus*, *Ambuſto* patre rebus geſtis clarior, Magiſter equitum a Papirio Dictatore ob victoriam de Samnitibus ſecuri pæne percuſſus, quinquies Conſul fuit, annis 431. 443. 445. 456. 458. ter Dictator, ſemel Cenſor, princeps Senatus; terque triumphavit, ſemel de Apulis, iterum de Gallis & Tuſcis, tertio de Samnitibus: cumque turbam forenſem in quatuor tribus urbanas conjeciſſet, primus e *Fabia* gente *Maximi* cognomen adeptus eſt. Ejus filius *Quintus*, cui ob devoratum patrimonium *Gurgitis* cognomen fuit, contra Samnites cum male pugnaſſet, patre legato victoriam retulit, princeps Senatus, duplici Conſulatu annis 461. & 477. totidem de Samnitibus triumphis, Cenſura & in Ægyptum legatione enituit.

IV. *Cunctator.*

*Q. Fabius Gurgitis* ex filio nepos, *Cunctator* a belli gerendi ratione, *Verrucoſus* a verruca in labiis, & a manſuetudine *Ovicula* vulgo dictus, laudem avitam ſuperavit; quinque Conſulatus annis 520. 525. 538. 539. 544. ut proavus, geſſit; duos triumphos, ut avus retulit, ut uterque princeps Senatus fuit: ſed utrique in eo ſuperior, quod Dictator

exul-

exultantem victoriis Annibalem fregerit. Duos ille filios habuit, *Quintum & Marcum:* primum *Quinti*, tum *Marci* poſteros proſequemur.

V. *Filii natu majoris familia.* *Q. Fabius Cunctatoris* filius Conſul anno 540. & in locum patris Augur. *Quintum* item Augurem, & *Quintum Labeonem*, qui Prætor navalem triumphum aſſecutus eſt, & Conſul anno 560. ponitur, eruditionis & ingenii laude illuſtris. A *Quinto* Augure adoptatus *Quintus Fabius Aemilianus L. Pauli*, qui Perſen vicit, filius, Conſul anno 608. ex quo natus eſt *Q. Fabius Allobrogicus*, qui Conſul anno 632. victo ad Iſaram flumen Betulto, & cæſis tum Allobrogum, tum Arvernorum 130. millibus nobiliſſimum egit triumphum: paulo poſt Cenſor reliquit filium ab avitis paterniſque laudibus degenerem; cui Pompejus Prætor bonis interdixit. *Allobrogico* frater erat *Quintus*, ob candorem *Eburnus* cognominatus Conſul anno 637

VI. *Natu minoris familia.* *Marcus Fabius Cunctatoris* filius, vivo etiam tum patre mortuus, nepotem adoptione filii habuit *Quintum Fabium Servilianum*, qui Conſul anno 611. rebus in Hiſpania proſpere geſtis ideo male audiit, quod pacem cum Viriatho æquis conditionibus iniiſſet; poſtea tamen Cenſor factus eſt. *Fabii*, vel *Serviliani* vel *Eburni* (aliter enim aliis videtur) nepotes fuerunt tres illi *Fabii* ſub Cæſaribus Conſules, *Quintus* anno 708. illiuſque filii *Paulus* an. 742. & *Quintus* 743. Quia vero ex Fabiorum ſtirpe prognati ſint *Fabii Buteones* Conſules an. 506. & 508. & *Licinius* anno 507. obſcurum eſt.

## CAPUT XII.

### *Gens Fulvia.*

I. *Fulvii Centumali.* GEns *Fulvia* Tuſculo oriunda, tribus potiſſimum cognominibus diſtincta fuit, *Centumali*, *Flac-*

*Flacci*, & *Nobilioris*. E *Centumalis* tres Conſulatibus, duo triumphis nobile extiterunt, quibus omnibus *Cneus* nomen proprium fuit: unus Conſul anno 455. de Samnitibus, alter illius nepos an. 525. de Illyriis triumphavit, cujus etiam filius Conſulatum anno 542. obtinuit. II.

*M. Fulvius Pætinus* Conſul anno 454. duos filios ſuſcepit, *Quintum* & *Marcum*; ille *Flaccorum*, hic *Nobiliorum* princeps fuit. Primum de *Flaccis*, tum de *Nobilioribus* dicemus breviter. *Quinti* filius fuit *Marcus* ille *Flaccus*, quo Conſule an. 489. bellum Punicum primum cœptum eſt: ex eo nati *Quintus*, *Cneus*, & *Cajus*, quorum longe diſpar gloria. *Cajus Quinti* apud Capuam legatus fuit. *Cneus* Prætor *Quinto* tertium Conſule Apuliam ſortitus, apud Herdoniam amiſſo exercitu turpiter fugatus eſt. *Quintus* vero rebus geſtis clariſſimus, quater Conſul annis 516. 529. 541. 544. Magiſter equitum, Pontifex, Cenſor, & comitiorum cauſſa Dictator, apud Beneventum Annonis caſtra cepit, Annibalem ab Urbe depulit, Capuam recepit, illiuſque Senatum ſecuri percuſſit. Quatuor filios ſuſcepit, *Quintum*, *L. Manlium Acidinum* in gentem *Manliam* adoptatum, *Marcum* de cujus poſteris paulo poſt, & *Cneum* qui a *Quinto* fratre Cenſores Senatu motus eſt, cujus nepos *Servius Flaccus* Conſul anno 618. Vardæos in Illyrico domuit. *Quintus*, patre nihilo inferior Prætor, Celtiberos bis inſigni pugna vicit, Contrebiam ad deditionem coegit, deinde ſemel anno 573. & iterum anno 574. cum fratre *Acidino* Conſul Ligures domuit; triumphum duplicem, unum de Celtiberis, alterum de Liguribus retulit; Cenſor Fortunæ equeſtri templum dicavit, denique in amentiam verſus, laqueo vitam finiſſe dicitur. *Cajo* ejus filio anno 919. Conſuli bellum fugitivorum conficiendum delatum eſt. *Marco Quinti* fratri natus eſt *Marcus* ille *Flaccus*, qui

*Fulvii Flacci.*

Con-

Conſul an. 628. cum rem feliciter in Tranſalpinos Ligures geſſiſſet, & de Liguribus Vocontiiſque triumphaſſet, Italos ad petendam civitatem primus excitavit, & C. Graccho leges agrarias ferenti adhæſit; quare ab Opimianis una cum duobus filiis cæſus eſt. Filiarum altera *Lentuli Suræ*, qui ob conjurationem Catilinæ necatus eſt; altera *L. Cæſaris*, qui Conſul fuit anno 689, mater extitit.

III. *Fulvii Nobiliores*. *M. Pætini* an. 454. Conſulis filius alter fuit, uti diximus, *Marcus* pater *Ser. Nobilioris* qui Conſul anno 498. triumphum navalem egit de Pœnis, nepotemque habuit *M. Nobiliorem*, ovatione ex Hiſpania ulteriore, ex capta Ambracia domitiſque Ætolis triumpho, Conſulatu an. 654. & Cenſura, & Ennij poetæ verſibus clariſſimum. Duo illi filii fuerunt, *Marcus* & *Quintus*, uterque Conſul, ille anno 594. hic anno 600. ſed alter altero aut fortior bello fuit, aut felicior; nam *Marcus* de Liguribus victoriam & triumphum retulit, *Quintus* a Celtiberis ſemel atque iterum turpiter victus eſt.

IV. *Gens Furia*. *Furiorum* ſtemma ne hic ſubjicerem, unum me deterruit, quod eorum memoria ſit aliquanto vetuſtior. Satis erit monuiſſe genten *Furiam* & patriciam fuiſſe, & in quatuor familias diviſam: fuerunt enim *Furii Metellini*, *Pacilli*, *Camilli*, *Phili*, quibus omnibus longe præſtitit *M. Camillus* alter a Romulo Pater patriæ appellatus, ſexies Tribunus militaris, Dictator quinquies, quatuor triumphis nobilis de Vejentibus, de Gallis, de Æquis, Volſcis, Etruſcis, &c.

## CAPUT IX.

### *Gens Julia.*

I. *Unde Juliæ gentis origo &* GEntem *Juliam*, quæ Alba Tullo Hoſtilio diruta Romam migravit, & patriciam fuiſſe, & ab *Julo* Æneæ filio traxiſſe originem, plerique produnt

dunt auctores. Duo fuerunt præcipue illius cogno- mina, *Julius* & *Cæſar*, non duæ tamen (niſi mea me fallit opinio) familiæ. Cum enim in faſtis ante bella Punica *Cæſarum* nulla, *Julorum* frequens, & poſt bella Punica *Julorum* nulla, *Cæſarum* vero frequens fiat mentio, non temere dixerim *Cæſaris* cognomen inditum *Julorum* cuipiam, a quo *Cæſarum* genus propagatum ſit, quod aliquanto poſt, duas in familias diviſum eſt. Ex una fuerunt *Cæſares* illi, qui cum ingenii laude florerent, in diſſenſione Marii & Syllæ perierunt; ex altera *C. Cæſar* Dictator. Primum de illorum, tum de Dictatoris familia agemus. Unde vero *Cæſaris* cognomen deſumtum ſit, aliter aliis placet; ſunt enim qui vel a *cæſarie*, vel a *cæſiis* oculis, vel a *cæſo* in Africa elephante deductum ſcripſerint: libentius ego aſſenſerim iis, qui a *cæſo* matris utero petitum volunt. *cognomen Cæſaris.*

II. *Prima Cæſarum familia.*

*Sex. Cæſaris* duo anno Urbis 545. memorantur, quorum alter Siciliam dum exercitu Prætor obtinuit, alter cæſo M. Marcello ad Criſpinum Conſulem comitiorum cauſſa miſſus eſt. Hujus filius *Sextus* L. Pauli contra Ligures legatus fuiſſe perhibetur. Ex eo natus *Sex. Cæſar* Conſul cum L. Oreſte an. 596. tres filios habuit, *Sextum* Prætorium, *Cajum*, & *Lutium*. *Cajo* & *Lucio* liberi nati ſunt, *Sexto* nulli. Primum de *Caji*, tum de *Lucii* poſteris dicemus. *Cajus* pater fuit *Sex. Cæſaris* Conſulis an. 662. anno proximo ante bellum ſociale, cujus filius *Sextus*, Flamen Quirinalis cum pro domo ſua Cicero diceret, genuit *Sex. Cæſarem*, qui a Cajo Dictatore Syriæ Præfectus, a militibus fraude Q. Cæcilii Baſſi interemtus eſt. *Lucius* duos filios ſuſcepit, *Lucium* & *Cajum*, quorum ingens Romæ gloria fuit: ſed alia alii, nam *Lucius* tum geſtis honoribus, Conſulatu anno 663. & Cenſura, tum bellica laude in bello ſociali floruit; *Cajus* vero ingenio & elo-

quen-

quentia ipſe enim eſt poeta ille & orator urbanitate & lepore conditus, de quo multa Cicero in Bruto. Uterque Marii juſſu cæſus, *Cajus* hoſpitii Etruſci proditione, *Lucius* ad tumulum Varii Sucronenſis. Ejus filia *Julia* nupſit primum *M. Antonio Cretico*, deinde *Lentulo Suræ*, qui in carcere necatus eſt: *Cretico Antonium* Triumvirum, ejuſque fratres peperit. *Juliæ* frater erat *Lucius* ille Cæſar Conſul anno 689. qui cum ſtetiſſet a Pompeji partibus, poſt victos tum ad Pharſalum Pompejum tum in Africa Scipionem, Uticenſibus auctor fuit, ut victorem reciperent, ipſeque Cæſari obviam profectus, cum ſibi tum multis vitam impetravit: proſcriptus aliquanto poſt ab Antonio, quem occiſo Cæſare hoſtem dixerat, a ſorore *Julia* ſervatus eſt. *Lucii* ejus filii triſtior exitus fuit; in bello enim Africano cum libertos ſervoſque C. Cæſaris ferro & igne necari juſſiſſet, paulo poſt a Cæſaris militibus & ipſe interfectus eſt.

III. *Secunda Cæſarum familia, quæ Cæſaris Dictatoris fuit.* C. *Cæſaris* Dictatoris & proavo & avo *Cajus* prænomen fuit. Avus ex *Martia* genuit *Cajum & Lucium*, & *Juliam* uxorem C. *Marii* ſepties Conſulis. *Ca us* & *Lucius*, ambo prætorii, immatura morte ſublati ſunt, ille Piſis, hic Romæ. *Cajo* ex *Aureliæ* natus eſt *C. Julius Cæſar* Dictator, & duæ *Juliæ*, quarum una ex primo marito *Q. Pedium*, ex ſecundo *P. Pinar um*; altera ex *M. Accio Balbo Acciam* Auguſti matrem peperit. *Cajus Julius Cæſar* quater Conſul. an. 694. 705. 707. 708. & Dictator perpetuus, vir omnium, qui unquam extiterint, gloria militari clariſſimus, Hiſpaniam ulteriorem ad Oceanum uſque perdomuit, Helvetios & Arioviſtum Germanorum Regem in Gallia vicit, Aquitanos, Gallos, Belgas, Britannos ſubegit, Germanos magnis attrivit cladibus: deinde orto bello civili, ab eo Petrejus & Afranius in Hiſpania exercitu ſpoliati, victus ad Pharſalum Pompejus, ad Alexan-

IV. *C. Cæſar Dictator.*

driam

driam Ptolemæus, Pharnaces in Ponto, in Africa Juba & Scipio, ad Mundam in Hiſpania Cneus & Sextus Pomeji: quare uno tempore ex Gallia, ex Ægypto, Ponto, Africa quatuor triumphos egit, dumque majora cogitat, ab amicis in Curia 23. vulneribus confoſſus eſt. Quatuor uxores habuit. *Coſſutiam* familiæ equeſtris, *Corneliam* Cinnæ quater Conſulis, *Pompejam* Q. Pompeji Rufi, & *Calpurniam* L. Piſonis filiam. *Coſſutiam* & *Pompejam* repudiavit, ex *Cornelia Juliam* Pompeji Magni uxorem, ex aliis nullos liberos ſuſcepit. V.

*Accia*, quam *Julia* C. Cæſaris ſoror *Accio Balbo* pepererat, nupſit *Octavio*, qui ex Prætura Macedoniam ſortitus, pulſis hoſtibus provinciam ſumma cum laude adminiſtravit; ſed haud multo poſt immatura morte obiit, cum ex duabus uxoribus tres genuiſſet liberos, *Octaviam* majorem ex *Ancharia*, *Octavium* & *Octaviam* minorem ex *Accia*, quæ poſt illius mortem *L. Martio Philippo* iterum nupſit. Cujus uxor fuerit *Octavia* major, incertum eſt: minor certe fuit *C. Marcelli*, tum *M. Antonii* Triumviri. Ex Marcello *Marcellum* duaſque *Marcellas*, ex Antonio duas *Antonias* peperit. *Marcellus* ædilitius hæres Auguſto deſtinatus, in flore ætatis deceſſit. *Marcella* major primum *M. Agrippæ*, deinde *M. Julio Antonio* nupſit: *Antonia* minor *Druſo* Auguſti privigno, major *L. Domitio*. At de his ſuperius egimus, tum in gente *Antonia*, tum in *Claudia Marcellorum*, tum in *Domitia*. VI.

Octavii Cæſaris genus.

*Octavius Cæſar*, C. Cæſaris ex *Accia* ſororis filia nepos, hæres ab eo ſcriptus; poſt illius cædem Theſſalonica, quo ſtudiorum cauſſa miſſus fuerat, Romam rediit; & continuo cum Hirtio & Panſa Conſulibus M. Antonium ad Mutinam vicit: ſed paulo poſt Triumvir cum Antonio & Lepido, prodita patria, bellum Philippenſe cæſis Bruto & Caſſio, Peruſinum victo L. Antonio, Siculum fugato Sex.

Auguſtus.

Pom-

Pompejo, denique Actiacum devictis M. Antonii partibus feliciter confecit; Jani templum tertio clauſit, pace terra marique parta; Dalmatiam, Pannoniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicam, Cantabriam per Druſum & Tiberium privignos, alioſque duces imperio adjunxit; Armeniam a Parthis, & Craſſi ſigna recepit; Scythas & Indos ad ſuam populique Romani amicitiam petendam allexit; ſemel ac vicies Imperatoris nomen adeptus tres triumphos curules egit, Dalmaticum, Actiacum, & Alexandrinum; Pontifex Maximus, 13. Conſul, Tribunus plebis perpetuus, morum legumque moderator, Auguſtus a Senatu primus appellatus, orbis imperium ſumma tum prudentiæ tum clementiæ laude per 44. annos adminiſtravit, tandemque Nolæ obiit anno ætatis 76. Tres duxit uxores, *Clodiam* P. Clodii & Fulviæ filiam, *Scriboniam* L. Libonis ſororem, & *Liviam* ex Tiberino Nerone gravidam: ex Scribonia Julia, ex aliis nullos liberos ſuſtulit. Quis *Auguſto* fuerit corporis habitus, memoriæ prodidit Suetonius his verbis. *Forma fuit eximia, & per omnes ætatis gradus venuſtiſſima; quamquam & omnis lenocinii negligens, & in capite comendo tam incurioſus, ut raptim compluribus ſimul tonſoribus operam daret; ac modo tonderet, modo raderet barbam, eoque ipſo tempore aut legeret aliquid, aut etiam ſcriberet. Vultu erat .... tranquillo ſerenoque; ...... oculos habebat claros ac nitidos, quibus etiam exiſtimari volebat ineſſe aliquid divini vigoris; ..... dentes raros & exiguos & ſcabros, capillum leniter inflexum & ſubflavum, ſupercilia conjuncta, mediocres aures, naſum & a ſummo eminentiorem & ab imo deductiorem, colorem inter aquilum candidumque, ſtaturam brevem, ..... ſed quæ & comoditate & æquitate membrorum occuleretur,* &c. Ea, quibus ejus mores perſequitur, quia longiora ſunt, hic adſcribere non libuit.

*Julia* Auguſti & Scriboniæ filia, probris & flagi- VII.
tiis infamis, bis nupſit, primum *M. Agrippæ*, a *Auguſt*
quo ideo dimiſſa *Marcella*, deinde *Tiberio Neroni* *familiæ*
haud paulo poſt Imperatori. Tiberio nullos, Agrip-
pæ quinque peperit liberos; filiæ fuerunt *Julia L.*
*Aemilii Pauli*, & *Agrippina Germanici* uxor; ma-
res *Cajus*, *Lucius*, & *Agrippa*: *Cajus* & *Lucius* ab
Auguſto ſcripti hæredes in ætatis flore perierunt;
ille in Lycia, dum ex Oriente Romam redit, incer-
tum ex vulnere, an morbo, an novercæ dolo; hic
Maſſiliæ, dum Hiſpaniam petit. *Agrippæ* poſthumi
& *Juliæ* ipſius matris; par prope exitus fuit: ambo
enim ab Auguſto relegati, ille ob ferox & ſordidum
ingenium in inſulam Planaſiam, hæc ob libidines
in Pandatariam; amboſque aliquanto poſt Tibe-
rius, illum gladio, hanc inopia & tabe ſuſtuliſſe
dicitur.

*Tiberius Nero Liviæ* ex Tiberio Claudio filius, VIII.
*Druſique* frater, dum vixit Auguſtus, egregii no- *Tiberius*
minis fuit fameque integræ: tria bella geſſit, Rhæ-
ticum, Pannonicum, & Germanicum, de quibus
tum ovationem tum triumphum retulit. Inſtitutus
hæres ab Auguſto, Germanici metu, vitia ſua mi-
ra arte diſſimulavit; eo vero ſublato veneficiis,
metu ſolutus, cum in affines, tum in civitatis prin-
cipes ſæviit, quorum alios ferro, alios fama, alios
alio genere mortis occidit, dum ipſe in Caprea in-
ſula oblitus imperii, infami luxu deliteſcit, ubi tan-
dem deliciis confectus moritur. Ex *Vipſania* M.
Agrippæ & Pomponiæ filia illi natus eſt *Druſus*,
qui ſedato Panonico tumultu ovans urbem ingreſ-
ſus eſt, Conſulque anno 766. ſed orto ipſum inter
& Sejanum diſſidio, veneno ſublatus eſt, conſcia
uxore *Livilla*, ex qua filiam genuerat *Juliam* pri-
mum *Neroni* Germanici filio tum C. *Rubellio* na-
ptam, duoſque filios quorum alter paulo poſt obiit,
alter *Tiberius* nomine etiam tum puer Caligulæ

juſſu cæſus eſt. Tiberii formam Suetonius deſcripſit, indolem Tacitus. Hæc Suetonius: *Corpore fuit amplo atque robuſto; ſtatura, quæ juſtam excederet; latus ab humeris & pectore, cæteris quoque membris uſque ad imos pedes æqualis & congruens: ſiniſtra manu agiliore ac validiore ...... Colore erat candido, capillo pene occipitium ſubmiſſiore, ut cervicem etiam obtegeret ...... Facie honeſta, in qua tamen crebri & ſubiti tumores, cum prægrandibus oculis; & qui, quod mirum eſſet, noctu etiam & in tenebris viderent, ſed ad breve ...... Incedebat cervice rigida & obſtipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus, nullo aut rariſſimo etiam cum proximis ſermone, eoque tardiſſimo, nec ſine molli quadam digitorum geſticulatione.* Ita Tacitus l.5. Annalium cap. 10. *Morum quoque tempora illi diverſa; egregius vita famaque, quoad privatus, vel in imperiis ſub Auguſto fuit; occultus ac ſubdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac* Druſus *ſuperfuere. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: inteſtabilis ſævitia; ſed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuitve. Poſtremo in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tantum ingenio utebatur.*

IX. *Druſus Tiberii frater.*

*Druſus* iiſdem quibus *Tiberius* parentibus *Ti. Nerone* & *Livia* genitus, privignus Auguſti, multos Germaniæ populos ſubegit, omnia longe lateque uſque ad Albim populatus; ſed anno ætatis 30. deſignatus Conſul, ſive morbo, ſive equo ſuper crus collapſo in Germania interiit, princeps virtutibus *Tiberio* longe ſuperior. Ex liberis, quos ex *Antonia* Antonii Triumviri & Octaviæ filia genuerat, tres illi ſuperſtites fuerunt, *Germanicus*, *Livia* ſeu *Livilla* quæ *Druſo* Tiberii filio nupſit, & *Claudius* poſtea Imperator, de quo paulo poſt.

X. *Germanicus Druſi filius.*

*Germanicus*, duplici Conſulatu anno 766. & 770. triumpho de Cheruſcis clarus, ſed eximiis virtutibus

bus multo clarior e Germania ubi maxima bella feliciter confecerat, a Tiberio in Orientem miſſu Cn. Piſonis (ut tum vulgo creditum eſt) ſcelere Antiochiæ Syriæ extinguitur. Ex *Agrippina* M. Agrippæ & Juliæ filia tres fœminas totidemque mares ſuſtulit. Filiæ fuernt *Agrippina* Neronis Imperatoris ex *Domitio* mater, *Druſilla* Caſſio Longino, & *Livilla* M. Vinicio nupta; filii vero *Nero*, *Druſus*, & *Cajus*, vulgo *Caligula* dictus. *Nero Juliam* Tiberii ex Druſo filio neptem, *Druſus Aemiliam Lepidam* uxorem duxit; ſed uterque ſine liberis a Tiberio alius alio tempore fame necatus eſt. Singulares *Germanici* virtutes perſequitur Tacitus l. 2. Annalium cap. 11. *Indoluere exteræ nationes regeſque, tanta illi comitas in ſocios, manſuetudo in hoſtes: viſuque & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem ſummæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat ..... Et erant qui formam, etatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrumque corpore decoro, genere inſigni, haud multum triginta annos egreſſum, ſuorum inſidiis externas inter gentes occidiſſe; ſed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio certis liberis egiſſe: neque minus preliatorem, etiamſi temeritas abſuerit, præpedituſque ſit perculſas tot victoriis Germanias ſervitio premere. Quod ſi ſolus arbiter rerum, ſi jure & nomine regio fuiſſet, tanto promtius aſſecuturum gloriam militarem, quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præſtitiſſet.*

XI. *Caius Caligula.*

*Cajus Cæſar*, a militari calceamento *Caligula* dictus, *Germanico* & *Agrippina* genitus, Tiberio ſucceſſit. Princeps crudelitate, libidine, & multis vitiis infamis, poſt exhauſtas immenſas opes, cum graſſaretur per ordinum omnium cædes, & pro deo coli ſe toto orbe terrarum juberet, a Chærea aliiſque interfectus eſt.

XII. *Claudius Nero*, *Caji* patruus & *Germanici* frater,
*Claudius.* poſt *Cajum* Imperio præfuit; homo natura minime malus, ſed vecors ac ſtolidus, qui omnia pro libertorum & ſervorum libidine geſſit. Britanniam domuit, *Meſſalinam* uxorem ob ſtupra necari juſſit, ductaque *Agrippina* nepte, illius ex *Domitio* filium Neronem, præterito filio *Britannico*, ſibi ſucceſſorem deſtinavit; & paulo poſt veneno ſublatus eſt, cum *Britannicum* & *Octaviam* ex *Meſſalina* liberos haberet.

*Domitius Nero*, a *Claudio* adoptatus, initio ſic
XIII. geſſit Imperium, ut inter bonos Principes haberi po-
*Nero.* tuerit; poſt ætatis licentia corruptus in omnia probra ac dedecora ruit. Matrem *Agrippinam*, uxores *Octaviam* & *Poppæam*, *Senecam* præceptorem, alioſque cognatione proximos necavit; tum inviſus omnibus cum ad necem quæreretur, ipſemet carnificis officium occupavit.

Quamvis *Cajus*, *Claudius*, & *Nero* poſt Actiacam victoriam nati ſunt, cum tamen & Romæ rerum potiti ſint, & ad gentem Juliam pertineant, non alienum fore putavi, ſi de aliis hæc pauca adderem, quorum etiam effigiem a Suetonio expreſſam hic ſubjicere libitum eſt; primum *Caji*; deinde *Claudii*, tum *Neronis*. Cajus *ſtatura fuit eminenti, pallido colore, corpore enormi, graciliate maxima cervicis & crurum, & oculis & temporibus concavis, fronte lata & torva, capillo raro ac circa verticem nullo, hirſutus cætera .... vultum vero natura horridum ac tetrum, etiam ex induſtria efferabat, componens ad ſpeculum in omnem terrorem ac formidinem.* Claudio *auctoritas dignitaſque formæ non defuit vel ſtanti, vel ſedenti, ac præcipuo quieſcenti. Nam & prolixo nec exili corpore erat; & ſpecie canitieque pulchra, opimis cervicibus. Cæterum & ingredientem deſtituebant poplites minus firmi, & remiſſe quid vel ſerio agentem multa dehoneſtabant.*

*Ri-*

*Riſus indecens, ira turpior, ſpumante rictu, humentibus naribus; præterea linguæ titubantia, caputque cum ſemper, tum in quantulocunque auctu vel maxime tremulum.* Nero *ſtatura fuit pene juſta, corpore maculoſo & fœdo, ſubflavo capillo, vultu pulcro magis quam venuſto; oculis cæſiis & hebetioribus, cervice obeſa, ventre projecto, gracillimis cruribus, valetudine proſpera.*

## C A P U T XIV.

### *Gens Junia.*

I.
DE *Junia* gente, cui *Bruti* cognomen adhæſit, *Gentis*
Poſſidonium inter & Dionyſium non convenit. *Juniæ*
Vult enim ille apud Plutarchum *L. Bruto*, qui Re- *familiæ.*
ges exegit, filium fuiſſe ſuperſtitem, hic negat: cui cum aſſentiantur plerique omnes, non temere dixerim duplicem fuiſſe *Juniorum* gentem, unam patriciam, plebejam alteram, utramque nobilem, illam expulſis Regibus, hanc occiſo C. Cæſare. Patricia deſiit in *L. Bruto* primo Conſule, qui filios, quod faverent Tarquiniis, ſecuri percuti juſſit an. Urbis 244. Plebeiæ multa fuerunt cognomina, *Bruti*, *Bubulci*, *Callaici*, *Norbani*, *Penni*, *Peræ*, *Pulli*, *Scævæ*, & *Sillani* quorum clariſſimos quoſque breviter indicaſſe ſatis erit.

E *Juniis Peris* duo illuſtres fuerunt, alter *Decimus* Conſulatu an. 487. & de Meſſapiis triumpho, II. *Junii*,
alter *Marcus* Conſulatu anno 523. Cenſura & Dictatura clarus. *Peræ* *Penni*,
E *Pennis* unus *Marcus* Conſul an. 5[illegible]. *Pulli*.
e *Pullis Lucius* an. 504. qui ob neglecta auſpicia claſſem amiſit: e *Norbanis Cajus* an. 670. qui a Sylla victus eſt: e *Bubulcis* duo *Caji* pater & filius, ille tribus Conſulatibus anno 436. 440. 442. duabus Dictaturis, totidem triumphis de Samnitibus & Æquis, Cenſuraque clariſſimus; hic duplici Conſulatu an.

452. & 467. & de Lucanis triumpho inſignis.

III. *Junii Brut.* Ita confuſum *Juniorum* ſtemma, ut *Decimi* & *Marci Brutorum*, qui in C. Cæſarem conſpirarunt, parentes ex factis vix aſſignari poſſint. *Decimi* avus fuit, ut eſt conjectura, *Decimus* ille *Brutus*, qui Conſul an. 615. & proconſul Luſitanos & Gallæcos ad Oceanum uſque ita perdomuit, ut inde & triumphi decus & *Callaici* cognomen retulerit. Pater *Decimus* Conſul an. 677. vir literis Græcis juxta & Latinis eruditus. Ipſe *Decimus* a Poſthumio Albino adoptatus a Cæſaris partibus ſtetit, cujus legatus in Gallia fuerat; poſt illius cædem diu Mutinæ ab Antonio obſeſſus, ab Octavio quidem liberatus eſt, ſed paulo poſt deſertus a ſuis ad Aquilejam juſſu Antonii interficitur.

IV. *M Bruti familia.* *Marci* vero pater fuit *Marcus*, *Decimi* an. 676. Conſulis (niſi falſus ſum) frater, qui Prætor Galliam Ciſalpinam nomine Lepidi Conſulis cum occupaſſet, Mutinæ a Cn. Pompejo obſeſſus, metu ne a ſe deficerent milites, ſuaque illi permiſit, cujus tamen imperio continuo poſt cæſus eſt. Ex *Servilia* M. Catonis ſorore M. *Brutum* ſuſceperat, duaſque *Junias*, quarum altera *M. Lepido* Triumviro, altera *C. Caſſio* nupſit. *M. Brutus* morum integritate, elegantia ingenii, & literarum ſtudio cum Ciceroni, tum optimo cuique chariſſimus, in diſſenſione civili Pompeji partes ſecutus eſt; illum tamen Cæſar non modo ſervavit, ſed evexit ad honores, illique inter amicos primas detulit. Quorum beneficiorum *Brutus* immemor amore patriæ in eum conjuravit, eoque cæſo, occupata Macedonia, vicit quidem ad Philippos Octavium, ſed iterato poſt unum circiter menſem prælio, victus mortem ſibi conſcivit. Uxor illi fuit *Porcia* M. Catonis filia.

CA-

# CAPUT XV.

## *Gens Licinia.* I.

*Gentis Liciniæ familiæ.*

GEntis *Liciniæ*, quæ plebeja fuit, tres tantum familias, quæ aliis longe præſtiterunt, perſequemur; *Craſſos*, *Lucullos*, & *Murænas*.

II. *Craſſorum origo.*

Hujus familiæ princeps fuit *P. Craſſus*, qui etiam tum juvenis creatus eſt Pontifex Maximus; aliquanto poſt Conſul anno 548. cum Annibale bellum geſſit; denique Cenſor: vir omnibus naturæ fortunæque donis inſtructus, nobilis, dives, forma corporis excellens, facundus, duobuſque auctus filii *Cajo* & *Marco*, a quibus duæ *Craſſorum* familiæ propagatæ ſunt. Primum *Caji*, tum *Marci* nepotes explicabimus.

III. *Licinii Craſſi.*

*Cajus* itidem ut pater duos filios genuit, *Publium* & *Cajum*, utrumque Conſulem, illum anno 582. hunc 585. *Cajus* ex Conſulatu ſortitus Macedoniam vario marte bellum cum Perſe geſſit; nam primo prælio victus, ſecundo victor multas in Græcia urbes expugnavit. Ab ejus filio *Publio* ex gente Mutia in Liciniam adoptatus eſt *P. Craſſus Mutianus*, qui & Pontifex Maximus & Conſul anno 622. contra Ariſtonicum in Aſia cum bellum gereret, victus occubuit. Ejus filiarum altera C. *Sulpicio Galbæ*, altera *G. Graccho* nupſit.

IV. *L. Craſſus orator.*

*L. Craſſus*, orator ille quem in libris *de Oratore* loquentem inducit Cicero, cum Q. Mutio Conſul anno 658. Galliam obtinuit; cum Cn. Domitio Cenſor. In Philippum Conſulem cum paulo acrius invectus eſſet, latus dicenti condoluit, & febri correptus ſeptimo die lateris dolore conſumtus eſt. Ex *Mutia* duas filias ſuſcepit, unam *C. Marii*, alteram *Scipionis Naſicæ* uxorem; quæ cum duos mares peperiſſet, *Craſſus* eorum alterum *L. Licinium Craſſum*

*Scipionem* adoptavit. Quo patre natus ſit *Craſſus* orator, nemo, qnod in tanto viro mirum eſt, memoriæ prodidit. In faſtis Capitolinis diverſum prænomen illius patri affingitur, apud Sigonium *Lucius*, apud Pighium *Publius*. Quid certi ſuper hac re dicam, nihil habeo: ſi tamen conjectura uti licet, illum *Publii Craſſi* anno 582. Conſulis, de quo Paulo ante, ex filio nepotem fuiſſe ſuſpicor. In avo enim Publio omnes conſentiunt, in patre non item; quia ille vel juvenis deceſſit, vel nullo, quod verius putem, magiſtratu functus eſt, ideoque illius prænomen ignotum. Illius eloquentiam & dicendi genus his verbis expreſſit Cicero in Bruto: *Erat ſumma gravitas, erat cum gravitate junctus facetiarum & urbanitatis oratorius, non ſcurrilis lepos; latine loquendo accurata & ſine moleſtia diligens eloquentia, in diſſerendo mira explicatio; cum de jure civili, cum de æquo & bono diſputaretur, argumentorum & ſimilitudinum copia ........ Non multa jactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra ſupploſio pedis: vehemens & interdum irata & plena juſti doloris oratio; multæ & cum gravitate facetiæ, quodque difficile eſt, idem & perornatus & perbrevis.*

V. *M. Craſſus Dives.*

*M. Craſſus Publio* hujus familiæ principe genitus pronepotem habuit *Marcum*, qui quod nunquam ridere viſus ſit, αγέλαςτος vulgo dictus eſt; cujus filius *P. Craſſus* cognomento *Sapiens*, Conſul anno 656. de Luſitanis triumpho, & Cenſura nobilis in bello civili Marii & Syllæ, ne in hoſtium veniret poteſtatem, ſibi mortem conſcivit. Duo illi fuerunt filii, *Publius*, qui una cum ipſo perit, & *M. Craſſus* Romanorum omnium ditiſſimus, qui poſt duplicem & ovationem & Conſulatum an. 683. & 698. inita cum C. Cæſare & Cn. Pompejo ſocietate, bellum Particum ſortitus eſt, in quo cum male pugnaſſet, exercitum cum filio *Publio* amiſit: demum

mum ipſe per ſpeciem colloquii ab hoſte circumventus occiditur.

VI. *Craſſi divitis familia.*

*Marci* divitis filius alter in bello civili Galliæ Ciſalpinæ nomine Cæſaris præfuit. Nepos ſub Auguſto Conſul anno 723. de Thracibus & Getis triumphavit; pronepos etiam Conſul anno 739. abnepos vero, cui prænomen *Marcus* ut aliis, cognomen vero *Frugi*, ſub Tiberio Conſul an. 779 quatuor ex Scribonia filios ſucepit, *Cn. Pompejum Craſſum* Claudii generum, *M. Craſſum Scribonianum Frugi* Conſulem anno 816. *L. Craſſum Scribonianum* & *Piſonem Licinianum* adoptatum a Galba. *Cneus* a Claudio, *Marcus* a Nerone, *Piſo* ab Othonis militibus cæſus eſt, *Lucius* oblatum ab Antonio duce in Vitelliana diſſenſione imperium repudiavit.

VII. *Licinii Luculli.*

E *Lucullis* tres & honoribus & victoriis clari perhibentur. *Lucius* Conſul an. 602. Vaccæos Cantabroſque domuit, cujus ex filio nepotes fuerunt *Lucius* & *Marcus*, uterque in bellos tum Mithridatico tum civili Syllæ legatus; uterque Conſul, ille anno 679. hic 680. uterque triumphalis, ille ex Aſia, hic ex Macedonia. *Lucii* tamen major fuit & virtus & gloria; ſæpe enim Mithridatem & Tigranem exigua manu vicit, villarum magnificentia, conviviorum ſumtu, & veſtium numero Romanos omnes longe ſuperavit. Ex *Servilia* Catonis ſorore illi natus eſt *Marcus*, qui Antonii juſſu poſt Philippenſem victoriam interfectus eſt.

VIII. *Licinii Murænæ.*

*L. Murænæ* duo tantum illuſtres memorantur, alter triumpho, alter Conſulatu inſignis. *Lucius*, cujus pater avuſque prætorii, & ipſe prætorius, miſſus a Sylla Mithridatem repreſſit, eoque nomine triumphavit. Duo illi filii fuerunt, *Lucius* & *Marcus*. Bis in Mithridatem arma geſſit *Lucius*, ſemel ſub patre, iterum Luculli legatus; deinde deſignatus Conſul an. 691. a Catone aliiſque ambitus crimine poſtulatus, a Cicerone tum Conſule ea

ora-

oratione, quam etiam nunc præ manibus habemus, ita defenſus eſt, ut honeſtiſſime abſolutus ſit. Galliam paulo poſt ſortitus *Marcum* fratrem legatum habuit.

## CAPUT XVI.

### *Gens Livia.*

I. *Livii Salinatores.* L*Iviæ* gentis tres familiæ & cognomina fuerunt, *Denter*, *Salinator*, *Druſus*. E *Denteribus* Conſul fuit *Cajus* an. 451. e *Salinatoribus* duo *Marius* & *Cajus*. Ille duplici Conſulatu anno 534. & 546. totidem triumphis & Cenſura nobilis. Illyricos enim domuit & Aſdrubalem Annibalis fratrem cum exercitu ad Metaurum cecidit. Ejus filius Conſulatum anno 565. adeptus eſt.

II. *Livii Druſi.* *Druſi* tum Conſulatus honore tum Tribunatu plebis celebres extitere. *M. Livius*, cæſo hoſtium duce *Drauſo*, *Druſi* cognomen ſibi ſuiſque invenit; cujus filius *Cajus*, cum Scipione Æmiliano Conſul anno 606, cæcus ille forte fuit, de quo Valerius l. 8. c. 7. Duos filios habuit *Marcum* & *Cajum*, alterum altero longe illuſtriorem. *Cajus* quidem non indiſertus fuit; ſed *Marcus* ingenio, eloquentia, divitiis pollens, Tribunus plebis cum Senatus partes contra C. Gracchum tueretur, Senatus patronus appellatus eſt: unde ad ſummos honores evectus, aliquanto poſt Conſulatu an. 641, de Scordicis triumpho, & Cenſura enltuit. Tribunatus, quem *Marcus* ejus filius geſſit, læta quidem initia, ſed cum ipſi, tum univerſæ Italiæ funeſtus exitus fuit. Illum enim pro auctoritate Senatus cum ſuſcepiſſet contra equeſtrem ordinem, videretque ſibi non meritam a Patribus gratiam rependi, Latinis civitatem pollicitus eſt; unde & ſociale bellum exarſit, & ipſe in atrio domus cultro percuſſus intra

pau-

paucas horas exſpiravit. Cædis invidia penes Cæpionem & Philippum Conſulem fuit. Illius forte nepos fuit *Marcus* iſte *Druſus Libo* Conſul ſub Auguſto anno 738.

## CAPUT XVII.

### *Gens Lutatia.*

GEns *Lutatia*, plebeja quidem, ſed victoriis clara fuit. Quatuor enim *Lutatii* maxima bella confecerunt; unus Punicum primum, alter Phaliſcum, tertius Cimbricum, quartus civile Marium inter & Syllam. Bello Punico primo duo *Lutat* floruerunt, *Cajus* & *Quintus*, cognomento ille *Catulus*, hic *Cerco*; ambo fratres, ambo Conſulatu, victoria, & triumpho prope pares. Ille enim Conſul anno 511. & anno ſequenti Proconſul tanta clade Pœnos navali prælio affecit, ut ad duriores pacis conditiones adegerit; hic Conſul anno 512. Phaliſcos domuit: quare uterque triumphum, ille navalem de Pœnis, hic de Phaliſcis terreſtrem egit. *C. Catuli* abnepos *Q. Catulus* una cum C. Mario & Conſul fuit an. 651. & Proconſul Cimbros ad internecionem delevit, & in diſſenſione civili candentium carbonum vapore extinctus eſt. *Quintus* ex eo genitus M. Lepidum anno 675. in Conſulatu Collegam acta Syllæ reſcindere conantem, & vicit ad Urbem, & victum Italia expulit, & aliquanto poſt Cenſor Capitolium dedicavit. I. *Lutatii.*

## CAPUT XVIII.

### *Gens Manlia.*

GEns *Manlia*, quæ jam inde ab Urbis incunabulis illuſtris fuit, in tres familias, *Cincinnatos*, I. *Gentis Manliæ familiæ.*

*natos*, *Acidinos*, & *Vulſones* tribui poteſt. *Cincinnati* quod in Capitolio habitarent, *Capitolini*, deinde *Imperioſi*, tum *Torquati* dicti ſunt. Ex *Acidinis* Conſul unus *L. Acidinus* anno 574. ex gente Fulvia adoptatus; *Vulſonibus*, qui quod e *Cincinnatis* traxerint originem, *Capitolini* etiam vocantur, quatuor Conſulatu, unus ovatione, duo triumpho inſignes fuerunt. *Aulus* Conſul anno 279. de Vejentibus ovationem, *Lucius* bis Conſul anno 497. & 503. de Pœnis triumphum navalem, Cneus illius nepos Conſul an. 564. de Gallo-græcis terreſtrem retulit: minor *Auli* fratris gloria, qui in Conſulatu anno 575. contra Iſtros bellum gerens, caſtra, quæ ſua temeritate amiſerat, virtute militum recuperavit.

II. *Manlii Capitolini*. *Manliorum* tum *Capitolinorum* tum *Torquatorum* ſtemma ſic commode ex faſtis aliiſque primæ claſſis auctoribus explicari poteſt. *Cn. Manlio Cincinnato* an. 273. Conſuli filius fuit, *Aulus Capitolinus Vulſo*, de quo paulo ante diximus, a cujus liberis *Manlii* tum *Vulſones* tum *Capitolini* propagati ſunt *Aulus* tres liberos genuit rebus geſtis clariſſimos, *Aulum* quater Tribunum militarem, *Titum* Tribunum militarem, & *Marcum* Conſulem an. 361. & triumphos de Æquis nobilem, qui cum novis rebus ſtudere diceretur, e ſaxo Tarpejo, quod contra Gallos fortiter defenderat, in præceps actus eſt.

III. *Manlii Torquati*. *Aulus* filium habuit *Lucium* Dictatorem, cui gemina ſoboles contigit, *Cn. Imperioſus* & *Ti. Torquatus*. Ille bis Conſul fuit an. 394. & 396. hic ter an. 406. 409. & 413. ter etiam Dictator qui cum Gallum ſingulari certamine viciſſet, ab illius torque *Torquati* cognomen ſibi ſuiſque poſteris peperit, *Titumque* filium, quod præter mandatum pugnaſſet, ſecuri percuti juſſit. Ex eo tamen nepotem habuit *Titum* an. 454. in Conſulatu mortuum,

& ab-

& abnepotes *A. Manlium Atticum*, & *Titum*, utrumque duplici Conſulatu, Cenſura, & triumpho clariſſimos. *Aulus* Conſul anno 509. & 512. *Titus* an. 518. & 529. ille de Phaliſcis, hic de Sardis triumphavit; *Titus* præterea Dictator comitiorum cauſſa creatus eſt. *Tito* duo etiam nepotes ex *Aulo* filio fuerunt, ambo Conſules, *Aulus* an. 589. & *Titus* an. 588. qui filium a D. Silano adoptatum, cum a Macedonibus accuſaretur, damnavit. *Lucius* ejus filius tres nepotes habuit, *Titum Lucium*, & *Aulum*, Ciceronis amicos; *Lucio* enim referente, Imperator a Senatu appellatus eſt. Conſul ille fuit an. 688. paterque *L. Manlii*, qui Syllam conjurationis Catilinæ poſtulavit, & aliquanto poſt in bello Africano contra Cæſarem petiit.

## CAPUT XIX.

### *Gens Maria.*

I. *Mari*

C. *Marius*, Arpini humili loco natus, virtute militari ſummos honores adeptus eſt: vir, ſi quis unquam, bellicis operibus illuſtris, duo maxima bella confecit, Jugurthinum & Cimbricum; ſeptem geſſit Conſulatus anno 646. 649. &c. bis triumphavit, ſemel de Jugurtha, iterum de Cimbris, Teutonibus, & Ambronibus, Jugurtham enim ſæpius victum a Boccho, ad quem fugerat, proditum in triumpho duxit; Teutones & Ambrones ad Aquas Sextias ſolus, Cimbros ad Vercellas cum Catulo occiſione delevit: at dum bellum Mithridaticum L. Syllæ per Sulpicium eripere conatur, Urbe pulſus, poſt errores varios in Africam appulit; unde a Cinna revocatus ſeptimum Conſulatum an. 667. invadit, in quo nimia crudelitate in cives graſſatus obiit. Ex *Julia* C. Cæſaris amita duos ſuſcepiſſe filios dicitur. *C. Marium* & *Teleſinum*; id tamen

non

non liquet: ſunt enim qui ipſius non filios, ſed ex ſorore nepotes eſſe velint. Ut ut eſt, *C. Marius* junior Conſul an. 671. ad Sacriportum a Sylla victus Præneſte refugit, unde per cuniculos dum tentat erumpere, una cum fratre *Teleſino* cæſus eſt. Fuerunt etiam *Marii Gratidiani* Ciceronis & amici & affines.

## CAPUT XX.

### *Gens Marcia.*

I. *Gentis Marciæ familiæ* *Marciorum* alii patricii, alii plebeji fuerunt. Patriciorum cognomen nullum, niſi forte *Coriolani*; plebejorum multiplex, *Rutili*, *Cenſorini*, *Reges*, *Figuli*, *Philippi*, &c. Patricii a *Numa* & *Anco Marcio* Regibus traxiſſe originem dicuntur, e quibus præſtitit *Marcus* ille *Coriolanus*, primum fortiudine, tum ſuo & in patriam odio & in matrem amore notiſſimus.

II. *Marcii Rutili & Cenſorini.* C. *Rutilo* cum multi honores delati ſunt, quatuor Conſulatus an. Urbis 393. 401. 409. 411 & duo triumphi, alter de Privernatibus, alter de Tuſcis: tum honos ille plane ſiugularis, quod primus e plebe & Dictator & Cenſor creatus ſit. Minor quidem *Caji* illius filii gloria, ſed modeſtia major. Conſulatu enim anno 443. & paulo poſt Cenſura perſunctus, cum Cenſor iterum crearetur, hanc dignitatem non reſpuit modo, ſed legem tulit, ne cui hunc magiſtratum bis ambire liceret: unde *Cenſorini* cognomen tum ipſi, tum ipſius poſteris inditum eſt. Illius abnepos *Lucius* an. 604. cum Manilio Conſul, initio belli Punici tertii Carthaginem oppugnavit. Duo etiam ſub Imperatoribus *Caji Cenſorini* Conſules produntur; alter an. 714. alter 745. ille præterea ex Macedonibus triumpho nobilis.

E *Marciis Regibus* duo Conſules, totidem e *Figulis* memorantur. *Regibus Quintus*, *Figulis Cajus* prænomen fuit. *Regum* alter an. 635. alter 683. Conſulatum geſſit; & ille de Stœnis (gens erat Alpina) triumphavit. *Figulorum* alter alterius avus fuit; avus duplici Conſulatu an. 591. & 597. & de Dalmatis victoria, nepos uno tantum Conſulatu anno 689. illuſtris. III. *Marcii Reges*

*Philipporum* ut plures Conſulatus, ita major gloria fuit. Quatuor Conſulatus adepti ſunt, quorum duo primi *Quinti*, alii *Lucii* dicti ſunt. Primus eſt *Quintus* ille Conſul an. 472. qui de Etruſcis triumphavit; eujus nepos duplici Conſulatu an. 567. & 584. & Cenſura clarus extitit, clarior aliquanto futurus, niſi in primo Conſulatu contra Ligures male pugnaſſet. *Lucii* ejus ex filio nepotes an. 666. Conſulis nomen longe illuſtrius, non militari quidem ſcientia, ſed eloquentiæ laude, qua M. Antonio & L. Craſſo haud multo inferior fuit. Cenſor aquæ *Marciæ* ductum reſtituit; ejus filius Conſul an. 697. ex *Marcia* & *M. Catonis*, & *Hortenſii* oratoris ſocer; ex *Accia* conjuge vitricus *Auguſti Cæſaris*, uti diximus in gente *Julia*. De *L. Philippo* oratore ita Cicero in Bruto: *Erat in* Philippo *ſumma libertas in oratione, multæ facetiæ, ſatis creber in reperiendis, ſolutus in explicandis ſententiis: erat etiam imprimis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis inſtitutus, in altercando cum aliquo aculeo & maledicto facetus.* IV. *Marci Pilippi.*

## CAPUT XIX.

### *Gens Mucia.*

MUciorum *gens* quæ plebeja, una fuit, familiæ duæ, quibus & *Scævolæ* cognomen datum eſt, & duo ſingularia fuerunt; alterum, jus civile profiteri; I. *Muciorum origo*

teri; alterum, Cenſuram nunquam petiiſſe. Gentis princeps *Q. Mucius Scævola* Prætor an. 538. duos habuit filios, *Quintum* & *Publium*, a quibus facta ſunt gentis duas in familias divortia.

*Quinto*, qui Conſul an. 579. contra Ligures rem

II. *Mutiorum prima familia.* maie geſſit, ex filio *Quinto* nepos fuit *Q.* ille *Mucius*, cognomento *Augur*, Conſul an. 636. C. Lælii Sapientis gener, & L. Craſſi oratoris ſocer, quem tum in lib. 1. *de Oratore*, tum in lib. *de Amicitia* loquentem inducit Cicero. Ejus filius *Quintus*, & ipſe dictus *Augur*, peritiſſimus juris & percomis eſt habitus.

III. *Secunda.* *Publius Quinti*, de quo paulo ante, frater natu major Conſul an. 578. duos ſuſcepit filios, *P. Mucium* & *P. Craſſum Mucianum*, qui in gente *Licinia* adoptatus contra Ariſtonicum periit, uti diximus. *P. Mucius* an. 620. quo Tib. Gracchus cæſus eſt, Conſul, & aliquanto poſt Pontifex Maximus, pater fuit *Q.* illius *Scævolæ*, cognomento *Pontificis*, qui L. Craſſi oratoris fuit tum in Prætura tum in Conſulatu collega, Aſiamque Prætor tam ſancte adminiſtravit, ut & aliis tanquam forma & exemplum juſti imperii proponeretur, & in illius honorem feſtum, cui nomen *Mucia*, ab Aſianis inſtitutum ſit. In civili bello a L. Damaſippo cæſus eſt. Primum *Q. Augurem*, deinde eo mortuo *P. Pontificem* audivit Cicero, ut ipſe teſtatur.

## CAPUT XVII.

### *Gens Octavia.*

I. *Octavii plebeji.* OCtaviorum familia Velitris olim præcipua inter patricias a Servio Tullio allecta quidem eſt, ſed aliquot annis poſt ad plebem ſe contulit. C. *Octavius Rufus* quæſtorius *Cneum* & *Cajum* procreavit,

creavit, a quibus duplex Octaviorum familia deſluxit, conditione diverſa: ſiquidem *Cneus* & deinceps ab eo reliqui omnes ſummis functi ſunt honoribus; at *Cajus* ejuſque poſteri in equeſtri ordine conſtitere, uſque ad *Auguſti* patrem, qui ex Prætura Macedoniam ſortitus illam non minore juſtitiæ, quam fortitudinis laude adminiſtravit, uti diximus in gente *Julia*.

*Cneus*, *Cajo* genitus, cum Sardiniam Prætor obtineret, dum *Africanus* major in Africa bellum gerit, maris littora fortiter tutatus eſt. *Cneus* ejus filius Conſulatu an. 589. & triumpho de Perſe multo illuſtrior. Perſen enim a L. Paulo jam victum Prætor ceperat; & aliquanto poſt Legatus ad Antiochum Laodiceæ Syriæ occiſus eſt. Ex duobus illius filiis *Cneus* Conſul fuit an. 625. *Marcus* non item; ſed utrique filii Conſules fuerunt, *Marco* *Cneus* an. 677. *Cneo* vero *Cneus* & *Lucius*, ille an. 666. hic 678. *Cneus* cum L. Cinnam in Conſulatu collegam Urbe expuliſſet, paulo poſt illius juſſu interfectus eſt. II. *Octavii Patricii.*

## C A P U T XXIII.

### *Gens Pompeja.*

I. *Pompejæ gentis familiæ.*

Pompejorum, ſi Vellejo credimus; tres familiæ fuerunt; una *Nepotum*, altera *Ruforum*, tertia *Pompeji Magni*: omnes plebejæ quidem, ſed geſtis honoribus nobiles.

I. *Pompeji Nepotis.*

*Q. Pompejus* cognomento *Nepos*, qui tibicinis, ut tum ferebantur, filius erat, ex hoc ſtemmate primus Conſulatum an. Urbis 612. adeptus eſt; Hiſpaniamque ſortitus turpe cum Numantinis, a quibus victus fuerat, fedus pepigit: populi tamen favore non abſolutus modo eſt, ſed creatus etiam aliquanto poſt Cenſor cum Q. Metello Macedonico,

qui & ipſe plebejus; quod nondum contigerat. Quot liberos habuerit, obſcurum eſt; certum tamen illius nepotes fuiſſe *Sextos* illos *Pompejos*, qui ſub Auguſto Conſules memorantur, alter an. 712 alter 766. quo Auguſtus obiit; ille Ovidio, hic Valerio Maximo amiciſſimus. An eadem ex ſtirpe fuerit *Cn.* ille *Pompejus*, qui an. 722. Conſulatum geſſit, incertum eſt: nec enim ipſius cognomen, nec patris nec avi prænomen apponitur.

III. *Pompeji Rufi.* *Q. Pompejus Rufus*, Syllæ in Conſulatu anno 665, collega, una cum filio in diſſenſione civili periit, ipſe Pompeji Strabonis fraude, Sulpicii vero Trib. plebis inſidiis filius, qui jam ex *Cornelia* Syllæ filia tres liberos genuerat, *Pompejam* a C. Cæſare ob adulterii cum Clodio ſuſpicionem repudiatam, & duos *Quintos*; quorum alter Prætor fuit Cicerone Conſule, alter Trib. plebis eo anno, quo Clodius, cui favebat, a Milone cæſus eſt. *Q. Rufus* habuit etiam ex *Aulo* fratre nepotem *Q. Pompejum Bithynicum*, Ciceroni amicitia conjunctum, qui in Ægypto, dum claſſis Pompeji Magni diripitur, interfectus eſt.

IV. *Pompeji Magni.* *Sex. Pompejo* duo filii fuerunt, *Sextus* & *Cneus*; Ille Juris civilis, Geometriæ, & Stoicæ diſciplinæ ſtudio totus incubuit; hic a perverſis oculis *Strabo* vulgo dictus, orto bello ſociali, primum Legatus, deinde Conſul an. 664. præcipuum contra Latinos victoriæ decus meruit, at paulo poſt de cœlo tactus periit. Vir ſuis quidem clarus victoriis, ſed filii gloria longe clarior: pater enim fuit *Cn. Pompeji*, qui ob res præclare geſtas a Sylla *Magnus* appellatus eſt. Marium ille vicit, Carinatem & Carbonem in Italia, Hieram Numidarum Regem & Domitium in Africa, Sertorium & Perpennam in Hiſpania, Piratas Ciliciæ in mari Mediteraneo, in Aſia minori Mitridatem, in Syria Antiochum Comagenum & Ariſtobulum. Unde tres egit triumphos,

unum

unum ex Africa, alterum ex Hiſpania etiam tum eques, tertium ex Aſia jam conſularis; tres etiam geſſit Conſulatus an. 683. 691. & 701. primum & ſecundum cum M. Craſſo divite, tertium ſolus; ſed poſt tot trophæa vir Romanorum longe clariſſimus, cum nec ipſe parem, nec ſuperiorem Cæſar ferre poſſet, orto bello civili ad Pharſalam victus, juſſu Ptolemæi Regis, ad quem confugerat, interficitur. Ex quinque, quas duxerat, uxoribus, *Antiſtia*, *Aemilia* privigna Syllæ *Mutia*, *Julia* Cæſaris, & *Cornelia* Scipionis filia, una *Mutia* liberos peperit, duos mares, *Cneum* & *Sextum*, fœminam *Pompejam*, quæ primum *Fauſto Syllæ*, deinde *Q. Servilio Cæpioni* nupſit. *Cneus* & *Sextus* ut virtute, ita rebus geſtis patri longe impares, ad Mundam Hiſpaniæ oppidum a Cæſare victi ſunt, & *Cneus* in fuga cæſus; *Sextus* vero fratri ſuperſtes, occupata Sicilia, Octavii Cæſaris duces navalibus præliis ſæpe vicit, ſed tandem deſertus a ſuis a Titio in Aſia necatus eſt, cum ex *Scribonia Pompejam* M. Marcello deſponſatam ſuſcepiſſet.

## CAPUT XXIV.

### *Gens Porcia.*

Porciæ gentis princeps fuit, *M. Porcius* cognomento *Priſcus*, Tuſculo (Latii oppidum erat) oriundus; qui & a ſapientia *Cato*, & a Cenſura *Cenſorius* vulgo dictus eſt. Invitatus in Urbem a Valerio Flacco, aliquanto poſt cum ipſo & Conſulatum an. Urbis 558. & Cenſuram geſſit. Proconſul ex Hiſpania triumphum, legatus victoriæ de Antiocho ad Thermopylas præcipuam laudem retulit. Duas duxit uxores, *Liciniam* juvenis, jam ſenex *Saloniam*, ex quibus duos filios procreavit; alterum ex altera. Utrique *M. Cato* proprium nomen

I. *Cato cenſorius.*

 fuit;

fuit; ſed natu majori a matre *Licinia Liciniani* minori a *Salonia Saloniani* cognomen adhæſit: ab his duæ *Catonum Licinianorum* & *Salonianorum* familiæ propagatæ ſunt.

*M. Cato Licinianus*, qui Prætor deſignatus ante

II. *Porci Catones Liciniani.* patrem deceſſit, & ex *Aemilia* L. Pauli, qui Perſen vicit, filia ſuſcepit *Marcum* & *Cajum Catones*, utrumque Conſulem; illum an. *635.* hunc anno *639.* ſed utriuſque Conſulatus infelix. *Marcus* enim in Africa periit, *Cajus* vero adverſus Scordiſcos cum male pugnaſſet, Taraciniam in exilium pulſus eſt; *Marci* filius *M.* ille *Cato*, qui obiit in Gallia prætorius.

*M. Catoni Saloniano*, qui Imperator mortuus eſt,

III. *Saloniani.* duo filii nati ſunt, *Marcus* & *Lucius*, qui Conſul an. *666.* dum contra Italos ad lacum Fucinum pugnat, Marcii junioris fraude, ut eſt conjectura, occubuit. *Marcus* tribunitius cum Præturam peteret, mortuus, ex *Livia* Livii Druſi Tribuni plebis filia *M. Catonem* & *Porciam L. Domitii* conjugem reliquit. *M. Cato* fuit *Uticenſis* ille, eximium *Porciæ* gentis decus, vita morumque integritate clariſſimus, qui poſt Præturam Pompejum contra Cæſarem ſecutus, victis partibus, Uticæ ſibi mortem conſcivit. Ex *Marcia*, quam poſt Atiliam duxerat, duos liberos habuit, *M. Catonem*, qui in acie Philippenſi cecidit, & *Porciam*, quæ primum *Bibulo* nupſit, deinde *M. Bruto*.

## CAPUT XXX.

### *Gens Quinctia.*

I. *Quinctiæ gentis familiæ.* QUinctia gens, Alba diruta, a Tullio Rege inter patrias cooptata (hic enim de plebeja non agimus) quatuor potiſſimum familias complexa eſt, *Capitolinos*, *Cincinnatos*, *Flamininos*, & *Criſpinos*; e qui-

e quibus, brevitatis cauſſa, rebus geſtis clariſſimos-
quoſque tantum proferemus.

E *Capitolinis* duo maxime inſignes; quorum al- II.
ter *Barbatus Capitolinus* ſexies Conſul an. 285. *Quinctii*
de Volſcis, Antiatibus, & Æquis victor triumpha- *Capitoli-*
vit; alter *Titus* & Conſul an. 332. & aliquanto poſt *ni*.
Tribunus militaris.

E *Cincinnatis Lucius* ad Conſulatum ab aratro III.
vocatus an. 283. duas Dictaturas poſtea geſſit; qua- *Cincin-*
rum in prima Minucium Conſulem liberavit, & de *nati*.
Æquis ſub jugum miſſis triumphavit; in altera vero
Sp. Melium dixit a Servilio Abala jure cæſum. E
quatuor, quos ſuſceperat, filiis *Lucius* ter Tribunus
militaris fuit, ſemel Magiſter equitum; *Titus* vero
bis Conſul contra Vejos male pugnavit. Illuſtrius
*Titi* illius filii nomen duplici Tribunatu militari,
Dictatura, de Præneſtinis & victoria & triumpho.
Duos ille *Titos* genuit, quorum alter Conſul
an. 402.

Alter *T. Pennus Criſpinus* Conſul an. 398. de IV.
Gallis triumpho clarus *Criſpinorum* familiæ princeps *Criſpini*.
extitit. Illius abnepos *T. Criſpinus* M. Marcelli an.
545. in Conſulatu collega inſidiis Annibalis una cum
Marcello deprehenſus ex vulneribus paulo poſt obiit.
*Lucius* ex eo genitus de Luſitanis & Celtiberis trium-
pho Proprætor enituit. Duo præterea *T. Criſpini*
Conſulatum ſub Auguſto adepti ſunt, alter an. 744.
an. 759. alter.

E *Flamininis* quatuor Conſules fuiſſe perhiben- V.
tur, quorum primi duo fratres *Titus* & *Lucius*, am- *Flamini-*
bo quidem Conſules, ille an. 555. hic 561. ſed lon- *ni*.
ge diſpari gloria. *Lucius* enim ob libidinem a M.
Catone Cenſore Senatu motus eſt; *Titus* vero ex
Quæſtura, quod ipſi ſingulare fuit, Conſul Philip-
pum Macedoniæ Regem ſemel atque iterum vi-
cit, Nabin Tyrannum ſubegit, pacem & liberta-
tem Græciæ reddidit, & per triduum de Philippo

triumphavit : deinde Cenſura perfunctus ad Pruſiam contra Annibalem miſſus eſt . Ex *Tito* filio Conſules habuit, nepotem anno *603*. & pronepotem an. *630*.

## CAPUT XXVI.

### *Gens Sempronia.*

I. *Semproniæ gentis familiæ.* GEns *Sempronia* patricia quidem primum fuit, ſed deinde ad plebem tranſit. *Atratini* enim patricii fuiſſe dicuntur; *Tuditani* vero, *Blæſi*, *Sophi*, *Longi*, *Gracchi*, plebeji.

Ex *Atratinis* Tribuni militares bene multi, Con-
II. *Sempronii Atratini.* ſules quatuor memorantur, *Aulus* bis an. 256. & 262. illiuſque filii vel nepotes *Lucius* & *Cajus*, ille an. 319. hic 330. Floruit multo poſt *Cajus Atratinus*, qui an. 719. Conſul ponitur.

E *Blæſis* unus *Cajus Blæſus* duplici Conſulatu an.
III. *Blæſi.* 500. & 519. triumpho de Pœnis clarus fuit.

E *Sophis* duo *Publii*, pater & filius, Conſulatu, triumpho & Cenſura illuſtres fuerunt, primus Con-
IV. *Sophi.* ſul an. 449. de Æquis, alter an. 485. de Picentibus triumphavit.

E *Tuditanis* quatuor Conſulatum aſſecuti ſunt;
V. *Tuditani.* *Marcus* anno 513. *Publius* 546 *Marcus* 668. *Cajus* 624. Eo major *Publii* & *Caji* gloria, quod ille contra Annibalem rem bene geſſerit & cenſor fuerit; hic vero de Iſtris triumpharit.

E *Longis* duo *Tiberii* Scipionum in Conſulatu
VI. *Longi.* collegæ fuerunt, alter an. 535. P. Scipionis, qui in Hiſpania periit; alter an. 559. Africani majoris: ille una cum collega fuſis ad Lilybæum hoſtibus Melitam eis eripuit, ſed paulo poſt ad Trebiam ab Annibale victus eſt.

VII. *Gracchi.* *Semproniis* omnibus rerum geſtarum gloria *Gracchi* longe præſtiterunt. Eorum princeps *Tiberii* Con-

Conſul an. 515. filium habuit *Tiberium* bis Conſulem; ſemel an. 538. iterum 540. qui contra Annibalem, dum rem gerit feliciter, fraude Lucani hoſpitis ab hoſtibus cæſus eſt; cujus filius *Tiberius* duos Conſulatus an. 566. & 571. Cenſuramque geſſit, duos egit triumphos, primum de Celtiberis Prætor, alterum conſul de Sardis: vir tum victoriis tum virtutibus ætatis ſuæ clariſſimus. Ex *Cornelia* Africani majoris filia duos mares, *Tiberium* & *Cajum*, ſuſcepit, totidemque fœminas, quarum altera *P. Scipioni Aemiliano* nupſit. *Tiberio* & *Cajo Gracchis* par prope ingenium, par eloquentia; alia tamen alii: iidem honores delati, eadem utriuſque conſilia, idemque exitus fuit. Nam uterque Quæſtor Conſulum, *Tiberius* Mancini in Hiſpania, *Cajus* Aurelii Oreſtis in Sardinia; uterque Tribunus plebis leges agrarias contra Senatus voluntatem promulgavit: quare uterque a Patribus, *Tiberius* a Scipione Naſica in Capitolio anno 620. *Cajus* ab Opimio Conſule in Aventino an. 632. oppreſſus eſt.

## CAPUT XXVII.

### *Gens Servilia.*

I. *Serviliæ gentis familiæ*

SErviliorum alii plebeji alii patricii, variis diſtincti cognominibus: *Priſcus*, *Fidenas*, *Ahala*, *Structus*, *Geminus*, *Cæpio*, & *Vacia*. E *Priſcis* & *Fidenatibus* multi Conſules numerantur, Tribuni militares multo plures; ex *Ahalis* duo treſve Conſules; ex *Structis* unus & alter: de quibus, quod naſcente Republica ab an. 250. ad 400. floruerunt, nihil dicemus; de aliis breviter.

II. *Servilii Gemini.*

*Publius Geminus* bis Conſul, ſemel anno 501. iterum anno 505. pater fuit *Cn. Gemini*, qui Conſul an. 536. Annibalem Fabianis artibus ad ſummam

inopiam redegit, cujus, opinor, filii *Cajus* & *Marcus*, ille Conſul an. 550. hic non tam Conſulatu quem anno 551. geſſit, quam eximia animi corporiſque fortitudine clarus extitit; ſingulari enim certamine vicies & tricies viciſſe dicitur. Sunt tamen qui fratres illos plebejos fuiſſe velint.

III. *Cæpiones.* *Geminis* tamen præſtitit *Cæpionum* familia. *Cn. Cæpioni* an. 500. Conſuli filius fuit *Cneus* item Conſul an. 500. ex quo genitus *Cn.* ille *Cæpio* Conſulatu quidem an. 584. inſignis; ſed trium filiorum gloria illuſtrior, qui omnes Conſulatum adepti ſunt. *Q. Fabius Servilianus* in gentem Fabiam adoptatus an. 611. *Cneus* 612. & *Quintus* 613. qui ex Conſulatu ſortitus Hiſpaniam, fœdus ab ipſius fratre *Q. Fabio Serviliano* cum Viriatho initum reſcidit; illumque cum armis non poſſet, inſidiis ac fraude per illius amicos ſuſtulit. Natus ex eo *Q. Cæpio*, qui poſt Præturam & triumphi decus ex Hiſpania ulteriore, an. 647. Conſulatum aſſecutus eſt; at paulo poſt, dum Proconſul Galliam regeret, ob aurum Toloſanum, ut tum creditum eſt, victus a Cimbris in carcere miſere periit: *vir acer & fortis*, inquit Cicero, *cui fortuna belli crimini, invidia populi calamitati fuit*.

IV. *Vaciæ.* *P. Servilius Vacia*, *Cajo* prætorio natus, Conſulatum obtinuit an. 674. & expugnatis Iſaurorum oppidis, ex Aſia & triumphi honorem & *Iſaurici* cognomen retulit. Ejus filius *P. Iſauricus* bis Conſul fuit, ſemel an. 705. cum C. Cæſare, cujus nomine Aſiæ præfuit, iterum cum L. Antonio an. 712.

# CAPUT XXVIII.

## *Gens Sulpicia.*

SUlpicios omnes alii patricios fuiſſe volunt; alii nonnullos quidem patricios, alios vero plebejos, quod verius putem; *Galba* enim patricios, *Rufos* vero plebejos ex antiquis denariis conſtat. Gens illa oriunda *Camerio* oppido, unde *Camerini* cognomen deſumſit, in multas familias diviſa eſt; fuerunt enim *Camerini*, *Longi*, *Saverriones*. *Petici*, *Rufi*, *Galli*, *Paterculi*, *Galbæ* &c. I. *Sulpiciæ gentis familiæ.*

II. *Camerini, Petici, Galli Quirini.*

E *Camerinis* multi quidem Conſulatum adepti ſunt; at eum ante annum Urbis 450. floruerint, de his nihil dicemus. E *Longis C. Longus* triplici Conſulatu an. 416. 430 439. Dictatura, de Samnitibus triumpho clarus fuit. E *Peticis C. Peticus* quinque Conſulatibus an. 386. 392. &c. Cenſura, victoria de Gallis, & de Hernicis triumhpo. E *Saverrionibus* duo *Publii* Conſulatu an. 449. & 474. E *Gallis Cajus* ſumma eruditione, Conſulatu an. 587. & de Liguribus triumpho. E *Paterculis Quintus* Conſulatu an. 405. & triumpho de Pœnis illuſtris. E *Quirinis* duo *Publii* Conſulatu an. 717. & 741. quo anno, ut multis placet, Chriſtus natus eſt.

III. *Rufi.*

E *Rufis* duo maxime celebres fuerunt, *Publius* & *Servius*, ille ingenii & eloquentiæ laude, hic juris civilis ſcientia floruit: ille in Tribunatu juſſu Sylle, cui bellum Mithridaticum ademerat, an. 665. necatus eſt; hic Conſul an. 702. a Cæſare contra Pompejum in bello civili ſtetit. Cicero *Publium* in libris *de Oratore* loquentem inducit, & ad *Servium* multas ſcripſit epiſtolas.

IV. *Galbæ.*

*P. Sulpicius Galba Maximus*, etiamſi nullo curuli honore perfunctus eſſet, Conſulatum anno

542.

542. aſſecutus eſt; & aliquanto poſt Dictaturam & alterum Conſulatum anno 553. Ex *Servio* filio prætorio nepotes habuit *Cajum* prætorium & *Servium* patrem *Ser. Galbæ* oratoris, qui vocatus in judicium, quod victus a Luſitanis eorum multa millia inſigni perfidia trucidaſſet, populi animum precibus & lacrimis flexit, & Conſulatus honorem haud multo poſt an. 609. adeptus eſt. Ex duobus filiis alter *Cajus* primus a ſacerdotum collegio judicio publico damnatus eſt. alter *Servius* anno 645. Conſul genuit *Servium* C. Cæſaris in bello Gallico legatum; ex quo natus *Ser.* ille *Galba*, qui multiplicem ſcripſit hiſtoriam, cujus ex filio nepotes fuerunt, *Cajus* Conſul an. 774. *Servius* duplici Conſulatu an. 785. & 821. & imperatoria dignitate clariſſimus. Galbæ Imperatoris tum virtutes tum vitia retulit Tacitus l. 1. Hiſt. c. 12. *Vetus in familia nobilitas, magnæ opes; ipſi medium ingenium magis extra vitia, quam cum virtutibus. Famæ nec incurioſus, nec venditator; pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus, publicæ avarus. Amicorum libertorumque, ubi in bonos incidiſſet, ſine reprehenſione patiens; ſi mali forent, uſque ad culpam ignarus: ſed claritas natalium & metus temporum obtnuit, ut quod ſegnitia erat, ſapientia vocaretur. Dum vigebat ætas, militari laude apud Germanias floruit. Proconſul Africam moderate, jam ſenior ulteriorem Hiſpaniam pari juſtitia continuit: major privato viſus, cum privatus fuit; & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet.*

## CAPUT XXIX.

### *Gens Tullia Ciceronum.*

I. *M. Cicero orator.* M. *Tullio Ciceroni*, qui Arpini equeſtri loco natus erat, (hic enim de *Tullia* gente, quæ patri-

patricia fuit, non agimus] *Maria Gratidia* tres liberos peperit, *Marcum* & *Lucium* Cicerones, & *Tulliam* C. Aculeonis uxorem. *Lucius* filium habuit ſibi cognominem; *Marcus* duos *Marcum* & *Quintum*, quorum ille oratorum facile princeps ingenio, eruditione, eloquentia, non Tulliæ modo gentis, ſed totius Reipublicæ decus extitit. Primus ex ſua familia curules honores, & Conſulatum an. 690. adeptus eſt, in quo Catilinæ conjurationem oppreſſit. A Clodio aliquanto poſt pulſus in exilium, Senatus decreto ſummo cum honore revocatus eſt. In diſſenſione civili Pompeji partes ſecutus, a C. Cæſare & ſibi & aliis ſalutem impetravit. Denique juſſu M. Antonii, in quem acriter fuerat Philippicis invectus, an. ætatis 63. occiſus eſt. II.

Ex *Terentia*, quam ſenex repudiavit, *Marcum* ſuſcepit & *Tulliolam*, quæ ter nupſit, primum *Piſoni Frugi*, deinde *Furio Craſſipedi*, tum *Dolabellæ*. Repudiatam a Cicerone *Terentiam* Salluſtius hiſtoricus, & eo mortuo *Meſſala Corvinus* duxerunt. *Marcus* filius patri longe abſimilis (guloſus enim fuit & bibax, ſi Plinio credimus) in locum M. Antonii an. 723. quo ille ad Actium victus eſt, ab Auguſto Conſul ſuffectus, Aſiam obtinuit. *Quintus* vero *Marci* oratoris frater, ex Prætura Aſiæ proconſulari imperio per triennium præfuit; tandem una cum *Quinto* filio, quem ex *Pomponia* Pomponii Attici ſorore genuerat, in triumvirali proſcriptione periit.

*Illius liberi & frater.*

## CAPUT XXX.

### *Gens Valeria.*

VAleriorum gens duplex fuit, plebeja & patricia. E plebeja fuerunt *Publius* & *Marcus* Lævini, quorum ille contra Pyrrhum, hic contra Philip- I.

*Valeriæ gentis familiæ.*

lippum Macedonem res magnas geſſit; ſed de illis non hic agimus. Gentis patriciæ princeps fuit *Voleſus Sabinus*, qui jam inde a Romuli temporibus divitiis & opibus pollens, pacis Romanos inter & Sabinos ineundæ auctor fuit; cujus abnepos *M. Valerius Voleſus* tres habuit liberos, *P. Valerium Poplicolam*, *M. Valerium Maximum*, & *L. Valerium Potitum*, a quibus totidem familiæ propagatæ ſunt. *Valerii Maximi* ad annum Urbis 500, *Potiti* ad Auguſti Cæſaris imperium, *Poplicolæ* ad Arcadii & Honorii tempora maximis honoribus floruerunt.

II. *Valerii Poplicolæ.* *P. Valerius Voluſi* filius, & ob ſingularem quemdam in populum Romanum amorem vulgo *Poplicola* dictus, quatuor geſſit Conſulatus an. 244. 245. 246. 249. duoſque egit triumphos, alterum de Vejentibus, de Sabinis alterum. Duo illi filii nati ſunt, *Publius* & *Marcus*. *Publius* duplici Conſulatu an. 278. 283. & de Vejentibus Sabiniſque triumpho nobilis, qui contra Herodium pugnans cecidit, nepotem habuit *Publium* ſemel ſub Camillo Magiſtrum equitum, & quinquies Tribunum militarem, & pronepotes *Publium* Conſulem an. 401. & Dictatorem an. 409. & *Marcum* bis Conſulem, ſemel an. 397. & iterum 400.

III. *Corvini.* *M. Valerio* primo *Poplicolæ* filio duo nepotes fuerunt, *Publius* & *Marcus*; & abnepotes ex Publio *Publius* Magiſter equitum, ex Marco *Marcus* ille *Valerius*, qui cum Gallum ſingulari certamine viciſſet, adjuvante Corvo *Corvini* cognomen invenit; curules magiſtratus 21. ſex Conſulatus an. 405. 410. &c. Cenſuram duaſque Dictaturas geſſit; ter triumphavit de Antiatibus, Volſcis, Sidicinis, Etruſcis, &c. Ex qua Valeriorum familia *M. Valerius Corvinus* traxerit originem, apud eruditos non convenit. Nonnulli *P. Valerii Poplicolæ* an. 401. Conſulis filium faciunt, quod contra faſtorum fidem eſt &

hiſto-

hiſtoriæ: illi enim *Valerio Publius* prænomen fuit, *Corvini* vero & patri & avo *Marcus*. Zonaras eumque ſecutus Pighius a M. *Valerio Maximo Poplicolæ* fratre prognatum volunt, quod *Maximi* cognomen habuerit. Ipſe *Corvinus* apud Livium a *P. Poplicola*, qui Reges ejecit, ortum ſe profitetur; cui ego, quam aliis, aſſentiri malui. Quæ opinio ſi vera eſt, *Maximi* cognomen non avitum in eo fuit, ſed virtute partum.

Ut ut eſt (nihil enim definire auſim) a *Corvino* propagati ſunt *Valerii Meſſalæ*. Ejus enim filius *Marcus* Conſul anno 464. pater fuit *Marci Maximi* Conſulatu anno 490. Cenſura, de Pœnis triumpho clariſſimi; cui, quod Meſſanam urbem Siciliæ cepiſſet, primum *Meſſanæ*, tum *Meſſalæ* cognomen inditum eſt. Ex ejus poſteris *Marci* Conſules multi, filius an. 527. nepos 565. pronepos 592. & Cenſor licet ipſe prius fuiſſet, a Cenſore notatus. Ab hoc *Meſſala* per centum prope annos jacuit *Meſſalarum* domus, donec illius pronepos *M. Meſſala Niger* orator, prudens, acutus, multæque operæ, Conſulatum adeptus eſt an. 692. illiuſque cognatus *M. Meſſala* anno 700. de quo poſtea agemus. Ex *Marco* oratore natus eſt *Marcus* & ipſe ſummus orator, qui eo nomine etiam tum juvenis a Cicerone laudatur, victis Bruti partibus, a quibus ſteterat, Octavio Cæſari, a quo fuerat revocatus in Urbem, contra Antonium adfuit, deinde Conſulatum an. 924. de Salaſſis triumphum, & Urbis Præfecturam obtinuit. Ex duobus filiis *Lucius* in gentem Aureliam adoptatus, *L. Aurelius Cotta Meſſalinus* dictus eſt; alter *Marcus* Conſul an. 750. bello Pannonico victor ornamenta triumphalia retulit: cujus filius & nepos *Marci* Conſulatum geſſerunt, ille an. 772. hic 820. Neronis in tertio Conſulatu collega. Ex *Cajo Meſſala* & Hortenſii oratoris ſorore genitus eſt *M. Meſſala* Augur,

IV. *Meſſalæ.*

gur, Conſul an. 700. de quo paulo ante, cujus filius *M. Meſſala Barbatus* vir eruditiſſimus & Conſul anno 741. genuit *M. Meſſalam Barbatum*, qui ex *Lepida* ſuſcepit *Meſſalinam*, Claudii Imperatoris uxorem.

V. *Maximi.* *M. Valerius Maximus*, *Voluſi* filius & *Poplicolæ* frater, Auguratu, Conſulatu an. 248. Dictatura, de Sabinis & Latinis triumpho nobilis, filium habuit *Marcum* Conſulem anno 297. & pronepotem *Marcum* bis Tribunum militarem, ex cujus filio natus eſt *Marcus* bis Legatus ſub L. Papyrio Dictatore, & Conſul an. 441. & aliquanto poſt Cenſor.

VI. *Potiti.* *L. Val. Potito Voluſi* filio & *Poplicolæ* fratri ſemel atque iterum Conſuli an. 268. & 283. filius fuit *Lucius* Conſulatu anno 304. & triumpho de Æquis & Volſcis clarus, qui duos filios habuit *Cajum* & *Lucium* ambo Conſules an. 344. & 361. ambo Tribunos militares, illum ſemel, hunc quinquies, *Lucio* natus eſt *Lucius* ſexies Tribunus militaris, *Cajo* vero *Cajus*, cujus filii *Cajus* & *Lucius* Flacci dicti ſunt. *Cajus* quidem Conſul an. 422. fuit; *Lucius* Magiſter equitum an. 432.

VII. *Flacci.* *Lucius* ex *Marco* filio nepotem habuit *Lucium* Flaccum Conſulem an. 492. pronepotem *Publium* Conſulem an. 526. abnepotem *Luciium*, qui cum M. Catone, quem in Urbem evocarat, & Conſulatum an. 258. & Cenſuram geſſit; & aliquanto poſt princeps Senatus lectus eſt. Ex eo genitus *Lucius* Conſul an. 660. pater *Lucii* Conſulis an. 622. qui duos filios ſuſcepit *Cajum* & *Lucium*; quorum ille ſemel an. 660. Conſul fuit, hic bis an. 653. cum C. Mario, & iterum an. 667. cum Cinna Mario mortuo ſuffectus, Cenſor cum M. Antonio, & princeps Senatus. A Marianis in Aſiam contra Mithridatem miſſus, C. Fimbriæ Legati ſcelere occiſus eſt. Sunt tamen qui velint, *Cajum* & *Lucium*

cogna-

cognatos, non fratres fuiſſe. *Lucii* filius fuit *Lucius* ille Flaccus, qui bellum Cretenſe magna ex parte geſſit, Piſonis & Quæſtor in Hiſpania, & Legatus in Macedonia; is ipſe quem Cicero defendit. Duo illi filii nati ſunt *Lucius* & *Cajus*, quorum ille ſub Cajo Cæſare Prætor fuit, hic in patribus Pompeji periit.

# DISSERTATIO QUINTA.

## ANNUS, MENSES, ET FERIÆ ROMANORUM

## CAPUT PRIMUM.

*Quid tempus, dies, menſis, annus.*

OPERÆ pretium eſt de tempore ipſiuſque partibus pauca præmittere, ne quis offendat in iis, quæ de Romanorum annis & menſibus dicturi ſumus. Nihil aliud tempus eſt, quam menſura, qua priores motus partes, poſterioreſque numerando percurrimus. Primus omnium motus ſupremi orbis diurna converſio eſt: ſunt alia tempora aliorum motuum, verſio, & totidem, quot orbium cœleſtium curſus. Verum duo ſunt ex omnibus errantia ſydera, Sol, & Luna, quorum converſionibus tempus potiſſimum metimur; ut enim ſupremus orbis diurna converſione diem, it circuitu ſuo & Sol annum, & Luna menſem efficit. I. *Quid tempus,*

Diem

II. *Quid dies naturalis & artificiali s.*

Diem dividunt aſtronomi in naturalem & artificioſum. Naturalis eſt Solis ab uno puncto ad idem punctum fixum velut a meridiano circulo ad eundem reditus. Artificialis eſt Solis ſupra horizontem commoratio; cui nox reſpondet, quæ Solis itidem infra horizontem mora definitur. Naturalis dies 24. horis circumſcribitur: artificialis nec certum nec ſtatum horarum numerum continet, ſed modo plures, modo pauciores pro vario Solis vel acceſſu vel receſſu. Dies vero civiles ad naturali modum horis quatuor & viginti ab omnibus fere populis definiti ſunt; ſed non eadem fuerunt omnibus dierum initia. Dies enim ſtatuitur vel a Solis ortu ad exortum, ut olim a Babylonis; vel a meridie ad meridiem, ut alias ab Umbriæ populis; aut ab occaſu Solis ad occaſum, ut ab Athenienſibus ac Judæis; aut a media nocte ad mediam noctem, quod Romanis uſitatum fuit.

III. *Quid menſi ſolaris, periodicus, ſynodicus.*

Ut ex horis dies, ita ex diebus collectis menſis efficitur μῆνας Græci dicunt ἀπὸ τῆς μήνης, hoc eſt a Luna, ſive ἀπὸ τοῦ μηνός μὴν deducitur, quod ὁμὴν latius patet, quam μήν & ut Lunæ, ita & Soli menſes congruunt, Menſium enim duo genera ſunt; alii enim ſunt naturales, civiles alii: naturaliun ſpecies duæ, nam alii ſunt Solis, alii Lunæ. Solaris menſis eſt, quo Sol in zodiaco orbe unum ſignum percurrit; cum vero non pari tempore ſigna omnia peragret, hujuſmodi menſes alii aliis dierum numero majores ſunt. Lunaris menſis iterum duplex eſt, alter periodicus, ſynodicus alter: periodicus, quo Luna orbem ſuum percurrit; ſynodicus, quo Luna a Sole digreſſa Solem, qui motu ſuo gradus fere 27. progreſſus eſt, iterum aſſequitur. Unde menſis periodicus ſynodico brevior eſt; ille enim dierum eſt 27. hor. 7. 47". 3'. hic vero dierum 29. hor. 12. 44". 3'. Civiles menſes nihil ſunt aliud, quam numeri quidam die-

dierum, quos unaquæque civitas ſibi præſcribit. IV.

Annum, uti dictum eſt, converſione ſua Sol efficit. Unde *annus*, ſi Varroni & Servio credimus, ab *annulo* dictus eſt; quod annum Solis reditu ad eandem, unde profectus erat, cœli partem metimur. Duplex vero annus eſt, quorum alter ad Solis, alter ad Lunæ curſum deſcribitur; menſis enim, qui converſione Lunæ efficitur, duodecies replicatus ex hominum inſtituto lunarem componit annum. Solaris annus itidem duplex eſt: cœleſtis ſive tropicus, cujus initium vel ab æquinoctiis ducitur, vel a ſolſtitiis, qui quatuor anni cardines ſunt; alter civilis, qui popularem ad uſum paululum ab eo deflectitur. Tropicus eſt dierum 365. hor. 5. 49. Civilis non una menſura eſt, ſed pro vario populorum arbitrio vel brevior eſt, vel longior.

*Quid annus ſolaris & lunaris?*

V.

*Quid menſis & annus lunaris, mathematicus, & popularis.*

Admonere hoc loco non omiſerim, lunares ſive menſes ſive annos alios eſſe mathematicos, alios populares. Cum enim dies tribuantur in horas 24. horæ ſingulæ in 60. ſcrupula, prima hæc in totidem ſecunda, & ita deinceps. Menſes v. g. dicuntur mathematici, qui ſupra dies horas aliquot continent, horarumque ſcrupula; populares vero, qui alternis dierum ſunt 30. & 29. quaſi ſinguli ſupra dies 29. horas præciſe 12. colligant. Si quid vero de ratione ſcrupularia ſupereſt, id in horas ſenſim collectum diem tandem efficit, qui certis annis extra ordinem inſeratur. Hujuſmodi annum lunarem, qui cum ſolari conjunctus non eſt, adhibent etiam nunc Turcæ & Arabes; populi tamen plerique omnes, qui lunarem anni modum ſecuti ſunt, hoc anno uſi ſunt, qui cum ſolari implicatus eſſet, & communi velut incluſus orbe, quem cyclum ac periodum vulgo nominarunt.

## CAPUT II.

### *Annus a Romulo ordinatus.*

I. *Annus Romuli 10. an. 12. menſes habuerit.* DEcem, an duodecim menſes priſcus Romuli annus contineret, dubitatum eſt a veteribus. Cenſorinus c. 20. annum jam tum ab initio duodecim fuiſſe menſium ex Licinio Marco & Feneſtella perhibet. Varro, Suetonius, Ovidius decem tantummodo menſium fuiſſe prodiderunt, & dierum 304. quos ita diſpenſatos fuiſſe Solinus & Macrobius volunt, ut menſes alii 30. alii 31. diebus evolverentur. Aliter tamen Plutarcho viſum eſt, qui menſibus aliis dies 35. aliis etiam plures; quibuſdam ne vicenos quidem attribuit: eoque pertinet, quod a Cenſorino de Albanis proditum eſt, illos menſi Martio arrogaſſe dies 26. Majo 22. Septembri 16. Nihilque aliud Romanis propoſitum fuiſſe ſcribit Plutarchus, quam ut 360. dies Græcorum exemplo ſingulis annis aſſignarent. Communis tamen opinio eſt Romuli anno non plures, quam & menſes 10. & dies 304. competere.

II. *Unde petita menſium nomina.* Dies igitur 304. menſibus decem Romulus diſtribuit. Menſium nomina ſunt hæc, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Quintilis, Sextilis, September, October, November, December. Cur ſingulis hæc nomina indita ſint, inter ſcriptores non convenit; alii enim aliunde ea repetunt. Principem locum inter menſes Romanos Martius obtinet, ſecundum Aprilis. Uterque, ſi Fluvio & Junio adhibenda fides, a diis, qui Romanorum parentes ferebantur, dicti ſunt; Martius a Marte, Aprilis ab Aphrodite ſive Venere. Feſto & Varroni aliter placuit, qui menſem Martium jam ante Romuli ætatem ab Italis uſurpatum urbibus memorant; ideoque a Mar-

à Marte ſortitum eſſe nomen, quod Latina gens armis eſſet belloque dedita. Aprilem non a Venere vocatum ſcribit Cinthius, ſed ab aperiendo, quod benigno calore Solis tum ex humo cuncta gignantur. Nec minor de Maji & Junii appellatione diſſenſio eſt: Populum Romulus cum in centurias ſeniorum & juniorum deſcripſiſſet, menſem Majum, ut auctor eſt Servius, a majoribus, *Junium* a junioribus nuncupavit. Majus tamen ex aliis a Maja dictus eſt, ſive Vulcani uxore ut vult Cinthius, ſive Mercurii matre ut placet Plutarcho; Junius vero vel a Junone ex Ovidio, vel a Juventæ dea ex Agrætio, vel a Junio Bruto qui Reges expulit. Cæterorum vero nominum facilis ratio eſt, cum ab ordine, quo collocati erant, ſingulorum nomina repetita ſint: Quinctilis enim dicitur & Sextilis, quod ille quintus ſit, hic ſextus. Hæc nomina ante Romulum in uſu apud Latinos fuiſſe certum eſt; unde quis non immerito ſuſpicetur Romulum non conſtituiſſe hunc anni modum, ſed ex Latio in Urbem invexiſſe.

III. *Non idem in ſingulis menſibus dierum numerus.*

Non idem dierum numerus menſibus ſingulis imputatus eſt; ſed aliis plures, pauciores aliis. Qui enim lunarem inſtituit annum ſive Romulus, ſive quis alius, initium cujuſque menſis ſumſit ex illo die, quo novam Lunam contigiſſet videri. Quia vero alias celerius apparet, alias tardius, accidit, ut cum tardius viſa eſt, præcedenti menſi plures dies darentur; cum celerius, pauciores. Ita caſu factum, ut, quot cuique menſi dies primum attributi erant, totidem deinde retenti ſint; ita menſes quatuor Martius, Majus, Quintilis, & October unum & triginta dies ſortiti ſunt: cæteri triginta.

IV. *Unde dictæ Kalendæ, Nonæ Idus.*

Singulorum menſium tres partes erant, a Kalendis, Nonis, Idibus appellatæ: de quibus duo quærimus; unde petita hæc nomina, quotque dies ſingulis partibus dati. Kalendæ a καλῶ dictæ ſunt,

quæ vox idem ſonat, quod *voco*. Cum enim lunari menſe uterentur, ubi Pontifex primum Lunæ aſpectum obſervaſſet, vocata in Capitolium plebe hac formula prædicabat, quot dies ad Nonas ſupereſſent; ſi quinque dies: *Quinque te voco, Juno novella*; ſi *ſeptem*: *Dies ſeptem te voco, Juno novella*. Nonæ vocatæ ſunt, quod ab eo die ad Idus octo dies paterent; quare Nonæ nonus retro dies erant. Idibus nomen inventum vel ab ove *iduli*, quæ hoc die immolabatur, vel ab Etruſca voce *iduare*, hoc eſt, dividere, quod menſem duas in partes prope æquales Idus dividant; vel ἀπὸ τοῦ εἴδους, a plenæ Lunæ ſpecie: tum enim orbe perfecto, Luna videri ſolet.

V. *Quot dies Kalendis, Nonis, Idibus attributi.*

Kalendæ certam in menſibus ſedem ſemper occupant, primum cujuſque menſis diem; Nonæ & Idus non item. Martio, Majo, Julio, & Octobri, qui 31. dierum erant, Nonæ ſeptimum, Idus decimum quintum; in reliquis, qui 30. diebus conſtabant, Nonæ quintum, Idus decimum tertium: in Nonis modo quatuor, modo ſex dies tribuuntur, Idibus ſemper octo. Kalendæ pro menſe modo 17. & Romuli tempore ſexdecim: primo cujuſque menſis die dicitur *Kalendis*; ſecundo die, ſi menſis die ſeptimo Nonas habet, VI. *Nonas*; ſi quinto, IV. *Nonas*: tum III. *Nonas*, *pridie Nonas*, qui dies eſt vel quartus vel ſextus: poſt diem vero Nonarum proximus dies appellatus VIII. *Idus*; tum VII. & ita reliqui. Poſt Idus Kalendarum dies ſequuntur, quæ eo plures numerantur, quo pauciores Nonas menſis habuit: dies enim poſt Idus reliqui Kalendis menſis ſequentis imputantur.

CA-

# CAPUT III.

## *Annus a Numa caſtigatus.*

A Multis proditum eſt ſcriptoribus annum Romuli primum a Numa Pompilio, deinde ab aliis caſtigatum eſſe, vel menſes duos additos, vel ſi jam duodecim erant, dierum numerum fuiſſe aut ordinem immutatum. Nam primus antea cum fuiſſet Martius, tertius ab Numa, vel a Tullo, vel a Decemviris factus eſt; primus autem Januarius, ſecundus Februarius, qui ambo vel in duodecimum & undecimum locum ita rejecti, ut eſſet omnium poſtremus Februarius. Quin etiam aliquot poſt Numam ſæculis, Januarius primum locum obtinuit, ſecundum Martius, Februarius poſtremum, quem initio ultimum fuiſſe plerique perhibent; & Terminalia noviſſimum anni diem occupaſſe, omnes peræque conſentiunt: a quo vero potiſſimum ſecundo fuerit loco conſtitutus, incertum eſt. I.

*A quo Januarius & Februarius anno additi.*

Cæterum hæc a Numa caſtigationis inita ratio eſt, cum annus Romuli dierum eſſet 304. ſolari multo minor erat, cui tum vulgo 365. dies attributi: unde huic anno id inerat vitii, ut capita tum annorum tum menſium in eandem tempeſtatem non redirent: ſed hiberni menſes in autumnum, verni in hyemem, ac reliqui deinceps in alienam ſedem invaderent. Quare ut hic annus ad ſolarem propius accederet, additi quidem vivente etiam tum Romulo multi dies, ſed ii nec ullo proprio nomine ſignati, nec in ceteros menſes digeſti; cui incommodo ut mederetur Numa Pompilius 304. diebus 51. dies addidit in honorem imparis numeri, cum 50. tantum addere debuiſſet, annique lunaris modum 355. diebus definiit. Deinde de ſenis menſibus, qui tricenarii erant ſeu cavi, dies ſingulos detraxit, II.

*Dies 51. a Numa additi.*

 qui-

quibus 51. adjunctis 57. dies extiterunt. Tum ii dies in duos menſes tributi ſunt, Januarium & Februarium: Januario dati dies 29. Februario 28. ita impar numerus in omnibus menſibus adhibitus, uno exemto Februario, qui propterea & infauſtus habitus eſt, & diis Manibus conſecratus fuit.

III. *Menſis MerKedonius intercalatus.* Perſuaſum erat id temporis tum Græcis tum Romanis, lunarem annum diebus 354. conſtare; ſolarem vero diebus 365. cum quadrante. Quare ut annus lunaris cum ſolari conciliaretur, ex diebus undecim, quibus Lunam Sol excedit, menſis decimus tertius conflatus eſt, qui a Græcis *Emoliſmæus*, a Romanis *MerKedinus* vel *MerKedonius* dictus eſt. Is cæteris menſibus brevior erat, qui vel 22. vel 23. tantum dies alternis haberet; non ſingulis annis, ſed poſt biennium tantum intercalatus eſt, poſt diem 23. Februarii: unde *Februarius intercalaris* interdum appellatus eſt.

IV. *In anno Numæ unus dies abundavit.* In hoc vero a Numa peccatum eſt, quod amore imparis numeri lunarem annum ex diebus 355. compoſuerit; dieſque undecim cum quadrante more Græcorum, ut propius Solis veſtigia Luna premeret, addiderit. Inde enim factum eſt, ut civilis apud Romanos annum dierum eſſet 366. cum quadrante, & cœleſtem uno die ſuperavit; unde prima confuſionis labes; nam Merkedinus menſis dies habuit 22. & 23. cum 20. & 21. alternis habere debuiſſet, nec quarti cujuſque anni initium ſolſtitio hyberno congruit, quod propoſitum Numæ fuerat. Cum enim cœleſtis annus civili uno die minor eſſet, unius cujuſque anni caput uno die a ſolſtitio receſſit; & poſt 24. annos a ſolſtitio anni initium 24. diebus aberat; cui malo ſive a Tullo ſive aliquanto poſt a Decemviris adhibita medicina eſt, a quibus viceſimo quarto quoque anno & MerKedinus menſis & dies a Numa additus omitti juſſi ſunt, ut ad eandem Solis metam plenis annorum ſpatiis dies congrue-

gruerent, quod Livius & Macrobius prodiderunt. Unde quivis intelligat, Romanam periodum non 22. annis, ut Scaligero viſum eſt, ſed 24. fuiſſe circumſcriptam.

Unum eſt, quod hoc loco adnotare non pigebit, cum apud Romanos nefas eſſet nundinas vel in diem anni principem, vel in Nonas incurrere, quod utrumque Reipublicæ pernicioſum putaretur; ne id eveniret, dies ille quo abundabat annus, eorum qui faſtis præerant permiſſus arbitrio eſt, ut cum libitum erat, illum vel intercalarent vel omitterent. V. g. ſi nundinæ in Kal. Januarias caderent, dies unus præter morem in Decembrem inſertus eſt, & alter poſtea ſive de Januario ſive de alio menſe detractus; aut contra dies unus Decembri ademtus, & Januario reſtitutus. Itidem ne in Nonas nundinæ convenirent, in Januario intercalatus dies ille, qui non ſtabilem in Kalendario ſtationem obtinebat, ſed ex Pontificum arbitrio ſolebat vel diſpenſari vel omitti. V. *Nundinæ nunquam in Kalendas vel Nonas incurrebant.*

## CAPUT IV.

### *Annus iterum a C. Cæſare correctus, tum ab Auguſto.*

SI imperatam ſive a Numa ſive a Tullo intercalationem obſervaſſent Pontifices, conſtans anni Romani & ſtatus fuiſſet, & ratio; ſed Pontificum libidine, penes quos intercalandi provincia fuit, anni caput e ſua ſede ita dimotum eſt, ut Januarius in autumnum pervenerit. Menſis enim Mercedini intercalatio ab iis vel omiſſa eſt, vel præcipitata, ſive odio ſive amore & publicanorum & magiſtratuum, ut tempus illis aut prorogarent, aut minuerent: eoque jam labes progreſſionem fecerat, ut C. Cæſaris tempore prima Januarii dies ſolſtitium hybernum 67. diebus antecederet. I. *Annus Pontificum vitio corruptus.*

II. *Annus confuſionis.* Perverſum hunc anni ſitum & ordinem C. Cæſar ſummus Pontifex caſtigare inſtituit anno Urbis 708. Ubi cognovit anni ſolaris modum ex Soſigene Ægyptio, hoc tempus in uſum civilem tranſtulit, juſſitque ut hic annus Urbis 708. dierum eſſet 445. ex Cenſorino: habuit enim dies anni Pompiliani 355. præterea 23. menſis Merkedonii, denique 67. qui ad ſolſtitium hybernum deerant. Ex his diebus duo conflati menſes, iique inter Novembrem & Decembrem intercalati, ſed nullo inſigniti nomine. Ita hic annus menſes habuit quindecim, annuſque *confuſionis* cum a Cenſorino tum ab aliis dicitur; vel quia *confuſionis* ultimus eſt, vel quia plures quam cæteri & menſes habuit & dies.

III. *Annus Julianus conſtitutus.* Hac perturbatione ſemel defunctus Cæſar, ut ſuum deinceps curſum anni tenerent, ita Julianum annum conſtituit. Menſis Merkedonius, unde nata confuſio erat, abolitus; dies decem cum quadrante ad annum Pompilianum additi, ita ut annus civilis itidem ac ſolaris 365. diebus cum quadrante contineretur, dies vero addititii per varios menſes diſtribuit: duo Januario Sextili & Decembri adjecti, qui antea 29. dierum erant; reliquis totidem dierum Aprili, Junio, Septembri, Novembri ſinguli. Hi vero dies in calcem menſium de induſtria conjecti, ne religiones cujuſque menſis a loco ſummoverentur. Ita dierum ante Nonas & Idus numerus idem, qui fuerat tempore Numæ, perſeveravit: ab Idibus ad Kalendas dies vel unus vel duo additi, ita ut eſſent pro menſium modo ut minimum ſeptemdecim, ut plurimum novemdecim.

IV. *Annus biſſextilis.* Cum Julianus annus dierum eſſet 365. cum quadrante, hoc eſt horarum præciſe 6, juſſit eas Cæſar tamdiu differri, donec collectæ diem efficerent, ut quinti cujuſque anni initio dies una accederet ad ſummam. Hanc diem poſt 23. Februarii inſeri moris fuit; ne vero dierum ordo uſque ad Kalendas

Mar-

Martias turbaretur, hic dies ſextus ante Kalendas ut dies ſubſequens, non ſeptimus ut debuit, appellatus eſt: unde quintus quiſque annus biſſextilis dicitur, quod hoc anno ſexto Kalendas bis uſurpetur.

V.
*Annus Pontificum negligentia itcrum depravatus, ab Augusto emendatus.*

Poſt Cæſaris obitum annus ab eo diſpoſitus, Pontificum vitio labem maximam contraxit. Cum enim præceptum eſſet, ut dies intercalaris inſereretur quarto quoque anno, hoc eſt quarto vertente, & ineunte quinto; ii (qua de cauſſa, incertum eſt) confectis tribus tantum annis, incipiente quarto intercalarunt, non deſinente: unde paulatim accidit, ut infra metas ſuas anni Epocha conſtiterit; per annos enim 36. cum dies novem ſufficere debuiſſent, 12. inſeruerunt. Quare primus Januarii dies, a ſuo cardine luxatus, triduum ſolidum Epocham antevertit. Auguſtus Cæſar, ut tres illi dies perirent, an. 738. juſſit & annos 12. ſine intercalatione decurrere, & diem intercalarem non tertio deinceps anno, ſed quarto deſinente inſeri: ita concors ſubinde fuit cum tropico civili annus.

VI.
*Ultima ſub Gregorio XIII. anni correctio.*

Ne quid vero huic deſit diſſertationi de variis anni correctionibus, quænam caſtigandi iterum anni ſub Gregorio XIII. cauſſa fuerit, paucis dabo. Quamvis anni Juliani deſcriptio ad uſum maxime expedita ſit, & Solis converſionem quam fieri poteſt proxime conſequatur, fuit tamen Julianus annus ſcrupulis horariis 11. tropico major; cujuſmodi ſcrupulos hora ſexaginta continet, dies vero 1440. Quare per annos 131. anni tropici minores ſunt uno die Julianis annis; unde fit, ut tropici caput in anni Juliani modo verſus menſium initia paulatim reflectatur, dum Julianus in ſua ſede permanet. Exempli cauſſa verum æquinoctium tempore Concilii Niceni diem 20. & 21. Martii occupabat, poſt annos fere 1300. dies Martii 10. & 11. obtinuit: proinde anno 1582. Gregorii XIII. juſſu dies decem

expuncti

expuncti ſunt, & æquinoctium vernum ad priſtinas ſæculi Niceni notas revocatum. Ne vero deinceps cardines illi evagarentur, proviſum eſt, uti ſingulis annorum centuriis biſſextilis omitteretur; quarta tamen excepta centuria, quæ biſſextilem retinet. Ita 400. annis tres tantum biſſextiles pereunt, quod non centum annis, ſed 131. unus dies anno Juliano accreſcat; unde per annos 393. tribus diebus tropicum ſuperat, quod facilitatis gratia per centurias diſpenſatur.

## CAPUT V.

### *Dies feſti, profeſti, & feriæ.*

I. *Dies feſti.* Dierum apud Romanos non eadem ratio fuit, ſed tum religionis tum judiciorum cauſſa varium genus & multiplex. In tria potiſſimum faſtigia partim a Romulo, partim a Numa diviſi ſunt: alii enim *feſti* erant, hoc eſt diis calendis conſecrati; alii *profeſti*, quibus rei tum publicæ tum privatæ vacare fas erat; alii *interciſi*, qui diis hominibuſque ita communes erant, ut certis horis jus dicere liceret, nefas aliis. *Feſtorum* vero claſſes quatuor fuerunt, *Sacrificia*, *Epulæ*, *Ludi*, *Feriæ*; hæc enim nomina iis indita ſunt diebus, quibus in deorum honorem vel oblata ſunt ſacrificia, vel ludi exhibiti, vel celebrata convivia, vel ab opere ceſſatum eſt.

II. *Feriæ publicæ & privatæ.* Feriæ aliæ publicæ erant, aliæ privatæ. Publicarum ſpecies quatuor; *ſtativæ*, quæ ſtatis tum menſibus tum diebus univerſo populo communes erant; *conceptivæ*, quæ quotannis ſive a magiſtratibus ſive a ſacerdotibus in dies tum certos tum incertos concipiebantur; *imperativæ* quas pro imperio ſeu Conſul ſeu Prætor imperabat: *nundinæ*, quibus conveniebant ruſtici, ſive emendi ſive vendendi cauſſa.

*Feriæ*

*Feriæ privatæ* aliæ familiarum propriæ, ut Claudiæ, ut Corneliæ; aliæ perſonarum, ut dies natales; & aliæ id genus.

III. *Quorum fuerit ferias indicere*

Ferias publicas proclamare & Prætoris fuit & Regis ſacrificuli. Ille *compitalitias*, *conceptivas*, *imperativas*, hic omnes indixit: Prætor vero, ut a forenſibus negotiis vacatio eſſet; Rex ſacrorum, ut ſacra rite peragerentur. Diverſa utrique præſcripta formula: hec Regi ſacrificulo v. g. *Jovis epulum cras eſt;* Prætori, *Die nona poſt Kalendas Januarias Quiritibus Compitalia erunt*. Quænam vero opera feriis vetita eſſent, nos admonet Cicero his verbis: *feriarum ratio in liberis requietem habet litium & jurgiorum, in ſervis operum & laborum*. Hoc tamen feriis agi fas erat, teſte Scævola, quod prætermiſſum noceret. Si v. g. bos decidiſſet in ſpecus, ſi trabs tecti fracta eſſet, & bovem liberare & fulcire trabem licebat.

IV. *Dies profeſti.*

Ut *feſtorum* dierum, ita etiam *profeſtorum* genus multiplex fuit. Quibus enim fas erat Prætori tria hæc ſolemnia verba dicere, *do*, *dico*, *addico*, ii *faſti* erant; quibus id non licebat, *nefaſti*. Præterea *comitiales* erant, quibus agere cum populo; *comperendini*, quibus vadimonium dicere; *ſtati*, quibus judicio cum peregrino contendere. Quanquam ſunt, qui faſtos dies diverſæ fuiſſe rationis velint: faſti enim alii integri, alii non item, cujuſmodi comitiales erant, ſi v. g. comitia vel caſu vel juſſo Conſulis non haberentur; nefaſtis vero diebus quamvis tria ſolemnia verba Prætor non diceret, cauſſas tamen agere, habere concionem, legem promulgare licitum erat.

V. *Dies nefaſti.*

Sicut domi, ita & foris *nefaſti* dies erant, ſive *nonpræliares*, quibus aut rem ſuam repetere, aut hoſtem laceſſere nefas. Alii *atri* dicebantur, ut poſtridie Calendas, Nonas, & Idus; alii *inominales*, ut ante quartum Kalendas & Idus: quod enim his die-

diebus tum a Sulpitio Tribuno militum ad Alliam adverſum Gallos, tum ab aliis ducibus alibi male pugnatum eſſet, Pontificum decreto cautum eſt, ne quis his diebus prælium committeret. Inominalibus accenſitæ ſunt feriæ, & *Latinæ*, quibus induciæ cum Latinis ſancitæ erant; & *Saturnaliorum*, quod ſumma in pace imperaſſe Saturnus diceretur; & *Ditis* & *Proſerpinæ*, quod his diebus deorum triſtium patere januam fabularentur. Si tamen prælium iniret hoſtis, illius retundere impetus, vimque & injuriam propulſare nunquam prohibitum.

# DISSERTATIO SEXTA.

## ROMANORUM VESTES, CONVIVIA, LUDI, ET FUNERA.

## CAPUT PRIMUM.

### *Romanorum veſtes.*

I. *Apud Romanos varia veſtium genera.*

VAria fuerunt apud Romanos veſtium genera; alia enim virorum veſtis erat, alia puerorum, alia mulierum. Erant etiam diverſa & militum & Imperatorum ſive indumenta ſive inſignia. Illorum nomina ſunt hæc, *toga*, *trabea*, *tunica*, *ſubucula*, *penula*, *chlamys*, *lacerna*, *paludamentum*, *ricinium*, *læna*, *ſtola*, *capitium*, *pallium*, *zonæ*, *mitræ*, *plagulæ*, de quibus pauca delibaſſe ſatis erit.

II. *Togarum*

Ut pallium Græcorum, ita toga Romanorum pro-

propria fuit: unde vulgo togatos pro Romanis, & palliatos pro Græcis apud auctores legere eſt; & comœdiæ togatæ quæ Romanorum, palliatæ quæ Græcorum. Fuit & toga pacis inſigne, ſicut & ſagum belli. Toga, quam tunicæ ſuperindui moris erat, ſemper lanea fuit, ut plurimum figura ſemicirculari, ſicut auctor eſt Dionyſius Halicarnaſſeus; interdum etiam quadrata, ſi Athenæo credimus. Aperta, an integra, & ſine ulla ſciſſura fuerit, aliter aliis viſum eſt. Apertam fuiſſe docet Valerius Maximus, dum Scipionem Naſicam lævam manum apertæ togæ circumdediſſe refert; integram fuiſſe pluribus contendit Aldus Manutius; cingi ſolitam ſcribit Sigonius, Manutius negat: unde illud Syllæ de Cajo Cæſare, *Cavete a puero male præcincto*, alter de toga, alter de tunica cum Suetonio explicat. Non eadem omnibus togæ menſura fuit. Ii, quibus res domi anguſta, breviore toga uſi ſunt; quibus ampla, longiore. Stante Republica longior erat, ſub Imperatoribus brevior: tum enim neglecta toga vulgus abiit ad penulas, lacernas, & tunicas, eaſque pulli coloris; cumque Auguſtus vidiſſet in circo pullatorum turbam, per jocum dixiſſe fertur *Romanos rerum dominos gentemque togatam*, deinde Ædiles monuit, ne quem in circum venire niſi togatum paterentur. Apud veteres nulli ſinus erant, poſtea breves fuerunt duo, ſed alter altero inferior; ambo togæ ita vel aſſuti vel appenſi, ut ſuperior a dextro latere ad ſiniſtrum haud aliter ac balteus oblique ſerperet, inferior ab umbilico ad imam ferme togam deflueret.

*Forma & uſus.*

III. *Togatum varia genera.*

Togarum varium genus fuit & multiplex: erant enim *toga prætexta*, *virilis*, *candida*, *pulla*, *ſordida*, *purpurea*, *picta*. Tum *prætexta* fuit, cum limbus purpureus ad extremam oram circumlatus erat; *virilis*, ſi pura & nulla adjuncta eſſet purpura; *candida*, quæ præter nativam lanæ albedinem

creta

creta addita ſplendeſceret; *pulla*, quæ pulli & atri coloris; *ſordida*, quæ alba quidem, ſed & longo uſu attrita & pluribus fœdata maculis: *picta*, quæ & purpurei coloris erat & auro diſtincta; *purpurea*, quæ ex mera contexta erat purpura, unde diverſa fuit & a *prætexta* & a *picta*, quod nec limbus nec aurum adderetur.

IV. *Toga prætexta & virilis.* Has togas pro arbitrio adhibere nefas erat, ſed alius aliarum uſus fuit. *Prætexta* propria fuit magiſtratuum omnium, Sacerdotum, Magiſtrorum qui vicis ſingulis præerant, Senatorum qui curabant ludos Romanos; ſed maxime & puerorum ad annum 17. & puellarum, donec nuberent. Hic uſus, ut Macrobius refert, vel a Romulo vel a Tarquinio Priſco profluxit; quorum ille puero, qui e Sabinis mulieribus primus natus eſt, *prætextam*; hic filio, qui etiam tum puer in bello Sabino hoſtem occiderat, & *prætextam* & *bullam* indulſit. *Toga virilis* privatis hominibus communis fuit, quam anno ætatis 17. dari ſolemne fuit: tum enim quiſque ſui juris erat, cum prius a cuſtode regeretur.

V. *Toga candida pulla, ſordida.* *Toga candida* ab iis tantum adhiberi ſolita eſt, qui honores peterent; *pulla* vero ab iis qui erant in luctu; v. g. ſi cui vel pater vel mater obierat; unde illi *candidati* dicti ſunt, hi vero & *pullati* & *atrati*. Sub Imperatoribus ut togæ uſus, ita color albus negligi cœpit, plebiſque togæ ut plurimum *pullæ* fuerunt. Unde inter cives id erat diſcriminis, quod ingenui *candidati*, plebeji *pullati* a togarum colore dicerentur; cum ſtante Republica ii ſoli eſſent *candidati*, qui ambirent magiſtratus, & *pullati*, qui eſſent in luctu. Idem fere *ſordidæ* togæ uſus erat, qui *pullæ*. Si cui enim quid calamitatis accidiſſet, ſi de aliquo crimine poſtulatus, tum ut ſuum ſive dolorem ſive metum teſtaretur, togam *ſordidam* adhibebat; tumque & *ſordidatus* & *ſordidus* & *in ſordibus eſſe* dicebatur. Hujuſmodi etiam togis

infima-

infima plebs ſæpe uſa eſt, cui ob inopiam mutandæ togæ copia non erat, cum ditiores & niveas & nitidas gererent: erant enim Romæ fullones, qui contractas diuturno uſu ſordes eluerent. Sed inter togas principem locum obtinuit toga ſive *picta* ſive *palmata*: vix enim alteram ab altera differre putem, quæ ob figurarum varietatem cum ad picturæ ſimilitudinem accederet, *picta* dicta eſt, & Imperatorum, dum Romæ triumphum agerent, propria fuit; datum tamen eſt & L. Æmilio Paulo qui Perſen vicit, & Pompejo Magno, ut *picta* toga, ubi & quando libitum eſſet, uterentur.

Togæ ſupponi tunicas mos fuit ut plurimum duas, interdum plures: quæ cutem attigit, *ſubucula* dicta eſt; quæ togam, *tunica*, quæ toga & anguſtior erat & brevior. Primum manicæ tunicis nullæ erant, deinde additæ, quæ ſi digitos manumve tegerent, id probro & ignaviæ datum. Ex tunicarum varietate Senatorum, equitum, plebiſque petitum diſcrimen eſt. Plebis tunica recta erat & ſine clavis, Senatorum & equitum clavata; ſed in equitum tunicis anguſti erant clavi, in Senatorum lati: unde hujuſmodi toga & *latus clavus*, & *tunica lati clavi* vulgo nuncupata eſt. Ita etiam inter Tribunos militum alii *anguſticlavii*, alii *laticlavii* dicti ſunt, quod illi anguſto, hi lato clavo uterentur: per clavum vero cave quidquam aliud intelligas, quam purpureos veluti flores, panno vel aſſutos vel intextos, quem morem victis Etruſcis invexiſſe Tullum Hoſtilium perhibent. *Latum clavum* Senatorum liberis, ubi virilem togam ſumſerant, Auguſtus indulſit, ademit Tiberius. Tum Senatorum, tum equitum filiis ab anno ætatis 17. conceſſum fuiſſe ad annum ætatis ſenatoriæ, Aldus Manutius ſuſpicatur; ita tamen ut ſi hoc anno in Senatum allegerentur, illum retinerent, ſin minus, deponerent, cum

VII. *Tunicæ & latus clavus.*

*latus*

*latus clavus* ſenatoriæ dignitatis eſſet inſigne. *Palmata* tunica, quæ vel lato clavo honeſtior erat, triumphantium fuit; a palmis in ea depictis nomen inditum.

VIII. *Chlamys*, *lacerna*, *paludamentum*, * *ricinium*, *læna*, *ſagum* militaria indumenta, quæ tunicæ ſuperindui uſus fuit. Quid aliud ab alio differret, non facile eſt aſſequi: *ricinium* quadratum fuit; *læna* ita dicta, quod ex mera lana texta erat; *lacerna* militum fuit, ut *paludamentum* Imperatoris: erat enim purpura, cocco, auroque deſtinctum, unde Imperator ad bellum *paludatus* proficiſci ſolebat. Interdum tamen & Legati & Tribuni militum, ſi Livio credimus, *paludamento* uſi ſunt, quod *chlamys* etiam dicitur.

*Chlamys, lacerna, paludamentum*

IX. *Penula*, quæ tum viris tum mulieribus communis erat, ſupra tunicam indui ſolebat, ad arcendum ſive frigus ſive imbrem. Idem de *ſtola* ſcripſit Nonius Marcellus, quæ tamen mulierum propria fuit, qua pariter, ac viri tunica, utebantur; quod ex ipſo Varrone patet, qui viro *togam* & *tunicam*, mulieri *pallium* & *ſtolam* tribuit: ut enim a viris toga tunicæ, ita a mulieribus pallium ſtolæ circumdatum. De cæteris mulierum veſtibus plura dicere nihil attinet.

*Penula & ſtola.*

X. Calceamentorum duo genera fuerunt, *calceus* & *ſolea*; *calceus* totum pedem texit, *ſolea* plantam tantum: pars ſuperior teretibus habenis devincta erat, ut ait Gellius. Calcei alij *mullei* erant & *lunulati*, alii *perones* & *puri*: illis nomen factum & a *mulli* colore purpureo, & a *lunula* aſſuta; his a corio *puro*, ex quo abſque lunulis conſtabant. *Peronibus* plebs & viatores uſi ſunt; *lunulatis* Senatores & patricii; quæ tamen nota non Lunæ figuram, ſed vel centenarii numeri ex Iſidoro, vel literæ *Rho* referebat;

*Calceamenta.*

* *Non deſunt, qui aſſerant* ricinium *breve pallium fuiſſe, non militare, ſed muliebre.*

ferebat, ut obvius quiſque ipſos a Romanorum patriciis ortos vel inde agnoſceret: quod Romulus vel primus induxit, vel ab Regibus Albanis mutuatus eſt. Poſt Auguſtum calcei albi coloris erant, Imperatorum coccinei; vix tamen quiſquam mihi perſuaſerit, omnes ſive Senatores ſive patricios purpureis calceis uſos eſſe.

XI *Ritus Gabinus*

Non abs re fuerit hoc loco pauca ſubiicere de *ritu Gabino*, de puerorum *bulla*, de equitum *annulo*. Quænam togæ componendæ ratio *ritus Gabinus* diceretur, commode ita explicari poteſt. Togæ lacinia, quæ ſiniſtro brachio imponi vulgo ſolebat, primum contrahenda, deinde ita retrahenda ad pectus, ut in nodum, qui togam breviorem redderet, necteretur. Hic ritus a Gabiis (urbs eſt Latii) nomen invenit; quod illius oppidi cives, dum forte togati ſacris operarentur, ingruentibus hoſtibus, contractis ea ratione togis, obviam ire auſi ſint, iiſque fuſis victores redierint: hoc modo præcinctus Conſul ſolebat bella indicere, Imperator ſacra facere, cremare hoſtium ſpolia, &c.

XII *Annuli & bulla.*

Ut equitibus *annulus*, (de quo ſupra pag. 227.) ita nobilium pueris *bulla* ornamento fuit. Erat ex auro ſæpius, interdum ex argento aliove metallo, in cordis figuram efformata, ut illius aſpectu incitati ſe fortes domi foriſque præſtarent. Qui uſus a Tarquinio Priſco, uti dictum eſt, profluxit, is enim filium ſuum, quod hoſtem etiam tum puer interfeciſſet, hujuſmodi munere donavit: unde bulla patriciorum pueris ſenſim dari cœpit.

# CAPUT II.

## *Romanorum prandium, cœna, & accumbendi ratio.*

QUinque erant apud Romanos cibi ſumendi
I. tempora, mane *jentaculum*, circiter meridiem
Cibi ſumendi tempora. *prandium*, haud multo poſt *merenda*, ſub horam nonam *cœna*, noctu *comeſſatio*, quæ ebrioſorum fuit. Nec quinquies tamen, nec quater ſinguli ſingulis diebus eſſe ſolebant; ſed pueri tantum, ſenes, ſervi, opifices: alii vero vel bis, vel ſemel. His vocibus diverſa origo eſt. *Jentaculum* ita dicitur, quod a jejunio; *prandium*, quaſi παρὶ ἔνδιον, quod meridie; *merenda*, quod poſt meridiem cibus ſumeretur; *cœna* vero & *comeſſatio* a Græcis vocibus κοινὸν, *commune*, & κώμη, *pagus*, quod veteres in propatulo luxus vitandi cauſſa cœnitarent, & in vicis, antequam conderentur oppida, alios alii convictus cauſſa invitarent: ſunt tamen qui *comeſſationem* a comedendo deduci velint.

II. Cœna. *Prandium*, cum a priſcis Romanis non uſurpatum fuit, tum ſemper parciſſimum, *cœna* & lautior & liberalior, quod ſeorſiſſi apud ſe pranderent, cum amicis ſæpe cænitarent. Cœnæ tres partes erant; prima *guſtatio*, in qua mora, promulſidem, echinos, oſtreas & alia id genus apponi moris fuit; altera *cœna*, in qua cibi erant & præcipui & lautiſſimi, tertia *menſa ſecunda* ſive *menſa pomorum*, in quibus bellaria, nuces, poma, uvæ, & hujus generis alia. In uſu fuit, ut principio cœnæ daretur ſcheda, in qua notatum erat, quot, quæ, quove ordine obſonia apponi deberent, ut ex Athenæo colligere eſt. Solemne etiam fuit, ut divo alicui libarent, hoc eſt nonnihil vini vel in terram vel in menſam ex patera effunderent.

De

pag. 355



De cœnandi ratione quatuor quærimus: unde mos accumbendi fluxerit, quis numerus tum lectulorum tum convivarum, quis accumbendi modus, quiſve locus honoris, ſummus, an medius. Alia aliis temporibus cœnandi ratio Romæ fuit; primum quidem aſſidentes, deinde accumbentes cœnarunt. Mos ille a Laconibus & Cretenſibus teſte Varrone, hic vero ab Aſianis devicta Aſia Græciſque manavit; uſus tamen fuit, ut fœminæ pudoris cauſſa cubantibus viris aſſiderent, quibus etiam poſtea indultum eſt, ut itidem ac viri accumberent. III. *Unde mos accumbendi fluxit*

Conſuetudo fuit ſub veſperam in cœnaculo menſam inſtrui & rotundam & humilem; circum menſam vel duo ut minimum, vel tres ut plurimum lectulos inſterni purpura aliave ſtragula veſte, pro convivatoris aut opibus aut inopia: convivarum vero numerus nec Gratiarum numero minor, nec Muſarum major eatenus eſſe debuit, ut cum pauciſſimi convivæ non pauciores eſſent quam tres, tum plurimi non plures quam novem. IV *lectulorum & convivarum numerus.*

Priuſquam accumberent, corpus lavare, mutare togam, ſoleaſque, ne inquinarent lectulos, ponere ſolemne fuit; in lectulis vero ita ſeſe componebant, ut dorſo a pulvillis ſuffulto, & capite leviter erecto, pars corporis inferior jaceret in longum porrecta, ſuperior vero cubito ſiniſtro niteretur. Quod ſi plures uno lecto decumberent, hæc cubandi ratio fuit, ut pedes illius, qui ad caput lecti jacebat, pone dorſum ſecundi, pedes ſecundi pone dorſum tertii porrigerentur. V. *Accumbendi ratio*

In uno lecto bini interdum, ſæpe terni, quaterni nonnunquam, raro plures accumbebant. Qui ad lecti caput erat, *ſummus* dicebatur; qui ad pedes, *imus*; qui inter iſtos, *medius*. Si bini tantum in lecto convivæ, qui dignitate præſtabat, ſummus fuit; ſi terni, medius; ſi quaterni, proximus a ſummo. VI. *Quis locus honoris.*

## CAPUT III.


### *Romanorum ludi.*


I. *Varia ludorũ genera.* Ludorum diviſio, vel a loco ubi exhibiti ſunt, vel a fine propter quem celebrati, repeti poteſt. Si a loco, ludorum duo fuerunt genera, *circenſes* & *ſcenici*; ſi a fine, quatuor, *ſacri*, *votivi*, *funebres*, *ludicri*. Qui enim in circo agebantur, dicti ſunt *circenſes*; qui in ſcena ſive theatro, *ſcenici*; qui in deorum honorem, *ſacri*, ut *Megalenſes*, *Cereales*, &c; qui ex voto vel pro victoria vel pro bona valetudine, *votivi*; qui in mortuorum funere, *funebres*; qui exercitationis cauſſa, *ludicri* ut *Trojani*, *Caſtrenſes*, &c.

II. *A quibus ludi exhibiti.* Non unius magiſtratus fuit omnes exhibere ludos, ſed alii alios curarunt pro diverſa Reipublicæ forma & ludorum varietate. Omnes pene ludos, præter *funebres*, celebrare initio Regum fuit, deinde Conſulum, ubi conſtituta Reipublicæ forma eſt, creatique varii magiſtratus, Conſules & Prætores fecerunt ludos *circenſes*, *ſæculares* & *Apollinares*; Ædiles plebeii *plebejos*, Ædiles curules *Megalenſes*, *Cereales*, & ejuſdem generis alios; nonnunquam etiam *funebres*, ſed ſæpius hæredes illius, cujus in honorem edebantur.

III. *Ludi circenſes.* De circenſibus tria potiſſimum quærimus: quid circus; unde hoc illi nomen; quique ludi in eo exhibiti. Cum Romana res nondum adoleviſſet, in inſula Tiberina ludi primum celebrati. Erant pro meta enſes ex una parte, ex altera Tiberis; deinde Tarquinius Priſcus inter Palatinum montem & Aventinum Circum extruxit, cujus longitudo trium ſtadiorum erat cum dimidio, latitudo quatuor jugerum; poſt tectum impoſitum eſt, facta ſedilia, loca in 30. curias diviſa. A duobus lateribus Euripus erat,

qui


CIRCI ET QUINQUE LUDICRORUM CIRCENSIUM
pag 356
Deformatio ex Onuphrio Panvinio
Obeliscus
Solis
Pugna equestris
Euripus
CIRCUS


pag 357
NAVMACHIAE. IDEST. NAVALIS. PVGNAE
Deſcriptio
ex Onuphr Panuinio

qui aquas reciperet poſt Euripum extructæ triporticus, ex quibus una conficitur amphitheatralis octo ſtadiorum amplitudine, capax 150. millium hominum. Hæc & plura Dionyſius. Omnia perſequi ornamenta infinitum ſit. Circus dicitur, vel quod circum metas & pompa ferretur, & equites currerent; vel quod ſpectaculis undique ædificatis ludi in medio celebrarentur. Hi ludi circenſes in ſeptem veluti claſſes tribui poſſunt, quorum prima fuit pugna cum cæſtibus, pugnis, fuſtibus, gladiis, pilis, haſtis, &c. ad quam pertinent tum gladiatorum certamen, tum pugna cum beſtiis, quorum utrumque ingenuis infame fuit; tum etiam lucta, cum alter alterum ſeu vi ſeu agilitate corporis humi ſternere nitebatur. In ſecunda claſſe curſus erat; in tertia ſaltatio aut in æquo campo, aut ex inferiori loco in ſuperiorem & contra, aut cum in equos inſiliebant vel nudi vel cataphracti; in quarta jaculatio diſcorum, ſagittarum, pilorum, telorum; in quinta pugna equeſtris; in ſexta aurigatio, qua bigæ quadrigæve certabant; in ſeptima naumachia ſive navale certamen, cum in aqua forma navalis pugnæ adumbrata eſt.


IV. *Theatra.* Varia Romæ fuit pro varietate temporum ludorum ſpectandorum ratio. Primum, quibus animus erat dexteritatis aut firmitatis aut pernicitatis dare ſpecimen, in diem & locum dictum conveniebant, & ex una parte judices, ex altera circumfuſa multitudo, uter vinceret, ſpectabat: deinde quod alii aliis objectu corporum nocerent, locus circum undique aggeſtis ceſpitibus factus eſt altior, medius depreſſior, unde illi *caveæ* nomen factum; poſt ſubſellia ſibi quiſque attulit. Ubi vero Meſſala & Caſſius theatrum faciendum locarunt, magnifica Romæ identidem theatra extructa ſunt: præ cæteris tamen maxime celebrantur theatra L. Mummii, M. Scauri, & Curionis temporaria, & Pompeji

Magni ex quadrato lapide ſtabile. Primas tamen tulit Scaurus, cujus in theatro ſcena triplex erat 360 columnæ, ſigna inter columnas ad tria millia: ima pars ſcenæ e marmore, media e vitro; cavea cepit hominum 80. millia; reliquus apparatus veſte Attalica, pictis tabulis, aliiſque id genus magnificentiſſimis.

V. *Variæ theatri partes.* Theatri multæ partes erant, *ſcena*, *proſcenium*, *pulpitum*, *orcheſtra*. *Scena* ab umbra arborum nomen invenit; ibi enim a paſtoribus carmina recitari alias moris fuit; *ſcena* vero ab uno theatri cornu ad alterum pertinuit, fuitque vel ductilis vel verſatilis, ut varias picturæ ſpecies exhiberet. Ante ſcenam erat *proſcenium*, ubi dum in ſcena laterent perſonæ, alii geſticulatione, cantu, ſaltatione populum retinerent. E proſcenio eminebat *pulpitum*, quo prodibant actores; proſcenium excipiebat *orcheſtra*, in qua Senatores conſidebant. At non idem ſemper Senatoribus locus fuit, nam per annos 558. Senatus & equeſtris ordo populo mixti ludis interfuerunt; ſed an. 558. Attilius & L. Scribonius ex Africani majoris conſilio Senatum; Roſcius an. 685. equites a plebe diſtinxit. Amphitheatra forma ſemper erant aut circulari aut oblonga, ut in iis ludi gladiatorii & ferarum venationes exhiberentur; medius locus & *cavea* dictus eſt & *arena*, quod & depreſſus eſſet, & arena ſparſus, ut certantes abſque offenſione caderent: quamvis theatra, circi, aliaque hujuſmodi loca proprios haberent ludos, omnes tamen ludos in omnibus abſque diſcrimine committi ſæpe contigit.

VI. *Ludi ſcenici, tragœdia, comœdia, minutæ.* Scenicorum ludorum originem l. 7. exponit Livius. Cum anno 389. Romæ peſtilentia eſſet, nec vis morbi aut humanis conſiliis aut ope divina levaretur, ludi quoque ſcenici inter alia iræ cœleſtis placamina inſtituti ſunt. Ex Etruria acciti ludiones, qui ſine ullo carmine ad tibicinis modos ſaltantes

haud


DIVO. AVGVSTO. VESPASIANO.
pag. 358.
S.C.
THEATRVM POMPEI MAGNI
Nunc acies Campi Floræ ad Palatium Urſinorum

haud indecoros motus more Tuſco dabant; poſtea verſus, ſed inconditi, & motus a voce non abſoni acceſſerunt; denique arte omnia perpolita. Ludorum vero ſcenicorum quatuor ſunt genera, *Tragœdia*, *Comœdia*, *Satyra*, & *Mimus*, de quibus pluribus diſſerere non eſt hujus loci: cujuſque definitionem apponere ſufficiet. *Tragœdia* eſt imitatio per actiones illuſtris fortunæ, exitu infelici, oratione gravi metrica. *Comœdia* eſt poema dramaticum negotioſum, exitu lætum, ſtylo populari: ita Julius Scaliger. *Satyra*, ex Diomede Grammatico, eſt fabula, in qua tragici poetæ Satyros induxerunt ludendi cauſſa jocandique, ſimul ut ſpectator inter res tragicas & ſerias Satyrorum jocis & luſibus delectaretur. *Mimus* eſt vilium & rerum & perſonarum imitatio. Ad mimos vel ſatyras quodammodo pertinent Attellanæ fabulæ, quibus a ludionibus Attella ſive Averſa Romam evocatis nomen inditum; quorum fabellæ cum turpiores eſſent, Romana ſeveritate temperatæ ſunt, ut in iis pauca obſcœna eſſent, joci vero multi multique ſales: in Attellanis tamen ſemper ſervare perſonam jus fuit, in ſatyris non item.

VII. *Ludi ſacri.*

Hi fere ſacri ludi erant, *Megalenſes*, *Cereales*, *Florales*, *Martiales*, *Apollinares*, *Conſuales*, *Capitolini*, *Romani*, *Plebeji*, *Compitalitii*, *Palatini*, *Sæculares*. *Megalenſes* magnæ deorum Matri fiebant; & primum quidem dicti *Megalenſi*[illegible], poſtea, ut fit, detrita litera *Megalenſia*, per ſex dies a pridie Nonas April. ad v. Idus exhibitos faſti declarant; tum ludendi licentia facta omnibus, paſſimque convivia celebrata.

VIII. *Ludi Cereales & Florales.*

Cereales in honorem Cereris habiti ſunt a pridie Idus Aprilis per dies octo, ut ipſius luctus ob raptam Proſerpinam a matronis adumbraretur. Ante noctem epulari nefas erat; exhibebantur etiam certamina equeſtria. Fuit Ædilium curulium hos ludos

in Palatio edere, quos Prætores & magiſtratus in toga & prætexta celebrarent, cives conviviis & ſodalitatibus. Floralibus ludis turpior origo eſt. Acca Tarrutia cum quæſtu corporis vim ingentem pecuniæ comparaſſet, populum Romanum moriens hæredem dixit ea lege, ut editis ludis ſuum natalem diem celebraret: quo vero rei pudendæ aliqua dignitas adderetur, deam, quæ præeſſet floribus, fuiſſe finxerunt. Inde Ovidius nympham fuiſſe nomine Chlorim, eamque Zephyro nuptam fabulatur.

IX. *Martiales & Apollinares.*

Martiales ludi in Martis, Apollinares in Apollinis laudem peracti. Martiales equorum curſu & venatione commiſſi, Apollinares a Marco vate imperati, ut hoſtis ab agro Romano pelleretur; dumque primum hi ludi exhibentur, repentino hoſtis adventu plebs ad arma excitata hoſti occurrit, eumque fudit. Unde moris fuit ut populus & ſtipem Apollini conferret, & hos ludos ſpectaret laureatus, & omnes vulgo apertis januis in propatulo epularentur: cumque hi ludi non ſtati eſſent, ſed in annum a Prætore voverentur, an. 545. in certam diem ſingulis annis decerni cœperunt.

X. *Conſuales, Capitolini, Romani.*

Ludis *Conſualibus*, *Capitolinis*, *Romanis*, *Plebejis*, & *Compitalitiis* diverſa cauſſa fuit. *Conſuales* a Romulo facti *Conſo* deo, cujus aram ſe reperiſſe ſub terram mentitus erat, ſive Conſus ille Neptunus, ſive quis alius deus. In his ludis cum multu, tum id maxime ridiculum fuit, quod & equos & aſinos non ociari modo ſinerent, ſed coronarent etiam floribus. *Capitolini*, ob ſervatum Capitolium auctore Camillo, Jovi conſecrati ſunt, in quibus ſenex ludibrii cauſſa a præcone produci ſolebat, cum toga prætextaque aurea; quod eo cultu Vejentium Rex a Camillo ſub haſta venditus eſſet. *Romani* ludi a Regibus fieri cœpti ſunt, *magnique* appellati, quod magnis impenſis darentur. Sunt

qui

qui cum Conſualibus confundant: ex Cicerone liquet in honorem trium magnorum Deorum Jovis, Junonis, Minervæ ab Ædile curuli per novem dies primum in circo, deinde in theatro peractos.

Ludi *Plebeji* vel poſt Reges exactos, vel victis a Poſthumio Dictatore ad lacum Regillenſem Latinis, vel poſt plebis ſive in montem Sacrum ſive in Aventinum ſeceſſionem inſtituti ſunt. Illos ab Ædilibus plebejis in circo per triduum fieri Livius, minas argenti quingentas dari Dionyſius ſcribit, epulumque populo apparari ambo teſtantur. *Compitalitii ludi* ante Urbem deſignatam a vicorum compitis, in quibus illos exhibebant agreſtes, & facti & dicti ſunt; deinde intermiſſi ad Servium uſque Regem, tum a vicorum Magiſtris inſtaurati, denique ſublatis collegiis ipſi quoque aboliti. XI. *Plebeji & Compitalitii*

Ludorum *ſæcularium* origo ita infecta eſt fabulis, ut vix quidquam veri inde elici poſſit. Sæculares dicti ſunt, non quod centeſimo quoque anno fierent; ſed quod, cum raro accidant, poſt ſæculum evenire vulgo dicimus. Nulli enim ſtati erant ſive dies ſive anni, quibus exhiberentur; cum ante Auguſtum quater tantum editi ſint, primum an. Urbis 52. ſi Zoſimo adhibenda fides, deinde a Valerio Poplicola exactis Regibus, denique aliquanto poſt ſub Conſulibus: quinquies ſub Imperatoribus ab Auguſto, Claudio, Domitiano, Septimio Severo, & Philippo, anno Urbis milleſimo. Paulo ante ludorum tempus per Italiam mitti præcones mos fuit, ut populum invitarent ad ludos, quos nemo aut vidiſſet unquam, aut viſurus eſſet. Per triduum omni genere tum ludorum & in circo & in theatris, tum ſacrificiorum in omnibus templis celebrabatur; diis pene omnibus facta ſacrificia, Jovi, Juno- XII. *Ludi ſæculares.*

Junoni, Dianæ, Apollini, Latonæ, Parcis, Cereri, Diti, & Proſerpinæ : ritus cæteros perſequi longum ſit.

XIII. *Ludi votivi.*

*Votivi* ludi dicti ſunt, quos vel magiſtratus vel Imperator voverat, poſt partam ex hoſte victoriam exhibendos. Ita Acilius Conſul, ita alii ludos voverunt; ad quos etiam pertinent tum ludi *victoriæ* & a Sylla & a C. Cæſare imperati, tum ludi ſub Imperatoribus *quinquennales*, & *decennales*, & *vicennales*, qui ab Auguſto alii alia de cauſſa inſtituti ſunt; *quinquennales* ob devictum Antonium, *decennales* ut imperium abſque invidia retineret. Solebat enim decimo quoque anno ludos edere, tumque populo reſignare imperium, illudque illico, quaſi rogaretur, recipere. Inde fluxit ille mos, ut cæteri deinceps Imperatores & decimo & etiam viceſimo Imperii anno ludos magno apparatu exhiberent; quod apud omnes auctores legere eſt. Fuerunt etiam & *triumphales* ludi, qui poſt inſignes victorias, & *natalitii*, qui in ſummorum virorum natalibus ederentur.

XII. *Funebres.*

*Funebres* ludos a Græcis olim fuiſſe uſurpatos ex Achillis & Æneæ exemplo intelligere licet, quorum ille ad Patrocli, hic ad Pallantis ſepulcrum hujuſmodi ludos edidit; unde etiam gladiatorum munus profluxit. Captivi enim primum ad mortuorum tumulum occiſi, deinde ut crudelitas aliqua voluptate miſceretur, inter ſe commiſſi. Romæ vel Junius Brutus in patris defuncti honorem, vel Ap. Claudius & M. Fulvius Conſules gladiatores primi dederunt; eoque devenit Populi Romani furor, ut certis menſibus ad 20. vel 30. hominum millia in his ludis trucidarentur. M. Tullius Conſul ne ab ullo candidato, Auguſtus ne ſæpius quam bis annis ſingulis, nec plurimum quam 60. parium celebrarentur, prohibuit; Nero 400. Senatores equi-

equites 600; fœminas Domitianus in his ludis inter ſe commiſit, quos Theodoricus Italiæ Rex multo poſt ſuſtulit.

Superſunt & *Caſtrenſes* ludi & *Trojani*, quorum illi a militibus, dum in ſtatione manerent militari ritu edebantur; hi Romæ a pueris, qui Aſcanii exemplo turmatim congrediebantur. Qui omnibus præerat, *princeps juventutis* appellatus, iſque primum vel ex patricia vel ex nobili gente, deinde ex Imperatorum ſtemmate ſemper delectus, XV. *Caſtrenſes & Trojani.*

## CPAUT IV.

### *Romanorum funera.*

LUbet etiam hoc loco de Romanorum funeribus pauca ſubiicere. Cum quis gravi morbo domi decumberet, aderant affines & cognati, qui ſpiritum ejus ore exciperent, morientiſque clauderent oculos; quod tamen ne præſtarent filii, Mævia lege cautum erat. Ut obierat, moris erat defuncti corpus per intervalla conclamari, calida aqua a propinquis ablui, ut vitalis ſpiritus, ſi quis ſupereſſet, excitaretur; deinde a pollinctoribus, quorum erat curare mortuos, ungi & toga indui, candida vel alba ſi e plebe eſſet aut eques, prætexta ſi magiſtratus, purpurea ſi Cenſor: tum cadaver ad januam facie & pedibus in publicum verſis collocatum; interim cupreſſi in mortui domo appoſitæ; ſeu quia hæc arbor Diti ſacra eſt, ſeu quod ſemel excisa non renaſcatur. I. *Cadaver ad januam expoſitum.*

Poſt apparabantur ea, quæ ad funus opus erant, & die octavo populus ad honeſtandas exequias invitatus per præconem his verbis: *Exequias* v. g. II. *Delatum a viris nobilibus.*

*L. Ti-*

*L. Titio L. filio ; quibus eſt commodum, ire jam tempus eſt ; ollus ex ædibus effertur.* Poſtquam convenerat populus, ſi is pauper fuerat, feretro ; ſi dives, lecto vel purpura conſtrato vel pretioſis linteis cadaver efferebatur: tum tibicen ſive ſiticen, utroque enim nomine appellatur, phrygio modulo canere funebrem næniam, quæ mortui laudes, fidem, integritatem, fortitudinem, & præclare geſta contineret. Illius erat funeris pompam præcedere ; propinquorum, vel veſpillonum ſi tenuioris erat fortunæ, ſive feretrum ſive lectum deferre : unde ſæpe filii parentes, fratres ſorores ſuas, interdum ſervi libertate donati, devictarum gentium legati, ſenatores, prætorii, & conſulares ſummorum virorum & Imperatorum corpora extulerunt. Ita corpus Æmilii Pauli, qui Perſen vicit, a legatis Macedonum & Ligurum elatum eſt ; L. Syllæ a Senatoribus & virginibus ſacris ; Metelli Macedonici a quatuor filiis, quorum unus Conſul deſignatus erat, unus cenſorius, duo triumphales, tres conſulares.

III. *Funeris pompa.* In pompa deferri ſolemne fuit honorum, quos geſſerat, inſignia ; ut faſces, ſecures, arma, dona militaria, coronas quas retulerat, vexilla, urbium dona & legionum, ſpolia hoſtium, majorum expreſſos cera vultus, & totius gentis longo ordine ſimulacra. Lectum præcedebant & cives, qui raſis capitibus triumphantes proſecuti erant, & ſervi manumiſſi, qui tum pileati erant, velatis alba lana capitibus. Lectum ſequebantur propinqui, affines, filii, filiæ, amici, omnes capillo demiſſo, & in veſte pulla. Præterea filiæ & nudis capitibus erant paſſis crinibus, & alba veſte albaque vitta inſignes. Adhibebantur etiam præficæ, quæ ad lugendum conductæ darent cæteris plangendi modum.

Si


pag 365.
FUNUS ex LUPSIO

Si claro genere ortus erat, & bene de publica re meritus, corpus in forum delatum eſt, ibique habita oratio funebris vel a filio, ſi quis adultus erat, vel a propinquo, qui mortui virtutes & præclare geſta laudibus extolleret. Quæ conſuetudo a P. Valerio Poplicola manavit, qui collegam ſuum Junium Brutum oratione funebri primus laudaſſe perhibetur: qui honos & juvenibus interdum ſive fortitudine ſive genere illuſtribus, & claris mulieribus delatus eſt. Inde funus procedebat in locum, ubi corpus vel ſepeliendum erat, vel cremandum. Initio in domo quemque ſua ſepeliri uſus fuit; deinde lege XII. Tabularum vetitum, ne quis in Urbe ſepeliretur, quod tamen nonnullis virtutis ergo populus indulſit, ut Valerio Poplicolæ, P. Poſthumio Tuberto, C. Fabricio, S. Sulpicio, Veſtalibus, & poſtea Imperatoribus. Fuit vero vel Augurum vel Sacerdotum locum ſepulcro deſignare ſive in agris ſive in viis extra portas.

IV. *Habita in foro oratio funebris.*

V. *Denique cadaver rogo impoſitum.*

Si cremandum corpus erat, pyra in modum aræ extructa eſt ex larice, picea, taxo, aliiſque arboribus, circum cupreſſi poſitæ. Pyra & cadaver pretioſis liquoribus perfuſa; pyræ aurum, arma, pretioſa veſtis, aliaque id genus injecta. Digitus mortuo abſciſſus, ut, combuſto reliquo corpore, ad ipſum juſta fierent. Tum corpus impoſitum pyræ, cui ardentem facem, qui mortuo arctiori neceſſitudine junctus erat, inferebat: humanus etiam ſanguis interdum ante rogum effuſus, aut captivorum aut gladiatorum, ſive ii a Romanis cæſi, ſive inter ſe commiſſi; quorum ſi copia non erat, ſolebant præficæ & ſuas laniare genas, & inde cruorem effundere. Ubi uſtulatum cadaver erat, rogus *buſtum* dici cœpit: cineres in urna collecti, cognati, amici, aliique ter aqua pura a Sacerdote aſperſi. Sub hæc præfica noviſſimum verbum illud alta voce pronun-

ciabat

ciabat: *I licet*, hoc eſt *Ire licet*; & qui comitati funus erant, extremum vale dicebant. *Vale*, *Vale*, *Vale*; *nos te ordine*, *quo natura permiſerit*, *ſequemur*. Denique cineres & oſſa in ſepulcrum illata, ante quod conſtituta ara erat, in qua odores incenderent. Peractis ad ſepulcrum juſtis, ab hæredibus convivium amicis & cognatis domi datum; ſenibus cœna funebris, quæ *Silicernium* dicta, & interdum epulum populo. Hæc fere ſunt quæ ad Romanorum funera pertinent.

# F I N I S.

# INDEX RERUM.

## Quæ ad Bella, Prælia, Mortes, Provincias, Jura, Familias, &c. ROMANORUM pertinent.

### A

*ACiei forma* pag. 203
*Acies quotuplex* 204
*Adoptivorum filiorum nomina* 219
*Aediles plebis, curules, Cereales* 245
*Aeneas Phrygia pulſus regnat in Italia* 1
*Agnomen* 215
*Ala* 197
*Aleſia capta a Cæſare* 105
*Ambracia capta a Fulvio Nobiliore* 99
*Annuli* 227
*Annus a Romulo ordinatus* 338
*correctus primum a Numa* 341
*deinde a Julio Cæſare* 343
*vitio Pontificum corruptus* 342
*ab Auguſto emendatus* 345
*denique a Gregorio XIII.* ibid.
*Annus confuſionis* 344
*Annus lunaris, ſolaris, popularis, &c.* 336. *& ſeq.*
*Armorum varia genera* 206
*Athenæ a Sylla captæ* 102
*Avaricum captum a Cæſare* 104
*Augures a quibus lecti* 256
*Auguriorum varia genera* 265
*Augurii captandi ratio* ibid.

*Auſpi-*

*Auſpicia* ibid.
*Auxilia* 193

## *B*

Bella Romanorum 4
Bellum Achaicum 19
Actiacum 39
Aetolicum 18
Albanum 5
Allobrogicum 28
Antiochenum 17
Ardeatinum 6
Aſiaticum 19
Balearicum 34
Cæninenſe 4
Camerinenſe ibid.
Celtibericum 21
Cimbricum 25
Creticum 34
Etruſcum I. ſub Tarquinio Priſco 5
Etruſcum II. ſub Servio ibid.
Faliſcum 7
Fidenatenſe I. ſub Romulo 4
Fidenatenſe II. ſub Tullo Hoſtilio 5
Gabinum 6
Gallicum I. 7
Gallicum II. 21
Gallicum III. 29
Gallogræcum 18
Jugurthinum 24
Latinum I. ſub Anco Martio 5
Latinum II. ſub Tarquinio Priſco ibid.
Latinum III. 8
Liguſticum 20
Luſitanicum 23
Macedonicum I. 14

*Macedonicum II.* 16
*Macedonicum III.* ibid.
*Mithridaticum I.* 26
*Mithridaticum II.* ibid.
*Mithridaticum III.* 27
*Mutinenſe* 37
*Numantinum* 22
*Parthicum* 29
*Peruſinum* 38
*Philippenſe* ibid.
*Piraticum* 33
*Pompejanum* 37
*Punicum I.* 10
*Punicum II.* 11
*Punicum III.* 13
*Romanum* 6
*Sabinum ſub Romulo* 4
*Sabinum ſub Tullo Hoſtilio* 5
*Sabinum ſub Tarquinio Priſco* ibid.
*Sabinum ſub Tarquinio Superbo* 6
*Samniticum* 8
*Sertorianum* 36
*Servile Euni* 30
*Servile Salvii* 31
*Servile Spartaci* ibid.
*Siculum* 39
*Sociale* 32
*Syllanum* 34
*Tarentinum* 9
*Vejentinum I. ſub Romulo* 4
*Vejentium II. ſub Anco Martio* 5
*Vejentinum III. ſub Tarquinio Priſco* ibid.
*Vejentinum IV. ſub Servio* ibid.
*Vejentinum V. ſub Camillo* 7
*Viriathicum* 23
*Volſcum I. ſub Tarqinio Superbo* 6
*Volſcum II.* ibd.

*Bella puerorum* 353

## C

*CAdaver ad januam expoſitum.* 363
*delatum a viris nobilibus.* ibid.
*rogo impoſitum* 365
*Calceamenta* 352
*Capite cenſi ad militiam admiſſi* 190
*Capitolium* 238
*Capua a Fulvio Flacco capta* 97
*Carthago nova ab Africano majori capta* 99
*Carthago vetus a minori Africano diruta* 100
*Cenſorum origo* 242
*jura & poteſtas* 243
*Centuriarum inſtitutio* 224
*Centuriorum gradus.* 199
*ordo in pugna* 205
*Chlamys* 352
*Cibi ſumendi tempora* 354
*Claſſium inſtitutio* 224
*Cœna* 354
*Cognomen* 215. 218
*Cohors* 193
*Comœdia* 359
*Conciliabulum* 188
*Comitia triplicis generis* 229
*a quibus vocata* 230
*ubi & quando habita* 232
*Conſulares provinciæ* 251
*Conſules* 240
*illorum inſtitutio, inſignia & jura ibid.* & *ſeq.*
*Corinthus a Mummio incenſa* 101
*Cornu* 197
*Corona & quotuplex* 209
*Curiarum inſtitutio* 223

*Deci-*

## D

DEcimus Centurio 200
Decuriones 202
Dictatoris inſtitutio 252
poteſtas ibid.
Dies feſti 346
nefaſti 347
profeſti ibid.
Dies naturalis & artificialis 336
Duumviri creati, & illorum munera 263

## E

EQuites, & eorum origo 227
Equites delecti 191
Evocati milites 199
Exercitus partes 193

## F

FAmiliæ Romanorum 267
Aemilii 270
Lepidi 273
Mamerci 270
Pappi 271
Pauli 272
Regili 271
Scauri 272
Antonii 274
Aurelii Cæcili Metelli 279
Cottæ 278
Metelli Balearici 280
Metelli Dalmatici 281

*Metelli Macedonici* 280
*Metelli Numidici* 281
*Oreſtæ* 277
*Scauri* ibid.
*Calphurnii Beſteæ* 282.
*Bibuli* ibid.
*Flammæ* ibid.
*Frugi* 283
*Piſones Cæſonini* 282
*Claudii patricii* 284
*Craſſi* 285
*Nerones* 286
*Pulcrhi* 285
*Claudii plebeii Marcelli* 287
*Cornelii Arvinæ* 289
*Cethegi* 293
*Cinnæ* 294
*Coſſi* 289
*Dolabellæ* 293
*Rufi* 294
*Scipiones* 289
*Scipiones Aſinæ* ibid.
*Scipiones Africani* 290
*Scipiones Aſiatici* 291
*Scipiones Hiſpalli* 290
*Scipiones Naſicæ* 292
*Syllæ* 294
*Domitii Aenobarbi* 295
*Fabii Maximi* 296
*Pictores* ibid.
*Fulvii Centumali* 298
*Flacci* 299
*Nobiliores* 300
*Furii Camilli* ibid.
*Julii Cæſares* 301
*Junii Bubulci* 309
*Bruti* 310
*Nor*

*Norbani* 309
*Penni* ibid.
*Peræ* ibid.
*Pulli* ibid.
*Licinii Craſſi* 311
*Luculli* 313
*Murenæ* 314
*Livii Denteres* ibid.
*Druſi* ibid.
*Salinatores* ibid.
*Lutatii Catuli* 315
*Manlii Acidini* 316
*Capitolini* ibid.
*Cincinnati* ibid.
*Torquati* ibid.
*Vulſones* ibid.
*Marii* 317
*Marcii Cenſorini* 318
*Coriolani* ibid.
*Figuli* 319
*Philippi* ibid.
*Reges* ibid.
*Rutili* 318
*Mucii* 319
*Octavii* 320
*Pompeii Magni* 322
*Nepotes* 321
*Rufi* ibid.
*Porcii Catones* ibid.
*Liciniani* 323
*Saloniani* 324
*Quinctii Capitolini* ibid.
*Cincinnati* 325
*Criſpini* ibid
*Flaminini* ibid.
*Sempronii Atratini* 326
*Blæſi* ibid.

*Grachi* ibid.
*Longi* ibid.
*Sophi* ibid.
*Tuditani* ibid.
*Servili Ahalæ* 327
*Cœpiones* 328
*Fidenates* 327
*Gemini* ibid.
*Priſci* ibid.
*Structi* ibid.
*Vaciæ Iſaurici* 328
*Sulpicii Camerini.* 329
*Galbæ* 330
*Galli* 329
*Petici* ibid.
*Quirini* ibid.
*Rufi* ibid.
*Tullii Cicerones* 330
*Valerii Corvini* 332
*Flacci* 334
*Maximi* ibid.
*Meſſalæ* 333
*Poplicolæ* 332
*Potiti* 334
*Feria publicæ & privat* 346
*Flaminum creatio & numerus* 257
*Flaminis Dialis dignitas.* ibid.
*Forum* 188
*Funera* 363
*Funeris pompa* 364

G

G*Abinua ritus* 353

*Ha-*

## H

*HAruſpices* 266
*Haſta pura* 209
*Haſtati* 200
*Haſtatus princeps* ibid.

## I

*IMperator* 202
*Imperatoris appellatio* 209
*Imperium quid* 181. & 250
*Ingenui tantum ad militiam admiſſi* 189
*Ingenuus quis* 176
*Jura Romanorum* ibid.
*Jus Cenſus* 179
*Coloniæ* 185
*Conciliabuli* 188
*Fœderis* ibid.
*Fori* ibid.
*Honorum* 180
*Imperii* 181
*Italicum* 182
*Latii* 181
*Magiſtratuum* 180
*Militæ* 178
*Municipii* 187
*Patriciorum* 177
*Plebejorum* ibid.
*Præfecturæ* 187
*Provinciarum* 184
*Romanum* 176
*Sacrorum* 177
*Tributorum* 179
*Vectigalis* 179

## K

*KAlendæ* 339

## L

*LAcerna* 352
*Lectulorum circa menſam numerus* 355
*Legati* 203
*Leges latæ in comitiis* 229
*Legio quid* 193
*Legionum numerus* 295
*ordo in acie* 203
*Libertini ad militiam admiſſi* 190
*Libertus & liber quis* 176
*Ludi a quibus exhibiti* 356
*Ludi Apollinares* 360
*Capitolini* ibid.
*Caſtrenſes* 363
*Cereales* 359
*Circenſes* 356
*Compitalitii* 361
*Conſuales* 360
*Florales* 359
*Funebres* 362
*Martiales* 360
*Plebeji* 361
*Romani* ibid.
*Sacri* 359
*Sæculares* 361
*Scenici* 358
*Trojani* 363
*Votivi* 362
*Lupercorum inſtitutio, ſacrificia, &c.* 161

*Magi-*

## M

MAgiſtratus in comitiis creati 228
Manipulus quid 193
Menſium unde petita nomina 337
Menſis lunaris, ſolaris, periodicus, ſynodicus 336
MarKedonius 342
Milites cur dimiſſi 192
Militum varii ordines 198
ordo in pugna 205
Mimus 359
Mortes illuſtrium Romanorum 107
Mors L. Aemilii Pauli 117
L. Aemilii Pauli Junioris 119
Annibalis 147
M. Antonii oratoris 126
M. Antonii Triumviri 144
M. Attilii Reguli 115
D. Bruti 141
L. Junii Bruti 109
M. Bruti 143
Tit. & Tib. Brutorum 109
C. & L. Cæſarum 126
C. Julii Cæſaris Dictatoris 138
C. Caſſii 142
Sp. Caſſii 111
L. Catilinæ 131
M. Catonis 137
Q. Catuli 126
M. Tul. & Q. Ciceronum 141
L. Corn. Cinnæ 128
P. Clodii 132
M. Coriolani 110
P. Craſſi 126
M. Craſſi 133
C. Curionis 134

P. De

*P. Decii* 113
*P. Decii Junioris* 114
*M. Livii Druſi* 124
*Fabiorum* 111
*Tib. Gracchi* 120
*Caji Gracchi* 121
*Jugurthæ* 149
*M. Manlii* 112
*T. Manlii* 113
*M. Claudii Marcelli* 116
*C. Marii* 127
*Sp. Melii* 111
*Corn. Marulæ* 126
*Mithridatis* 150
*Numæ Pompilii* 107
*Octavii* 125
*Cn. Pompeii Magni* 134
*Sex. Pompeji* 144
*P. Valerii Poplicolæ* 110
*Pyrrhi* 146
*Romuli* 107
*L. Apul. Saturnini* 123
*Cn. & P. Scipionum* 116
*P. Scipionis Africani majoris* 118
*P. Scipionis Africani minoris* 122
*P. Scipionis Pompeji ſoceri* 138
*Sertorii* 130
*C. Servilii Glauciæ* 123
*P Sulpicii* 124
*L. Corn. Syllæ* 129
*Servii Tullii* 108
*Viriathi* 149
*Municipium quid* 186

N

N*Obiles qui* 268
*Nomina unde petita* 218

*No-*

*Nomina fœminis, filiis, libertis impoſita* 219
*Nomina gentium & familiarum* 221
*Nominum varia ratio florente & everſa Rep.* ibid.
*Nonæ* 339
*Numantia ab Africano minori deleta* 101
*Numitor ab Amulio regno ejectus* 2
*Nundinæ nunquam in Kalendas aut Nonas incurrebant.* 343

O

*OVatio quid* 311

P

*PAllium* 348
*Paludamentu* 352
*Patricii* 177
*Patriciorum orgio* 268
*Pedites ablecti* 197
*Penula* 352
*Phaleræ* 209
*Pinarii quando inſtituti* 260
*Plebeji* 177
*Plebis orgio* 227
*Pontificum electio* 255
*jura* ibid.
*Potitii quando inſtituti* 264
*Prandium* 352
*Præfecti equitum* 200
*Prælia Romanorum* 40
*Prælium Acilii Glabrionis contra Antiochum* 74
*L. Aemilii Pauli contra Perſeum* 72
*M. Antonii ad Philippos contra Brutum & Caſſium* 90
*M. Attilii Reguli contra Pœnos* 55. & 56
*C. Jul. Cæſaris contra Ambiorigem* 84
*contra Arioviſtum* 82
*contra Germanos* 82. 83
*contra Helvetios in Heduis* 81
con-

contra Jubam & Scipionem ad Tapſum 91
contra Nervios ad Sabin. 83
contra Pharnacem in Ponto ibid.
contra Pompejum ad Pharſalum 88
contra Pompeji filios ad Mundam 92
contra Ptolemæum ad Alexandriam 90
Octav. Cæſaris contra Antonium ad Mutinam 93
contra Brutum & Caſſium ad Philippos 94
contra Sext. Pompejum ad Siciliam 95
contra M. Antonium ad Actium 96
Q. Lutatii Catuli contra Pœnos 57
Appii Claudii contra Pœnos 54
Claudii Pulchri contra Pœnos 57
C. Claudii Neronis contra Aſdrubalem ad Metaurum 64
Clæliæ virginis contra Porſenam 44
A. Cornelii Coſſi contra Tolumnium 46
M. Valerii Corvini contra Gallum 47
M. Licinii Craſſi contra Parthos 85
M. Curii contra Pyrrhum 53
Decii contra Pyrrhum 52
C. Duilii contra Pœnos 54
Q. Fabii Rullani contra Samnites 50. & 51
Q. Fabii Cunctatoris contra Annibalem 60
C. Flaminii contra Annibalem ad Traſamenum 59
Sempronii Gracchi contra Pœnos ad Calonem 63
Horatiorum contra Curiatios 42
Horatii Coclitis contra Etruſcos 43
Junii Pulli contra Pœnos 57
Valerii Lævini contra Pyrrhum 52
Luculli contra Mithridatem ad Cyzicum 79
contra Mithridatem in Ponto ibid.
contra Tigranem in Armenia ibid.
T. Manlii Torquati contra Gallum 47
M. Marcelli contra Virdomarum 72
L. Marcii contra Aſdrubalem in Hiſpania 65
C. Marii contra Bocchum 75
con-

*contra Jugurtham ad Cirtam* 76
*contra Teutonas ad Aquas Sextias* ibid.
*contra Cimbros ad Vercellas* 77
*L. Cæcilii Metelli contra Pœnos* 56
*Q. Metelli contra Jugurtham* 75
*L. Papyrii Curſoris contra Samnites* 49
*Cn. Pompeji Magni contra Mithridatem in Ponto* 81
*contra Hiarbam & Domitium in Africa* 86
*contra Sertorium ad Sucronem* 87
*Poſthumii Regillenſis contra Tarquinios* 44
*L. Quintii Cincinnati contra Æquos* 45
*T. Quintii Flaminini contra Philippum* 69. & *ſeq.*
*Romuli contra Acronem* 40
*contra Tatium* 41
*Mutii Scævolæ contra Porſenam* 43
*Sempronii contra Annibalem ad Trebiam* 58
*P. Corn. Scipionis contra Annibalem ad Ticinum* ibid.
*P. Corn. Scipionis Africani contra Aſdrubalem ad Bætulam* 66
*contra Aſdrubalem ad Salpiam* ibid.
*contra Syphacem in Africa* 67
*contra Annibalem* 68
*L. Corn. Scipionis contra Antiochum* 72
*L. Corn. Syllæ contra Mithridatem ad Chæroneam* 78
*contra Mithridatem ad Orchomenon* ibid.
*contra Carinatem & Marcium ad portam Collinam* 86
*Tulli Hoſtilii contra Vejentes* 42
*Terentii Varonis contra Annibalem ad Cannas* 61
*T. Veturii contra Samnites ad Furcas Caudinas* 28
*Prænomen quid* 215
*quomodo ſcriptum, & unde ductum* 216
*Prætorum jura* 244
*numerus* ibid.
po-

*poteſtas* 24
*Princeps* 14
*Proletarii ad militiam admiſſi* 190
*Proconſulum inſignia & comitatus* 250
*Provinciarum diviſio facta ab Auguſto* 251
*Provinciæ Romanorum* 151
*Achaja* 166. & 167
*Aetolia* 167
*Aequi* 154
*Africa* 272
*Apulia* 155
*Aſia* 168
*Baleares* 163
*Bithynia* 169
*Brutum* 155
*Campania* 154
*Cantabria* 162
*Carnia* 159
*Caſſiterides* 163
*Cilicia* 170
*Corſica* 161
*Creta* 174
*Cyprus* 171
*Dalmatiæ* 165
*Epirus* 167
*Etruria* 152
*Gades* 163
*Gallæcia* 162
*Gallia* 157
*Alpina* 160
*Braccata* 159
*Comata* *ibid.*
*Galli Senones* 156
*Græcia* 166
*Hernici* 154
*Hiſpania* 162
*Illyiricum* 164

*Inſubria* 158
*Iſauria* 170
*Jſtria* 164
*Italia* 152
*Latium* 153
*Libya* 174
*Liguria* 157
*Lucania* 155
*Luſitania* 162
*Lycia* 170
*Macendonia* 165
*Mauritania* 173
*Numidia* 172
*Oſci* 154
*Pamphilia* 170
*Potus* 169
*Sabini* 156
*Salentini* 155
*Samnites* 156
*Sardinia* 160
*Senogallia* 156
*Sicilia* 160. 161
*Syria* 171
*Venetia* 159
*Umbria* 156
*Volſci* 154

Q

*QUæſtorum ordo* 248
*jura* 249

R

*REmus* 3
*Romani ab aliis nomina mutuati* 214
*Romani populi variæ diviſiones* 222
*Romulus & Remus Numitoris nepotes* 2
*Amulium occidunt* *ibid.*
*Romam condunt* 3
*Sa-*

## S

*Sacerdotes in comitiis creati* 229
*Sacerdotum varia genera* 254
*Senatores, & eorum origo* 225
*Servus quis* 176
*Servorum nomina* 220
*Sibyllæ quæ & quot* 262
*Sibyllini libri cui & a qua Sibylla oblati* ibid.
*Signa militaria* 205
*Socii qui* 193
*Spolia opima* 42. 48. 77. 218
*Stipendia* 207
*Stola* 352
*Suffragii ferendi ratio* 235
*Supplicatio* 209
*Syracuſæ a Marcello captæ* 98

## T

*Tempus quid* 335
*Theatra* 357
*Tigranocerta a Lucullo capta* 103
*Tragœdia* 359
*Tranſvectio quid* 243
*Triarii* 200
*Tribuni plebis* 246
*Tribuni militares* 201
*qua ratione delecti* 229
*Tribunorum militarium numerus* 201
*Tribuum inſtitutio* 222. & 223
*Triumphus* 209. & ſeq.

## V

*Veji a Camillo capti* 96
*Velites* 200
*Veſta & Veſtalis nomen unde* 258
*Veſtalium inſtitutio & munera* 259

FINIS INDICIS.

# EXERCITATIONES DUÆ,

*ALTERA*

DE PRÆCIPUIS

Veterum Romanorum

# SACRIFICIIS,

*ALTERA*

DE IPSORUM

# NUPTIIS,

*ex probatiſſimis ſcriptoribus excerptæ.*

APPENDIX

# AD REM CIVILEM ROMANORVM.

*a Petro Joſepho Cantelio S. J. explicatam.*

## EXERCITATIO PRIMA.

## ROMANORUM SACRIFICIA.

### CAPUT PRIMUM.

*De ſacrificiis in genere.*

SAcrorum ritus, qui veteribus Romanis quondam in uſu fuerunt, antequam explico, dicam breviter, quid *ſacrificium* ſit, & quot fuerint apud Romanos ſacrificiorum genera.

Sacrificium igitur erat quodcumque erga Deos officium, quod rei divinæ faciendæ cauſſa rite impendebatur. Sacrificia autem & ſacra apud veteres Romanos promiſcue dicebantur; quorum alia *domeſtica* erant, alia *peregrina*. Domeſtica illa, quæ domi nata ſunt, non aliunde ab aliis populis vel gentibus petita. Ea erant vel *mani-* I.

*Quid ſacrificiũ, & quot apud Romanos ſacrificiorum genera.*

feſta, vel ſecluſa. Manifeſta vocabantur, quæ palam fiebant; erantque duplicis generis, vel *ſtata*, vel *incertioris temporis*. Stata appellabantur, quæ certis diebus fiebant, feriis ſcilicet ſtatuis, ut Agnoalibus, Carmentalibus, Quirinalibus, Lupercalibus, & ſimilibus, quæ in veteri Kalendario Romano notantur ad ſingulos menſes. Hæc etiam dicebantur *ſolemnia*, *anniverſaria*, ſive *annua*; quorum alia erant *publica*, alia *privata*. *Publica ſacra*, *quæ publico ſumtu pro populo fiebant*; inquit Feſtus: ac proinde *popularia* etiam nominata. Hujuſmodi erant Fornacalia, Palilia, Lavitia, &c. Privata, quæ & *propria*, & *familiaria*, & *gentilitia*, ea erant, quæ pro ſingulis hominibus, familiis, gentibus fiebant; idem Feſtus: inter hæc Natalia, Denicalia, Parentalia, & ſimilia. Incertioris temporis ſacra dicuntur illa, quæ feriis publicis quidem, ſed conceptivis & imperativis celebrari ſolebant. Hujuſmodi ſunt Latina, Paganalia, Sementina, Compitalia, quæ ſingulis annis incertiore tempore concipiebantur; ut & illa, quæ fiebant feriis imperativis, quæ ſcilicet occaſione flagitante indicebantur, ob victoriam, natalem diem Imperatoris, & ſimilia. Secluſa Romanis veteribus appellabantur ſacra, quæ Græci *myſteria* vocabant; Cicero & Livius *initiationes* nominant, Plinius *ſacra opertanea*: quo in numero erat ſacrificium Bonæ Deæ, quod dulpex erat: *publicum*, quod pro populo fieret; *opertaneum* vero, quod in operto, viris non admiſſis. Talia igitur erant domeſtica Romanorum ſacra; peregrina vero ſic Feſtus deſcribit: *Peregrina ſacra appellantur, quæ aut evocatis Diis in oppugnandis urbibus Romam ſunt collata, aut quæ ob quaſdam religiones per pacem ſunt petita, ut ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcia Cereris, Epidauro Aeſculapii, quæ coluntur eorum more, a qibus ſunt accepta*. Hæc de variis ſacrificiorum generibus.

CA-

## De Hoſtiis

## CAPUT II.

SEquitur Hoſtiarum conſideratio. *Hoſtia* apud veteres Romanos nihil aliud erat, quam animal, quod imomlabatur ab Imperatore ad bellum proficiſcente, pro impetranda contra hoſtes victoria. Eadem & *victima* dicebatur, quia profligatis jam hoſtibus mactabatur ab eo, qui victoria potitus erat. Alii tamen apud Feſtum hoſtiam appellatam volunt ab antiqua voce latina *hoſtire*, hoc eſt ferire; victimam vero, quod vi ictus percuſſa caderet, ſed quod vincta ad aras duceretur. Alii etiam aliter explicant, quos referre non eſt neceſſe. Notandum eſt, quod ſcribit Servius, in omnibus ſacris feminini generis plus valere victimas. I. *Quid diſcriminis inter Hoſtiam, & Victimam.*

Hoſtiarum duo fuerunt genera: alterum, quo voluntas Dei per exta diſquirebatur; alterum, quo ſola anima Deo ſacrabatur, unde & animales hoſtias vocabant haruſpices. Porro hoſtiæ apud Romanos variis epithetis appellabantur. Aliæ enim hoſtitæ *puræ*, quæ ad ſacrificandum aptæ; aliæ *bidentes* dictæ *quaſi biennes*, ut inquit Servius, vel *quæ per ætatem duos dentes altiores haberent*, ut Macrobius; *iniuges* aliæ, quæ nunquam domitæ, ac jugo ſubditæ fuerant. *Eximiæ* erant, quæ ad ſacrificium e grege tanquam omnium optimæ eximebantur; *præcidaneæ*, quæ ante ſacrificia ſolemnia pridie cedebantur; & *porca præcidanea* erat, quam immolare erant ſoliti deæ Cereri, antequam novam frugem præciderent; *ſuccidaneæ*, quæ, ſi primis hoſtiis litatum non erat, aliæ poſt eaſdem ductæ cædebantur, quæ quaſi prioribus jam cæſis luendi piaculi gratia ſubdebantur, & ſuccedebant; *ambarvales*, quæ Ambarvaliorum feſto circum arva du- II *Hoſtiarũ genera quot.*

cebantur. *Caviares*, quæ & *cavæ*, erant hoſtiæ cauda tenus, quæ in ſacrificio ponebantur quinto quoque anno pro collegio Pontificum; *prodigæ*, quæ conſumebantur; *piaculares*, quæ cædebantur, piaculi luendi gratia; *harvigæ*, cujus adhærentia inſpiciebantur exta; *optatæ*, quas Ædilis tribunicius conſtitutis hoſtiis immolandas optabat, ſeu eligebat. Denique aliæ *maximæ* dicebantur ab ætate; *mediales*, quæ meridie immolabantur; *minores*, perfectis & majoribus oppoſitæ, quæ & *lactentes*. Hæc de Hoſtiis.

## CAPUT III.

### *De ritibus, ac primum de iis, qui ſacrificium antecedebant.*

I. *Sacerdotum præparatio* RItus, in ſacris rite peragendis obſervari ab Romanis ſoliti, varii fuerunt. Elegans ſane & notatu digna lex eſt, quam ſacrificaturis præſcribit Cicero: *Ad Divos adeunto caſte, pietatem adhibento, opes amovento; qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex eſto.* His verbis præparatio quaſi deſcribitur ad ſacra; ſacerdos enim in omnibus ſacrificiis rite celebrandis, antequam Diis immolaret, aut rem divinam faceret, quibuſdam ſe prius ſacris præparabat: unde Græcis verbum frequens ἐξοργιάζειν, hoc eſt ad cultum ſacrorum ſe expiare. Eo pertinebant, corpus abluere, venere abſtinere, & ſimilia. Plerumque tamen manus tantum lavabant; aliquando etiam pedes. Hinc apud Latinos proverbia; *illotis manibus pedibuſque rem aliquam aggredi:* hinc toties apud eoſdem *puræ manus*, *pure lavari &c* Hæc autem lavatio fiebat vivo flumine, hoc eſt ſemper fluente & naturali.

II. *Hoſtiarũ Probatio* Hoſtiarum deinde, antequam ad mactationem ducerentur, probatio fiebat; quæ cujuſmodi fuerit, ex-

explicat Lucianus: *Coronatam pecudem*, inquit, *multo ante explorarunt, ſitne ad ſacra legitima, ne quam ex his mactent, quas vetat religio. Erant autem iſtæ probationes*, inquit Servius, *utrum eſſet animal aptum ſacrificio oblatum. Etiam cultrum a fronte uſque ad caudam ante immolationem ducere conſueverunt.* Hoſtiis probatis, bonis nominibus elegebantur, qui eas ducerent. Ducebantur autem hoſtiæ *prælato titulo*, cui ſcilicet Deo eſſent mactandæ. In iis ducendis conſiderabant, an reluctarentur: ducendæ enim erant ad ſacrificium, non trahendæ. Adductæ hoſtiæ aris admovebanur; quibus admotis, obſervabant ſacrificaturi, an ſtarent; an vero fugerent. Si ſtarent, probabantur; ſin fugerent, non ſolum improbabantur, ſed & dirum illud & triſte accipiebant omen. In ſtante victima hoc etiam conſiderabant, an horrendos ante mactationem ederet mugitus. Moris autem erat, ſi fugeret, ut eam, ubicumque locorum inveniretur, occiderent, ne piaculum committeretur.

*et deductio.*

Stante jam ad aras hoſtia, & omnibus ad ſacrificium & mactationem præparatis, ſacrorum miniſter ſolemni voce profanos ſacris exeſſe jubebat, & quaſi arcebat. Hinc *profani* dicebantur qui pro fanis jubebantur eſſe, ſacris nondum initiati; quibus etiam ſacrorum myſteria & arcana non licebat aperire, nam enunciare illa nefas habebatur. Polluti quoque, id eſt, quibus manus non erant puræ, aut etiam ſanguinolentæ erant; impii item, & ſceleribus flagitiiſque contaminati ſacris arcebantur. Aliquando a lictore clamabatur: *Hoſtis vinctus, mulier, virgo exeſto*; quæ formula locum habebat in iis tantum ſacris, quibus mulieres intereſſe non poterant.

III.
*Quinam a ſacris amoti & prohibiti.*

Juſſis exeſſe, quibus intereſſe ſacris non licebat; erat qni publice imperabat, ut qui interſerant linguis faverent. Quid autem voluerint hac formu-

IV.
*Quid linguis favere?*

ta veteres illi in rebus divinis, exponit Seneca (*in lib. de vita beata.*) *Hoc verbum non, ut plerique exiſtimant, a favore trahitur, ſed imperatur ſilentium, ut rite peragi poſſit ſacrum, nulla mala voce obſtrepente &c.* Paulus tamen ex Feſto *favere* illud interpretatur non *ſilentium præſtare* ſed *bona verba fari*, unde ſæpiſſime *bona verba* in rebus ſacris nominant veteres ſcriptores, quibus contraria erant *mala verba*.

V. *Veſtimenta ſacra.* His peractis, ſacrificaturi ad ſacra rite facienda ſe componebant. Imprimis autem ſacris ſe veſtibus induebant. Veſtimenta hæc *pura* eſſe oportebat, ideſt *non obſita*, ut ait Feſtus, *non fulgurata non funeſta, non maculam habentia.* Ea erant linea, teſte Servio, & purpurea. Sacris veſtibus induti fronde ſe coronabant; aram deinde manibus apprehendebant; tum fundebant preces. Ne quid vero in precando præteriretur, vel præpoſterum quid diceretur, aliquis de ſcripto verba præibat.

## CAPUT IV.

### *De ritibus in ipſo ſacrificio obſervari ſolitis, ac primum de iis, qui ſpectabant ad Superos.*

I. *Sacrificii ritium.* SIc igitur componente ſe ad ſacrificia peragenda ſacerdote, vel eo qui ſacrum eſſet celebraturus, ſtabat ad aram hoſtia, vinculis ſoluta: *nihil* enim *in ſacris vinctum eſſe oportebat*, inquit Servius; unde etiam *vincti* mentio in ſolemni illa formula: *Hoſtis vinctus, mulier, virgo exeſto*, de qua ſupra. Stans victima aqua pura luſtrabatur, deinde illi vinum infundebatur, quod purum eſſe oportebat, idque inter cornua, vel in frontem. In illo infundendo certa verborum utebantur ſolemnitate: *Macte hoc vino inferio eſto*; de qua ita Servius. *Quoties aut thus,*

aut

*aut vinum ſuper victi mam fundebatur, dicebant : Mactus eſt taurus vino, vel thure; hoc eſt cumulata eſt hoſtia, id eſt magis aucta*. Inferium autem vinum appellabant illud ipſum, quod dabatur, quod inferebatur, quod infra pateræ labrum libabatur, ut ex Feſto Paullus. II.

*Quid mola ſalſa, & immolare.*

Hoſtiæ vino perfuſæ mola ſalſa etiam inſpergebatur unde verbum *immolare*. Servius: *Immolare eſt mola, ideſt farre molito & ſale hoſtiam perſperſam ſacrare*. Immolandi autem verbum animadvertendum eſt tribui, non Popis, non Victimariis, id eſt ſacrorum miniſtris, ſed his, qui magiſtratu vel ſacerdotio publico præditi erant, quive etiam privatim domi ſacra faciebant. Mola hæc ſalſa fiebat a virginibus Veſtalibus ter anno ex farre, quod propterea *pium* a veteribus Poetis eſt appellatum. III.

*Juſſus.*

Poſt immolationem aderant ſuccincti ad ſacrificia miniſtri Popæ & Victimarii. Succincti, inquam; nam ſuccinctum eſſe eorum erat habitus. Inter eos qui hoſtiam cæſurus erat ( nam alii aliis intenti ſacra denſi circumſtabant ) *agon'* vocem ſolemnem ingeminabat, qua juſſus exſpectabatur; unde *agonales dies* dicti. Tandem jubebatur ferire juſſum; fiebat autem juſſus ille ſolemni verborum formula: *Hoc age*. Quia vero miniſtri attentiſſimi adſtabant, exſpectantes juſſum, hinc & extra ſacra, illa loquendi ratio ad attentionem conciliandam uſurpari conſuevit. IV.

*De victimæ percuſſione.*

Juſſu edito, hoſtiæ feriebantur. Fiebat hoc ſecuri; quandoque etiam malleo. Hoſtia ferienda dicebatur *præbere*, hoc eſt dare, porrigere, offerre cervicem feriendam. Illa percuſſa, videbant quomodo ſe haberet; an placida eſſet, quod boni erat ominis; an vero, quod mali & ſiniſtri, mugitum ederet; vel etiam, an icta fugeret. Illud etiam videbant, an in aliam, quam oportebat, corporis partem procideret. Hæc omnia *piacularia auſpicia* dice-

ce-

cebantur, quæ ſacrificantibus triſtia portendebant.

V. *Ritus circa exta deque igne & lignis ſacris.*

Jacenti hoſtiæ miniſtri cultros ſupponebant, eamque jugulabant, quod fiebat præcluſo ſpiritu, ne quid de ſacra deperiret; vel nequid mancum ſive non integrum Diis offerretur. Jugulatæ victimæ cruorem pateris ſuſcipiebant; deinde viſcera aperiebant; ſtatimque ſuccedebat extorum inſpectio, de qua videndus Cantelius noſter, ubi de Haruſpicibus agit. Exta, ſi bona ab extiſpicibus eſſent nunciata, abluebantur, abluta lixabantur; deinde ſacerdotibus oblata proſecabantur in fruſta, & fumantia adhuc conſpergebantur farina, ut facilius ab igne apprehenderentur. His ita peractis, ignis in ara accendebatur, qui ex lectis lignis fiebat. Neque enim parva diligentia erat in eligendis lignis, quæ convenirent ſingulis ſacrorum generibus; quandoquidem non ex quibuslibet lignis ignis accendebatur, ſed ex lignis in ſacrificiorum lege nominatis. In ſacris Bacchi antiquitas nulla ligna, niſi oporebaſilidis, aut phibaleæ ficus, aut viticis cum foliis vitium utebantur. In ſacris Veneris myrthus cremabatur. Apud Sicyonios vero ignis non fiebat, niſi ex lignis juniperi. In Jovis ſacris ilicis ligna, in Martis fraxinorum, in Herculis cerri, æſculi, aut corni utebantur. Sed hæc non adeo curioſe ſervabant Romani. Notandum eſt autem, quod ſcribit Servius, apud majores non ſolere incendi, ſed ignem divinum precibus elici, qui incendebat altaria.

VI. *De Thure, Vino, aliiſque ritibus.*

Igne accenſo, exta aris inferebantur, lancibus impoſita vel caniſtris. Ut vero odoratus ſuaviores haberet victima, thus maſculum offundebatur, quod ſinguli pro ſuis facultatibus dabant. Ditiores enim thuris acervos ingerebant, plena acerra grandique lance; pauperiores thuris tantum grana quædam ſeu micas jaciebant ſummis digitis duobus aut tribus. Præter thus offundebatur etiam vinum; purum, inquam, non ſpurcum. Spurci nomine id vinum appel-

pellabant, quod ſacris adhiberi non licebat; quale credebatur, cui aqua adiuncta erat, defrutumve, aut igne tactum, muſtumve antequam deferveſceret. Huc pertinet vinum *calpar*, ideſt vinum novum, *quod* ( ut ſcribit Feſtus ) *ex dolio demebatur ſacrificii cauſſa*, *antequam guſtaretur*. In his autem omnibus cautio erat, ut quidquid dabatur, de manu daretur dextera. Omnibus tandem rite peractis, conveniebant ſacerdotes & nonuulli eorum qui interfuerant, & ad epulas ſe convertebant. Laudes inter veſcendum Diis cani ſolitæ.

## CAPUT V.

### *De ritibus, qui ad Deos inferos & marinos pertinebant.*

TAlia erant ſacrificia Deorum, quos Superos Romani habebant & appellabant: nunc reſtat, ut pauca dicamus de cultu Inferorum. Sacrificia, quæ Diis inferis fiebant, tempore, colore veſtimentorum, ritu, & ſimilibus nonnihil differebant. Sacrificabant autem veteres Diis inferis, quod exiſtimarent eos malorum omnium, quibus homines exagitabantur & vexabantur, auctores eſſe. Inferorum ſacra fiebant die ad veſperam inclinante, atque etiam noctu, ut nonnulli volunt. In his numina variis modis & myſticis quibuſdam ſonis invocari ſolita. Aræ, quæ pares erant & geminæ, cupreſſo ornabantur & vittis cæruleis, quibus etiam hoſtiæ integebantur. Hæ nigræ erant, pecudes ſcilicet nigri coloris, quæ jugulabantur in effoſſis foveis & ſcrobibus. Certus autem fuit in his ſacrificiis victimas probandi ritus; nam ſtanti ad aras victimæ vinum invergebatur, probandi cauſſa. *Invergebatur*, inquam; quæ vox in ſacrificiis Inferorum ſolemnis

I. *Quo ritu Inferi colerentur.*

erat

erat & propria; nam in aliis *fundi* dicebantur. Fundere (inquit Servius) *eſt ſupera manu libare, quod fit in ſacris ſuperis*; vergere *autem eſt converſa in ſiniſtram partem manu ita fundere, ut patera convertatur, quod in inferis fit*. Hæc autem pertinent ad victimarum explorationem, ut ſi non ſtupuerunt, aptæ probentur. Quemadmodum autem victimæ, quæ Superis mactabantur, cogebantur jugulum ſuperius vertere, ita quæ mactabantur Inferis, caput ad terram depreſſum tenebant. Jugulata victima, ſanguinem pateris exceptum prælibabant; ter deinde ferebant circum aras victimæ excoriatæ viſcera; cruorem denique adhuc ſpirantem in effoſſam terram mittebant. Victimæ ſic jacenti & jugulatæ, uti erat aræ ſubterraneæ impoſita, vinum ſuperinfundebatur; deinde mel, mulſum, & lac. Sunt, qui oleum pro vino Plutoni datum afferant. Ut autem Diis ſuperis libabant tantum, & vaſis vinum effundebant; ita Inferis ſacrificantes etiam vaſa in ignem conjiciebant.

II. *Quo ritu Dii marini*

Ritus in Inferorum ſacrificiis obſervari ſoliti hi ferme erant: nam in iis, quæ Diis marinis fiebant, id præterea moris erat, ut cum jugulatæ eſſent & profectæ victimæ, prius exta cum precibus, deinde vinum in aquam effunderetur. Ovidius ſane (*Metam lib.* XI. *v.* 247.) thuris quoque honorem Diis marinis tribuit; quod a natura hujuſmodi ſacrorum videtur valde abhorrere, cum aeris tantum numinibus id genus ſacrificii ad altiora tendentis conveniat, non aquaticis. Hæc de ſacris eorumque ritibus in genere dicta ſufficiant: ad peculiaria tranſeamus, in quibus ſiquid ſingulare erit, ſuo loco explicabitur.

CA-

## CAPUT VI.

*De ſacrificiis menſe Januario fieri ſolitis.*

KAlendis Januarii ſuo Jano ſacrificabant Romani, fiebatque illud ſacrum libo, quod a Jano *Janual* appellabatur, & mola ex farina horna & ſale permixta, denique thure & mero. Hoc die, qui deſignati erant Conſules, magiſtratum inibant, & comitati frequenti populo aſcendebant in Capitolium, ubi Jovi optimo maximo injuges juvencos mactabant, & quamplurima odorem gratum & ſuavem facientia in templis & pro eorum foribus cremabantur, quod obſervari cœpit anno Urbis conditæ 601. Q. Fulvio Nobiliore & T. Annio Luſco Coſſ. I. *Janual.*

In diem nonum Januarii, qui Latinis quintus ante Id. dicebatur, *Agonia*, ſive *Agonalia* incidebant. Plures hujus appellationis cauſſæ a ſcriptoribus afferuntur. Ovidius quinque enumerat: vel enim Agonalia idcirco dici potuiſſe ait, quod miniſter ſacrorum, ſive Victimarius cultrum manu tenens, atque hoſtiam feriturus, rogare ſolebat. *Ago ne?* i. e. *ferio ne?* nec, niſi juſſus ageret, hoſtiamque percuteret. Vel ab agendo dicta fuerunt, quod hoſtiæ non ſponte ad ſacrificia veniebant, ſed a miniſtris agebantur. Vel ab agnis, quaſi Agnalia prius dicta fuerint; cum tamen non agnus, ſed aries immolari conſueviſſet. Vel a voce Græca *ἀγὼ*, quæ Latinis *trepidatio* eſt, a metu ſcilicet hoſtiarum, quæ, viſo cultro quo erant feriendæ, in aqua, ſive in mola, ubi tingebantur, trepidabant. Vel denique a ludis Græcorum, qui *Agones* dicebantur: quæ ſententia præ cæteris Ovidio probatur. Celebrabantur autem Agonalia in honorem Jani, ex inſtituto Numæ Pompilii, quo die Rex ſacrorum arietem (uti diximus) immolabat. II. *Angonalia.*

III. *Carmentalia.* Undecimo Januarii die, Idus tertio, *Carmentalia* fiebant, quæ nomen a vate Carmenta, Evandri matre ex Mercurio, nacta ſunt. Illi enim poſt mortem in Dearum numerum relatæ arma dicarunt Romani apud eam portam, quæ deinde Carmentalis appellata eſt; ibique hoc ipſo die ante meridiem quotannis ſacrificabant, quod de Imperio Romano multa eſſet vaticinata. Die autem decimoquinto, qui decimus octavus erat ante Kal. Februarii, Carmentalia iterum referebantur, & ipſa a Carmenta Evandri matre dicta, vel a duabus Carmentis Porrima & Poſtverta, ſive Proſa & Prorſa; de quibus vide Ovidium (*Faſt. lib.* 1. *v.* 643.) qui præterea notat piaculum fuiſſe *ſcortea*, i. e. ſua morte peremta in his ſacris afferre. Hæc autem a matronis excolebantur; cujus rei cauſſam affert Plutarchus. Cum enim Senatus uſu olim carpentorum matribus interdixiſſet, illæ inter ſe conſpirantes neque uterum gerere, neque parere voluerunt, ut viros hac ratio, ne ſuos ulciſcerentur; donec carpentorum uſu iterum conceſſo quum peperiſſent, fœcundæ & liberorum copia claræ templum Carmentæ poſuerunt, eique ſacrum fecerunt.

VI. *Sementina.* His deinde *Feriæ ſementinæ* ſuccedebant, quæ non ſtatæ erant, ſed conceptivæ, & ſationis cauſſa ſuſceptæ, quaſi ex iis fruges grandeſcere potuiſſent. Pro felici igitur frugum proventu his Feriis ſacra in æde Telluris Telluri & Cereri fiebant.

## CAPUT VII.

### *De Februar i*

I. *Lupercalia.* INter præcipua menſis Februarii ſacrificia, *Lupercalia* fuerunt die decimoquinto, qui item decimuſquintus eſt ante Kalendas Martias. Originem horum ſacrorum alii ad alios referunt: nonnulli ad

Evan-

Evandrum, a quo ex Arcadia in Italiam translata volunt; plerique tamen ad Romulum & Remum. Ajunt enim eos in Fauni ſacro, dum pararentur epulæ, ipſique ſeſe nudos exercerent in ludis, vocatos ex alto a paſtore, monitoſque, prædones abigere armenta. Omnibus igitur in diverſas partes, ut nudi erant, diſcurrentibus, a Remo abacta armenta recuperata ſunt, & in hujus rei memoriam inſtitutum hoc ſolemne. Sunt, qui a Lupa, Romuli & Remi nutrice, dicta volunt; cum Luperci ab eo loco, quo Romulus expoſitus fertur, curſum ſuum ordiantur. Utcumque ſit de Lupercaliorum origine, eorum ritus explicemus, qui ſane ſingulares admodum erant. In Palatino monte, ubi Panis templum erat & ſimulacrum, caprina facie & barba oblonga, capræ candidæ jugulabantur: ibique ſiſtebantur adoleſcentes nobiles duo, quorum frontes alii, cultro ſanguine perfuſo, tingebant; alii ſtatim lana lacte madente abſtergebant, eoſque dum abſtergerentur ridere oportebat. Caprarum deinde pelles in ſcuticas diſſecabant, ac ſubligaculis præcincti, nudi unctique curſum ordiebantur, uti dictum ſupra eſt, a ficu Ruminali, ubi Romulus & Remus fuerunt expoſiti. Diſcurrentes autem obvios quoſque verberabant per luſum & laſciviam Mulieres quoque palmas caprinarum pellium ſcuticis cædendas ultro præbebant, credentes earum ictus ad fœcunditatem facilitatemque pariendi conducere. Turpe autem & inoneſtum fuit honeſtis viris, & magiſtratu fungentibus vel jam functis, Lupercos agere; qua de cauſsa graviſſime invectus eſt Cicero in Antonium.

II. *Quirinalia, & Fornacalia.*

Lupercalibus *Quirinalia* ſuccedebant die decimoſeptimo Febr. qui decimustertius ante Kalendas Martias dicebatur. Hæc etiam *Feriæ ſtultorum* appellabantur, quod cum quiſque in ſua curia *Fornacalibus*, quæ indictivæ feriæ erant, feriaretur & ſa-

ſacra faceret, ſtulta populi pars quæ ſua curia eſſet ignorans, rem divinam Fornacalibus omiſſam, Quirinalibus faciebat. Fornacalia autem a Numa Pompilio inſtituta Deæ Fornaci fiebant farris torrendi gratia, quod ad fornacem, quæ in piſtrinis erat, ſacrificium fieri ſoleret.

III. *Feralia.* Die Februarii decimoſeptimo, ut Ovidius docet, vel ut alii, vigeſimoprimo, qui nonus eſt ante Kal. Martias, *Feralia* inſtituebantur. Hæc ſive a feriendis pecudibus, ſive ab inferis, ſeu potius a ferendis ad ſepulcrum epulis dicta ſint, vel ab Ænea originem traxerunt, ut auctor eſt Ovidius, vel a Numa Pompilio, a quo alia multa, ut ſcribit Macrobius. Ritus deſcribuntur ab Ovidio (*lib. Faſt. v. 533. & ſeq.*) ubi id precipuum eſt, quod in ſacris iſtis epulæ ad ſepulcrum allatæ ſuper nudam ſilicem ponerentur, unde *ſilicernium* dictum eſt, auctore Servio. Donatus tamen ſcribit *Silicernium eſſe cænam, quæ infertur Diis manibus, quod eam ſilentes cernant, id eſt poſſideant umbræ; vel quod qui eam inferunt, cernant quidem, ſed non deguſtent: nam de his, quæ libantur inferis, quiſquis ederet vel biberet, funeſtabatur.* Durabant Feralia dies undecim, quibus vel nubere, vel ſacrum Diis ſuperis facere ominoſum erat. *Mutæ* etiam Deæ his diebus ſacrificium quoddam magnum fieri ad compeſcendas deſtrahentium linguas Ovidius docet, quod cujuſmodi fuerit, vide in Faſtis. Plura vid. infra in *Parentalibus*.

IV. *Chariſtia.* Proximo a Feralibus die *Chariſtia* a charis & amicis celebrabantur. De his Valerius Maximus l. 2. c. 1. ex. 5. *Convivium*, inquit, *ſolemne majores inſtituerunt, idque* Chariſtia *appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur, ut ſiqua inter neceſſarios querela eſſet orta, apud ſacra menſæ & inter hilaritatem animorum, fautoribus Concordiæ adhibitis, tolleretur.*

V. *Terminalia.* Sequuntur *Terminalia*, quod is dies, ut Varro illud

explicat, anni extremus erat conſtitutus. Feſtus tamen a Deo Termino derivat, cui ſacrificabant, quod in ejus tutela fines agrorum eſſe putarent. Terminorum autem tanta religio fuit, ut Numa ſtatuerit eum, qui Terminum exaraſſet, & ipſum & boves ſacros eſſe. Sacra hæc incruenta ab eodem Numa inſtituta ſunt, quod nefas eſset lapides Terminos hoſtiarum cæde cruentari, ac proinde liba tantum Cerealia, frugumque primitiæ offerebantur. Sed agnum deinde & porcam Deo Termino cædi conſueviſſe auctor eſt Ovidius, a quo plures etiam hujus ſacrificii ritus recenſentur.

VI. *Regifugium, & Equiria.*

Ultimo loco occurrunt *Regifugium* & *Equiria*, illud vigeſimoquarto Februarii die, hoc eſt ſexto Kalend. Martii, hoc vigeſimoſeptimo, ideſt ante Kal. Mart. tertio. *Regifugium* vel ab regis Tarquinii ex Urbe fuga, vel a fuga Regis ſacrorum ex foro comitio dictum volunt. Regem enim ſacrorum, facto inter Saliares virgines & Salios ſacrificio, ſtatim e comitio fugere conſueviſſe, Feſtus memorat. *Equiria*, a Romulo in honorem Martis inſtituta, ab equorum curſu dicta ſunt. Hæc in Campo Martio juxta Tiberim celebrabantur, niſi Tiberis inundaſſet; tum enim in montem Cœlium tranſlata, ubi locus dictus Campus Martialis, in quo equi currebant, ſi quando aquæ Tiberis Campum Martium occupaſſent. Sunt & *altera Equiria*, tertio idus Mart. celebrari ſolita. Nonnulli augurantur illa facta fuiſſe, ut equitatus luſtraretur; hæc, ut numerus integraretur.

## CAPUT VIII.

### *De Martio.*

I. *Matronalia.*

IN primum Martii diem *Matronalia* incidebant, inſtituta a Romulo; & a matronis Romanis, a quibus celebrabantur, appellata. Eorum cauſsæ variæ indicantur: alii enim referunt ad bellum, a ma-

tronis Romanos inter & Sabinos diremtum ; alii inſtituta volunt, ut matres favore Martis eam felicitatem conſequerentur in filiis,quam videbatur is Deus Iliæ conceſſiſſe ; alii ſic dicta putant, quod menſe Martio terra fœcunda ſit, quales Matronæ fieri cupiunt ; alii, quod hoc die Junonis Lucinæ ædes coli cæpta ſit ; alii tandem, quia Mars filius dicatur Junonis, quæ conjugiis putabatur præeſſe. Hoc die a viris munera feminis mittebantur, quemadmodum Saturnalibus a feminis miſſitabantur viris. Matronæ item hoc die ſervis ſuis cœnas apponebant, ut eos ad promtius obſequium hoc modo invitarent.

II. *Feſtum Anciliorum.* His Kalendis, & duobus ſequentibus diebus ex Numæ inſtitutione *feſtum Anciliorum* erat. Hæc ſacra & dies feſti cœnis & commeſſationibus cum cantu & ſymphonia laute admodum a Saliis celebrabantur, adeo ut opiparum quadris & ſplendidum convivium *Saliare* poſtea fuerit appellatum. Tribus Anciliorum diebus non modo nubere, ſed quidquam inceptare religio erat ; expectandum enim cenſebant, dum condita eſſent Ancilia.

III. *Annæ Perennæ.* Die decimoquinto, hoc eſt idibus, feſtum erat *Annæ Perennæ ;* de qua Ovidius *Faſtor. 3. v. 533. & ſeq.* Hoc feſto plebs Romana (nam reliqui ordines Senatorius & equeſtris continentiores erant) in ripa Tiberis genio & largioribus poculis indulgebat, & cantu quodam vitam ſibi perennem precabatur. Idus Martiæ poſt mortem C. Julii Cæſaris *Parricidium* nominari cœperunt ; cautumque, ne unquam eo die Senatus haberetur.

IV. *Liberalia.* In decimumoctavum hujus menſis diem, ideſt in xv. Kal. April. incidebant *Liberalia*, a Deo Libero ſive Baccho ſic nuncupata. Varro tamen mavult a *libertate* derivare ; *quod per totum oppidum eo die ſederent*, (h. e. feriarentur) *ſacerdotes, liberi, & anus hedera coronatæ cum libis & foculo pro emtore ſacrificarent*. Servius Liberalia dicta arbitratur, quod

ad

ad purgationem animæ pertinerent. Hæc & *Agonia* a nonnullis dicta ſunt. Liberaliorum ritus deſcribuntur ab Ovidio *Faſt. 3. v.* 725. Vilis anus, hedera coronata, liba calentia quibus mel erat infuſum Baccho offerebat, inde illa, ſecum ducens feminarum choros & greges, populum invitabat ad liba guſtanda. Eo die adoleſcentes Romani, poſita prætexta, togam virilem & liberam ſumebant.

*Quinquatria* xiv. Kal. April. hoc eſt decimonono hujus menſis occurrebant, in honorem Minervæ inſtituta, & a quinque dierum numero, quibus fiebant, ſic dicta. Hi dies jucunde & hilariter tranſigebantur, in iiſque, prima excepta, venationes, ſcenici ludi, & oratorum poetarumque certamina fiebant; pueri magiſtris ſuis munus, quod *Minerval* dicebatur, offerebant, ſuiſque ſtudiis veniam & vacationem impetrantes lætos hos dies agebant. Soliti autem ſacra facere non modo pueri puellæque ludos litterarios frequentantes, ſed etiam magiſtri, ſcriptores, pictoreſque, & quæ lanam tractabant, quique fullonicam exercebant. Ultimo autem Quinquatrium die, qui x. Kal. April. ſeu 23. menſis Martii erat, *Tubiluſtrium* celebrabatur, ſic dictum, quod eo die tubæ ſacrorum in atrio ſutorio luſtrarentur; id autem agna factum fuiſſe, quidam ex Feſto colligunt. V. *Quinquatria & Tubiluſtrium.*

*Hilaria* incidebant in vigeſimumquintum diem Martii, ideſt in VIII. Kal. Apr. quo primum tempore ſol diem longiorem nocte protendit. Celebrabantur in honorem Matris Deum, in quibus omnia feſta & fiebant, & dicebantur. VI. *Hilaria*

Vigeſimoſeptimo Martii die, ideſt VI. Kal. Apr. erat *Lavatio Matris Deum*. Eo die in Almone Fluvio, qui haud procul ab Urbe fluebat in Tiberim, a Sacerdote veſte purpurea induto abluebatur ſimulacrum Matris Deum, quod ex Phrygia advectum erat; dumque vehebatur & lavabatur, obſcœna & turpia ante Deam cani conſueverunt. VII. *Lavatio Matris Deum.*

## CAPUT IX.

### *De Aprili.*

I. *Sacra Veneris* KAlendis Aprilis Veneris ſacrum fiebat, & matronæ ſertis myrteis redimitæ ſimulacrum ejus & ſe abluebant. Virgines etiam apud templum Fortunæ virilis, quod erat in ripa Tiberina, myrto coronatæ thure ſacrificare & lavari conſueverunt; quæ autem viro maturæ erant, ducebantur in templum, ibique depoſitis veſtibus omnia corporis vitia detegebant, ſperantes fore, ut ea Fortunæ beneficio viros laterent. Eodem die placabatur Venus *verticordia*, ut corda conjugum verteret, & animos ab illicito amore prohiberet.

Pridie nonas erant *Megaleſia*; quinto autem idus *Cerealia*, ſive ludi Megalenſes & Cereales, de quibus vide Cantelium pag. 359.

II. *Fordicidia.* Die decimoquinto, hoc eſt XVII. Kal. Maji, celebrabantur *Fordicidia*, in quibus *boves fordæ, ideſt gravidæ immolabantur, dictæ a fætu:* Feſtus. Hujus ſacri origo hæc traditur ab Ovidio. Cum, Numa regnante, modo ſiccitas, modo nimiæ pluviæ ſterilitatem facerent, Faunus a Numa conſultus fuit, qua ratione ſterilitas tanta averti, & Dii qui videbantur irati, placari poſſent; qui reſpondit, placandam Deam Tellurem eſſe duabus hoſtiis, quas tamen juvenca una daret, quod de bove gravida Ægeria nympha interpretata eſt. Triginta vero gravidas boves hoc die immolatas ſcribit idem Ovidius, pro munere curiarum, in ſingulis ſcilicet ſingulas; aliquas etiam in templo Jovis Capitolini. Eodem die virgo Veſtalis maxima cremabat vitulos, quorum cinis ſervabatur in templo Veſtæ, unde ſuffimen fieret, quo populus purgaretur.

III. *Palilia.* Undecimo Kal. Maji, qui dies natalis Urbis Romæ

mæ erat, ſacra fiebant, a Pale paſtorum Dea *Palilia*, ſeu a pariendo *Parilia* appellata. Quibus ceremoniis ea celebrata fuerint, fuſe admodum more ſuo explicat Ovidius. Primum ſuffimen conficiebatur vituli favilla, equi ſanguine, & fabæ culminæ; deinde primo diluculo paſtor luſtrabat oves & ovilia: & oves quidem aqua & ſulphure inſpergebat, ſabina vero herba, olea, & lauro igne ſuccenſis, circum ovilia ſuffibat; quo ſuffimento pecora piari, morbos depelli, & tabem averti putabant. Sacrificabatur deinde Pali Deæ cibo, quod confectum erat ex milio, lacte, & ſapa, & preces ad eam fiebant. Sacris peractis, paſtores aqua ſpargebantur, cœnæ apparabantur, & veſperi ſub noctem ignes ab ruſticis excitabantur ex ſtipulis, quos ter tranſiliebant.

Vigeſimotertio Aprilis die, ideſt IX. Kal. Maji, *Vinalia priora* erant, vinis deguſtandis inſtituta, ut auctor eſt Plinius. Hoc Vinalium die meretrices ſacrificabant Veneri Erycinæ, cujus templum erat Romæ, haud procul a porta Collina. Sunt & *Vinalia poſteriora*, quæ in menſem Auguſtum incidunt. De his loco ſuo. IV. *Vinalia priora*

Vinalibus, die vigeſimoquinto Aprilis, hoc eſt VII. Kal. Maji, *Robigalia* ſuccedebant, dicta a Robigo Deo, quem Romani veteres colebant; non ut prodeſſet, ſed [quemadmodum Febris, & ſimilia mala & ſiniſtra numina] ne obeſſet. Sacrum hoc ove & cane peragebatur, quorum exta Deo cum thure & vino offerebantur. V. *Robigalia*.

Ultimo loco occurrunt menſe Aprili *Floralia*, quæ fiebant die vigeſimo octavo, ideſt VI. Kalend. Maji. Hæc in honorem Floræ inſtituta ſunt a Romanis, teſte Plinio, anno U.C. 516. ex oraculo Sybillæ, ut omnia bene defloreſcerent. Sacra turpia erant, & vere meretricia, ut Ovidius appellat, in quibus præter fædas corporum meretriciorum denudationes, ædiles cicer, fabas, & alia id genus ſpargebant populo in VI. *Floralia*

theatro ; leporeſque & capreas aliaque mitia animalia his ludis admittebant, non leones, non urſos, aut apros ſimileſque grandiores feras. Lapſu temporis introducti fuerunt & elephanti funambuli, quod primo a Galba Imperatore factum eſt. Spectantes autem verſicoloribus veſtibus in hiſce ludis, quemadmodum albis in Cerealibus, utebantur.

## CAPUT X.

### *De Majo.*

I. *Sacra Bonæ Deæ.* SEquitur Majus, cujus Kalendæ conſecratæ erant Laribus, & Præſtitibus, & Bonæ Deæ. Laribus quidem, quod his eo die ara a Curibus Sabinis, vel potius a Curio quodam dedicata fuit; Præſtites ſic dicti ſunt, quod omnia ſuis oculis tuta præſtarent; ad Bonam Deam quod attinet, ſacra illi fieri ſolita teſtatur Ovidius *Faſt.* 5. *v.* 148. Kalendis autem celebrabatur hujus Deæ feſtum, propterea quod eo die virgo quædam, quam alii Clauſam, alii Claudiam Veſtalem eſſe putant, templum ei dicavit in monte Aventino, quod poſtea Livia Druſilla vetuſtate collapſum reſtituit. Sacra Bonæ Deæ non ubique & paſſim per Urbem fiebant, ſed in domo Pontificis maximi, atque adeo in ipſo ædium ultimo receſſu. Putant tamen nonnulli, ſacra hæc celebrata fuiſſe non in ſolius Pontificis, verum etiam in Conſulis & Prætoris ædibus. Hæc noctu a ſolis mulieribus peragebantur, ita ut viro intereſſe non liceret, ipſæque picturæ maſculorum velari juberentur. Mulieres ipſas caſtas eſſe oportebat, & quæ aliquot dies a viris abſtinuiſſent: unde etiam Plutarchus putat, mulieres in hoc ſacro myrtum abominari, quod Veneri dicata ſit. Huic Deæ vinum libabant, quod tamen non vinum, ſed lac, vaſque ipſum non vinarium, ſed mellarium appellabant; canes quoque mactabant, &

ſuem

ſuem prægnantem; feminæque probris & maledictis Deam inceſſebant, neminem optabant bonum inveniri, qui domi naſceretur. Abſurda vota, apud Deam præcipue, quam Bonam dictitabant.

In ſecundum diem Maji, qui Latinis VI.non. vocabatur, & Laribus attributus erat, incidebant *Compitalia*, ſic dicta, quod in compitis peragebantur. In illis ſcribit Macrobius, pueros antiquitus pro familiarum ſoſpitate Maniæ Deæ, matri Larium, fuiſſe immolatos ex reſponſo Apollinis, quo præceptum fuerat, ut pro capitibus ſupplicaretur; ſed hoc tam immane ſacrificii genus Junius Brutus Conſul, pulſo Tarquinio, aliter conſtituit celebrandum; nam capitibus allii & papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine *capitum*, remoto nimirum ſcelere infauſtæ ſacrificationis; factumque eſt, ut effigies Maniæ, ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus, periculum ſi quod immineret familiis, expiarent. Miniſtrabant autem in his ſacris, non ingenui, ſed ſervi ex Servi Tullii inſtituto, quaſi hoc gratius eſſet Laribus. II. *Compitalia.*

*Lemuria*, nono Maji die, ſeu VII. id. fieri ſolita, a Lemuribus, qui re divina per hoſce dies placabantur, appellata ſunt. Hæc tribus noctibus, non continuis, ſed interveniente ſemper nocte una, peragebantur. Qui enim Manes placaturus erat, ſurgebat nocte intempeſta, nudiſque pedibus incedens aqua fontana ſe abluebat, & junctis cum medio pollice digitis fabas nigras, quas primum ore verſaverat, a tergo jaciebat, noviesque dicebat ſeſe iis ſuoſque redimere; deinde rurſus lavabatur, & pulſabat æra, noviesque umbras rogabat, ut ex ædibus exirent. Toto illo tempore, quo hæc feſta celebrabantur, templa Deorum clauſa erant; eratque ominoſum, quemadmodum etiam in Feralibus, per hoſce dies nubere. Lemuria initio ad placandas tantum Remi umbras inſtituta ſunt a Romulo; unde etiam primis tempo- III. *Lemuria*

ribus non Lemuria, ſed Remuria dicta ſunt.

IV. *Feſtum Mercatorum.* Idibus Maji *Mercatorum Feſtum* erat, quod eo die Mercurio ædes eſſet dedicata. Hi ad portam Capenam, laureo termite in Mercurii fontem immerſo, ſe ſuaſque merces aſpergebant, & mercatorio more preces concipiebant. Eodem die ſcirpea Argeorum, ſive Argivorum triginta ſimulacra publice a Sacerdotibus jacebantur ex ponte ſublicio in Tiberim, quum vetuſtiſſimis temporibus projici homines ſolerent. De his vide Ovid. *Faſt.* 5. *v.* 621. & Plutar. *quæſt. Rom.* 32.

V. *Agonalia altera, Tubiluſtria, Regifugium, &c.* Die vigeſimo, hoc eſt XIII. Kal. Jun. celebrabantur *Secunda Agonalia*, de quibus ſupra menſe Januario. Die vigeſimo tertio iterum *Trbiluſtria* erant, & ſequenti die alterum *Regifugium*, de quibus item jam diximus loco ſuo. Denique die vigeſimoquinto, ideſt VIII. Kal. Jun. *Conſecratio* fiebat templi Fortunæ publicæ, quæ in valle Quirini inter Eſquilias & Quirinalem collem culta fuit.

## CAPUT XI.

### *De Junio.*

I. *Tertium Regifugium, &c.* KAlendis Junii, præter tertium *Regifugium*, agebantur *feſta Marti extramuraneo*, *Carnæ Deæ*, & *Monetæ*. Mars apud Romanos duo habuit templa, unum intra Urbem ad tranquillitatem cuſtodiendam, & ad Urbis defenſionem; alterum vero extra Urbem in via Appia ad portam Capenam: inde Mars extramuraneus dictus. Carnæ Deæ ſacrificare cœpit in monte Cœlio Junius Brutus, pulſo Tarquinio. Hanc Deam vitalibus humanis præeſſe Romani credebant, ab eaque jecinora & corda, quæque ſunt intrinſecus viſcera, conſervari. Solebant autem hoc feſto ſacrificare & guſtare in honorem Carnæ Deæ lardum & pultem fabaceam, hoc

eſt

eſt fabas mixtas cum calido farre, unde & *fabaceæ* dictæ ſunt Kalendæ Juniæ. Eodiem die celebrata ſunt feſta Junonis Monetæ, cui ex Camilli voto templum dedicatum fuerat. Nec prætereundum eſt iiſdem Kalendis Tempeſtatem quoque cultam fuiſſe, eique templum dicatum, quod ſervaſſe crederetur claſſem Romanam, quæ apud Corſicam pene interierat.

Pridie Nonas *Bellonæ feſtum* erat. Huic Appius Claudius, cum Etruſcos bello viciſſet, ædem exſtruxit, ante quam columella erat, bellica appellata, ſupra quam haſtam jaciebant, cum bellum indicebatur. Sacerdotes hujus Deæ Bellonarii dicti ſunt, qui ſeipſos gladiis feriebant, & proprio ſanguine numen placabant, furenteſque vaticinabantur. II. *Feſtum Bellonæ.*

Septimo idus Piſcatorii ludi celebrabantur, de quibus ſic Feſtus: *Piſcatorii ludi vocantur, qui quotannis menſe Junio trans Tibcrim fieri ſolent a Prætore Urbano pro piſcatoribus Tiberinis, quorum quæſtus non in macellum pervenit, ſed fere in aream Vulcani, quod id genus piſciculorum vivorum datur ei Deo pro animis humanis.* III. *Ludi Piſcatorii.*

Quinto Idus feriæ erant Veſtæ, quæ & *Veſtalia*. Hoc die, cum convivia paſſim ante focos agitarentur, cibi etiam virginibus Veſtalibus a civibus mittebantur, Deæ Veſtæ libandi; & aſini floribus coronati, atque monilia veluti quædam e panibus confecta geſtantes, circumferebantur per Urbem. Molæ item ſertis floreis ornabantur, & quieſcebant. Horum rituum & ceremoniarum cauſſas diligenter Ovidius perſequitur. Cum enim nullus olim molarum uſus Romæ fuerit, ſed farra in furnis Veſtæ ſolummodo, hoc eſt ignis beneficio torreri conſueverint, ſervatus deinde mos eſt, ut hoc die & foci & Domina focorum, quæ Veſta eſt, a piſtoribus colerentur; & aſini, qui Veſtæ beneficio a molis circumagendis immunes fuerant, eo die vacarent IV. *Veſtalia.*

carent & feriarentur. Plura vide apud Ovidium *Faſt. 6. v.* 20. Eodem die matronæ Romanæ nudis pedibus ad Veſtæ templum ibant, quod olim ea parte lacunæ fuiſſent, qua Veſtæ templum ſicco pede adiri minime potuerit: ſiccatis deinde lacunis, in memoriam veteris conſuetudinis, quæ primum neceſſitas fuit, ritus deinde cœpit eſſe.

V. *Matralia.* Tertio idus *Matralia* erant, Matris Matutæ feſta, quæ Ino Cadmi filia fuit, Græciſque Leucothea dicta eſt. Ritus hujus feſti varii fuerunt. Templi Matris Matutę aditu ſervæ prohibebantur, unamque dumtaxat matronæ introducebant, cujus genis colaphos infligebant. Hoc autem ex æmulatione ejus Deæ adverſus maritum factum fuiſſe, Plutarchus putat. Cum enim ſuſpicata eſſet maritum ancillæ amore captum, in inſaniam prolapſa filium perdidit; indeque hic ritus profluxit, ut ancillæ prorſus ab ejus ſacro arcerentur. Matralibus quoque matronæ in Matutæ templo *teſtuaceum* faciebant, libum ſic dictum, quod in teſta calida coqueretur. Mos autem hæc liba offerendi originem habuit a libis illis, quæ Carmenta Matutæ obtulit, cum eam hoſpitio ſuſcepiſſet: Illud etiam ſcitu dignum, matronas Romanas in hujus Deæ ſacris fratrum ſuorum, ſuarumque ſororum liberos in ulnis ſub brachio ferentes, non ſuis liberis, ſed nepotibus bona ab ea petere conſueviſſe.

VI. *Feſtum Fortunæ* Eodem Matralium die *Feſtum Fortunæ* fieri ſolitum. In hujus templo ſimulacrum erat Servii Tullii regis, toga contectum; cujus rei cauſſas Ovidius tres enumerat, *Faſt. 6. v.* 569. quem vide. Simulacrum hoc, orto aliquando incendio, crematis conſumtiſque omnibus, quæ in templo aſſervabantur, ſolum ſine labe permanſit.

VII. *Quinquatrus minuſculæ.* Idibus Juniis celebrabantur *minuſculæ Quinquatrus*, de quibus Varro, *lib. 5. de l. l. Quinquatrum minuſculæ dictæ Juniæ idus ab ſimilitudine majorum*

*jorum, quod tibicines tum feriati per Urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ*. De ritibus in hiſce Quinquatribus obſervari ſolitis videndus Livius *lib.* 9. qui fuſe eos explicat, & Ovidius *lib.* 6. *Faſt. v.* 651.

Octavo Kalend. Julii *Feſtum* agebatur *Fortis Fortunæ*, de quo ita ſcribit Varro *lib.* 5. *de l. l. Dies Fortis Fortunæ appellatus ab Servio Tullio rege; quod is fanum Fortis Fortunæ ſecundum Tiberim extra Urbem dedicarit Junio menſe*. Hoc feſto plebei homines, qui arte aliqua vivebant, & ſervi in navibus coronatis ſuper Tiberim convivia celebrabant. VIII. *Fortis Fortunæ feſtum.*

Reliquis menſis Junii diebus aliquot templa fuerunt conſecrata, ut Laribus & Jovi Statori quinto Kal. Jul. Quirino in menſe Quirinali quarto Kal. Herculi denique Muſarum prid. Kal. de quibus omnibus pauca notat Ovidius *ſub fin. lib.* 6. *Faſt.*

## CAPUT XII.

### *De Quintili, ſive Julio.*

HActenus, Ovidio duce, non pauca de Sacrificiis veterum Romanorum, apta ineptave, afferre licuit; nunc autem ſex reliquis Faſtorum libris injuria temporum plane ſublatis, vix quidquam eſt, quod ad eorundem ſacrorum doctrinam illuſtrandam tradi poſſit. Nos face ſolita deſtituti, quo licebit pede progrediemur; nec vitio dabitur, ſi plura fortaſſe minus ad rem pertinentia, non alieniſſima tamen, nec ſcitu prorſus indigna, in tam tenui rerum ſegete proferemus.

Julio menſe maximas lites interquieſcere ſolitas docet Plinius ſecundus *lib.* 8. *ep.* 21. Ejus Kalendis fiebant annuæ domorum locationes, & ex veteribus in novas commigrationes.

Pri-

I. *Feſtum Fortunæ muliebrit.* Pridie nonas *Fortunæ muliebris feſtum* celebrabatur, quod eo die templum illi eſſet dedicatum; cujus dedicationis cauſſa in hunc fere modum a priſcis ſcriptoribus traditur. C. Marcio Coriolano, qui in patriam, unde exul pulſus fuerat, bellum acerrimum intulerat, mulierum Romanarum ac præcipue Veturiæ matris & uxoris Volumniæ lacrimis & precibus exorato, Senatus ob navatam reip. operam præmium matronis, quod maxime vellent, decrevit. Illæ nihil aliud petierunt, quam ut liceret ſibi templum Fortunæ muliebri ædificare, quo loco incolumitatem Urbis impetraverant, atque eo quotannis ad ſacrificium convenire, die redeunte, quo pax data fuerat. Senatus populuſque Romanus locum emi pecunia publica juſſit, qui dedicaretur Deæ, ibique ex præſcripto Pontificum templum & ara conſtrueretur. Sumtu etiam publico ſacrum anniverſarium ibidem teneri ſtatuit, cui præeſſet matrona, quam ipſæ ad id miniſterium deligerent. Templum igitur dedicatum eſt a Proculo Virginio Conſule, feſtumque eodem die quotannis celebratum.

II. *Poplifugia.* Tertio nonas *Poplifugia* fuerunt. *Dies Poplifugia*, inquit Varro *lib.* 5. *de l. l. videtur nominatus, quod eo die repente tumultu fugerit populus*. Sunt tamen qui Poplifugia hæc referunt ad ipſas nonas, quæ peculiari voce *Caprotinæ* dicebantur; cujus appellationis duplex traditur ab antiquis ſcriptoribus ratio. Alii enim ad Romuli caſum referunt; nam cum Romulus ad exercitum recenſendum concionem in campo ad Capræ paludem haberet, ſubito coorta tempeſtas, cum magno fragore tonitribuſque, tam denſo regem operuit nimbo, ut conſpectum ejus concioni abſtulerit; nec deinde in terris Romulus fuit. Conſternatus repentino regis fato populus eſt, iſque dies & Poplifugium, & nonæ Caprotinæ appellari cæpit. Eodem die Romani ex Urbe ad Ca-

præ paludem quotannis exeuntes ſacrificabant; ad quod ſacrum dum exirent, multa uſitatorum nominum inclamabant, ut Marci, ut Caji, imitantes eam, quæ tum acciderat, fugam ac mutam invocationem, cum timore ac tumultu factam. Inde igitur nonæ Caprotinæ, unde etiam Poplifugium dictum fuiſſe nonnulli augurantur; Varro tamen aliam appellationis rationem indicat *lib.* 5. *de l. l. Nonæ Caprotinæ*, inquit, *quod eo die in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificantur, & ſub caprifico faciunt, & e caprifico adhibent virgam. Ob hoc toga prætexta data eis.* Rem hanc plenius & dilucidius Macrobius explicat *lib.* 1. *Sat. cap.* XI. cujus referre verba non piget. *Poſt Urbem captam cum ſedatus eſſet Gallicus motus, res vero publica eſſet ad tenue deducta, finitimi opportunitatem invadendi Romani nominis aucupati, præfecerunt ſibi Poſthumium Livium Fidenatium Dictatorem; qui mandatis ad Senatum miſſis poſtulavit, ut ſi vellent reliquias ſuæ civitatis manere, matresfamiliæ ſibi & virgines dederentur: cumque Patres eſſent in ancipiti deliberatione ſuſpenſi, ancilla nomine Tutela, ſeu Philotis, pollicita eſt ſe cum cæteris ancillis ſub nomine dominarum ad hoſtes ituram; habituque matrumfamilias & virginum ſumpto, hoſtibus cum proſequentium lacrimis ad fidem doloris ingeſtæ ſunt. Quæ cum a Livio in caſtris diſtributæ fuiſſent, viros plurimo vino provocaverunt, diem feſtum apud ſe eſſe ſimulantes. Quibus ſoporatis, ex arbore caprifico, quæ caſtris erat proxima, ſignum Romanis dederunt; qui cum repentina incurſione ſuperaſſent, memor beneficii Senatus omnes ancillas manu juſſit emitti, dotemque eis publico fecit, & ornatum, quo tunc erant uſæ, geſtare conceſſit, diemque ipſum* nonas Caprotinas *nuncupavit ab illa caprifico, ex qua ſignum victoriæ ceperunt, ſacrificiumque ſtatuit annua ſolemnitate celebrandum; cui lac quod ex caprifico manat, pro-*

*pter*

*pter memoriam facti præcedentis, adhibetur*. Utramque appellationis cauſſam notat multis verbis Plutarchus *in Romulo & Camillo*.

III. *Tranſvectio Equitum &c.* Idibus Quintilibus, qui dies decimusquintus Julii erat, celebrabatur *Tranſvectio Equitum Romanorum* ab æde Honoris in Capitolium. Dionyſius Halicarnaſſenſis *lib. 6.* tradit eam inſtitutam fuiſſe in honorem Caſtoris & Pollucis, & in memoriam victoriæ, quam reportarunt Romani ex bello cum Latinis populis, quod geſtum eſt anno U. C. 257. A. Poſthumio & T. Virginio Coſs. quam victoriam Caſtor & Pollux, equeſtri habitu & equis vecti, Romæ annuntiaverunt. *Præter omnia vero*, inquit Dionyſius, *poſt ſacrificium Tranſvectio eorum, qui equos habent ex publico, qui per tribus & centurias diſtincti, ordine in equis vehuntur omnes, quaſi e pugna redeant, coronati fronde oleagina, & togis palmatis amicti, quas vocant trabeas, initio pompæ facto de æde Martis, quæ extra Urbem ſita eſt, & pertranſeuntes cum cæteras Urbis partes, tum forum ædemque Caſtorum, nonnunquam quinque virorum millia, gerentes quicquid donorum militarium acceperunt a duobus; egregium ſane ſpectaculum, dignumque imperii magnitudine.* Ac de hujuſmodi Tranſvectione intelligendus eſt Livius *lib. 9.* cum ait, a Q. Fabio Rullano inſtitutum, *ut equites idibus Quintilibus tranſveherentur:* nec audiendus Sigonius, qui in eo vehementer errat, ratus loqui Livium de cenſione quadam equitum, a Cenſoribus fieri ſolita.

IV. *Lucaria* XIV. Kal. Sextil. ideſt decimonono Julii *Lucaria* erant. Hujus feſti ſic Feſtus meminit *lib. 10. Lucaria*, inquit, *feſta in luco colebant Romani, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, pro eo, quod victi a Gallis, fugientes e prælio, ibi ſe occultaverunt.* At Varro *lib. 5. de l. l.* non a *luco*, ſed a *luce* derivat; ait enim: *Lucaria item a luce, quod propter lucem amiſſam is cultus inſtitutus.*

VIII.

VIII. Kal. ſeſe offerunt *Furinalia*. De his ſic ſcribit Varro *lib. 5. de l. l. Furinalia a Furina, quod ei Deæ feriæ publicæ dies is, cujus Deæ honos apud antiquos: nam ei ſacra inſtituta annua, & Flamen attributus; nunc vix nomen notum paucis.* V. *Furinalia.*

## CAPUT XIII.

### *De Sextili, ſive Auguſto.*

KAlendis Auguſti etſi nullum in veteri Kalendario feſtum notatum legitur, Dio tamen teſtatur *lib. 60.* eo die certamina equeſtria quædam fuiſſe exhibita; & cauſſam addit diligentiſſimus ſcriptor, quia nimirum eo die Martis ædes extra portam Capenam eſſet dedicata.

Idibus *Dianæ ſacra* fiebant. His feriis mulieres, voti damnatæ & compotes, ab Urbe in Aricinum nemus, ubi Diana religioſiſſime colebatur, ardentes faces ferebant. Eo etiam venatores [nam venationibus Diana præeſt] ſæpe numero faces ſpicatas accenſas tuliſse traditum eſt, caneſque ſuos, morbo aut ſcabie affectos, infulis velatos Deæ ſiſtere ſolitos, & ante illam omne venatorium inſtrumentum collocaſſe. Quin etiam Diana ipſa credebatur emeritos canes & quietos a venatione his feriis habere, & ipſa quoque feriari. I. *Dianæ Sacra.*

XIV. Kal. Septembris *Vinalia* inſtaurabantur. Vinalia duplicia erant, alia Jovis, Veneris alia; quæ tamen apud ſcriptores antiquos ita confunduntur, ut incertum ſit, quid in tanta varietate ſequendum. Veneris quidem Vinalia ea videntur fuiſſe, de quibus diximus menſe Aprili; quæ vero hoc menſe celebrata ſunt, fuiſſe Jovis, & Vinalia Ruſtica appellata; ſed utraque utrique tributa reperiuntur. Hic ſane dies Jovis feſtus fuit, quia Latini bellum gerentes adverſus Mezentium, omnis vini libationem ei Deo dedicaverunt; eodem autem die Veneri tem- II. *Vinalia Ruſtica*

pla

pla ſunt conſecrata; jumenta quoque, olitores, & omnes horti in ejus tutela fuiſſe perhibentur. Vinalibus vinum novum Jovi libabatur, *calpar* dictum; quo etiam die primum vinum in Urbem deferebant.

III. *Conſualia.* XII. Kal. Sept. erant *Conſualia*, in honorem Conſi facta, quem Deum conſilii putabant. Livius *lib.* 1. tradit Conſualia ludos eſſe Neptuni equeſtris; & Varro *lib.* 5. *de l. l.* his ludis Sabinas virgines a Romanis raptas fuiſſe. Hoc autem die ara ſubterranea ſita prope Circum maximum, refoſſa circumquaque terra, ſacrificiis & miſſis in ignem libaminibus honorabatur, equorumque & junctorum & injugum committebantur certamina, quemadmodum pluribus notat Dionyſius *lib.* 2. Hanc aram, cum ludi celebrabantur, adire omnes poterant, quod reliquo anni tempore mira ſuperſtitione non permittebatur. Conſualibus equos aſinoſque floribus coronabant, & ociari ſinebant; nefas enim erat eos illo die ad laborem vel opus adigere. Feſtus quoque ſcriptum reliquit, mulis celebrari ludos in Circo maximo Conſualibus conſueviſſe, quia id genus quadrupedum primum putaretur currui vehiculoque adjungi cœptum. Hi ludi nomen deinde mutarunt, & Circenſes poſtea ſunt appellati.

IV. *Vulcanalia.* Conſualibus proxime accedunt *Vulcanalia*, a x. Kal. ad IV. Kal. Septembris per octiduum celebrata. Ea, Varrone teſte, dicta ſunt a Vulcano, quod ei tum feriæ, & quod eo die populus pro ſe in ignem animalia mittebat. Vulcanalibus lucubrationes ſuas ordiri ſolebant, auſpicii tantum gratia, & eodem plane modo, quo Kalendis Januarii ſuas quiſque artes modice attingebat, auſpicandi cauſsa. Ita Plinius avunculum laudans *lib.* 3. *ep.* 5. *Lucubrare*, inquit, *a Vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi*. Ait enim illum, non dicis cauſsa, ut cæteri ſolebant, ſed vere ac ſerio lucubra-

brationes ſuas ab ipſis Vulcanalibus incipere ſolitum.

V: Opeconſiva, & Vulturnalia.

VIII. Kal. *Opeconſiva* erant, & VII. Kal. *Vulturnalia*. De prioribus ſic refert Varro *lib.* 5. *de l.l. Opeconſiva dies ab dea Opeconſiva, cujus in regia ſacrarium; quod ideo actum, ut eo præter virgines Veſtales & Sacerdotem publicum, introeat nemo. Is cum eat, ſuffibulum haud habeat, &c.* De poſterioribus ſic Feſtus *lib.* 10. *Vulturnalia Vulturno deo ſacra erant, cujus ſacerdotem Vulturnalem vocabant*. Quis autem Vulturnus fuerit, quæ Opeconſiva, vide apud Mythologos.

## CAPUT XIV.

### *De Septembri, & Octobri.*

I. *Quid clavum pangere.*

SEptembrem ludi maxime occupabant, quorum tractatio ad ſacrificiorum doctrinam non pertinet. Et ſane toto hoc menſe feſtum vix ullum apparet in veteri Kalendario, explicatu dignum: niſi ſiquis de illo quærat, quod ad ipſas idus occurrit, quibus Prætor maximus *clavum pangebat*. Ritus hic cujuſmodi fuerit, docet Livius *lib.* 7. *Lex vetuſta eſt, priſcis litteris verbiſque ſcripta, ut qui Prætor maximus ſit, idibus Septembribus clavum pangat. Fixus fuit dextro lateri ædis Jovis Opt. Max. ea parte, qua Minervæ templum eſt: Eum clavum, quia raræ per ea tempora litteræ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt; eoque Minervæ templo dicatam legem, quia numerus a Minerva inventus ſit, &c.* Eodem die Jovi Capitolino templum dedicaſſe legitur M. Horatius Coſ. apud eundem Livium, & apud Plutarchum.

II. *Quid mundum patere.*

III. Non. Octobr. *Mundus patere* dicebatur; qua de re ita Feſtus *lib.* 11. *Mundus, ut ait Ca-*

 pito

*pito Atejus l. 6. Pontificali , ter in anno patere ſolet, diebus his : poſtridie Vulcanalia, & ante diem* III. *Non. Octobr. & ante diem* VI. *Id. Nov. Qui quid ita dicatur, ſic refert Cato in Comment. jur. civil. Mundo nomen impoſitum eſt ab eo mundo, qui ſupra nos eſt. Forma enim ejus eſt, ut ex iis, qui intravere, cognoſcere potui, aſſimilis illi. Ejus inferiorem partem veluti conſecratam diis manibus, clauſam omni tempore, niſi iis diebus, qui ſupraſcripti ſunt, majores cenſuerunt; quos dies etiam religioſos judicaverunt ea de cauſſa, quod quo tempore ea, quæ occultæ & abditæ religionis deorum manium eſſent, veluti in lucem quandam adducerentur, & patefierent, nihil eo tempore in rep. geri voluerunt. Itaque per eos dies non cum hoſte manus conſerebant, non exercitus ſcribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in rep. niſi quod ultima neceſſitas admonebat, adminiſtrabatur*. Eadem brevius perſtringit Varro *lib.* 5. *de l.l. Mundus cum patet, deorum triſtium atque inferum quaſi janua patet; propterea non modo prælium committi, verum etiam delectum rei militaris cauſſa habere, ac militem proficiſci, navem ſolvere, uxorem liberum quærendorum cauſſa ducere, religioſum eſt &c.*

III. *Meditrinalia.* V. Id. Oct. *Meditrinalia* erant. Varro docet, ea dicta eſſe a medendo, quod hoc die ſolitum vinum novum, & vetus libari & deguſtari, medicamenti cauſſa. Feſtus Meditrinalia ſic explicat: *Mos erat Latinis populis, quo die quis primum guſtaret muſtum, diceret ominis gratia; Vetus novum vinum bibo, veteri novo morbo medeor. A quibus verbis etiam Meditrinæ deæ nomen captum, ejuſque ſacra Meditrinalia dicta ſunt.*

IV. *Auguſtalia.* IV. Id. Oct. *Auguſtalia* ſequebantur, ſic dicta a reditu Auguſti Romam, rebus in Sicilia, Græcia, Aſia, Syria, & Parthia compoſitis. De his ſic

ſic Dio *lib.* 54. *Ob reditum Auguſti, ac propter*
*ea, quæ abſens egiſſet, multa ac varia in honorem*
*ejus decreta ſunt, quorum ille nihil accepit, niſi*
*quod Fortunæ reduci aram conſecrari, diemque ſui*
*reditus inter ferias referri, & Auguſtalia dici paſ-*
*ſus eſt*. His feriis ludi quoque Auguſtales perage-
bantur.

III. Id. *Fontinalia* erant, a fonte ſic appellata, V.
*quod is dies feriæ ejus*, ut inquit Varro; *ab eo au-* *Fontina-*
*tem tum & in fontes coronas jaciunt, & puteos* *lia.*
*coronant*. Feſtus: *Fontinalia fontium ſacra, unde*
*& Romæ Fontinalis porta*. Scaliger in Conjecta-
neis ad Varonem notat inter alia, ferias has fuiſ-
ſe ejus fontis, cujus delubrum erat juxta portam
Capenam, unde & ipſa Fontinalis dicta eſt. VI.
Idib. Equus apud Romanos immolabatur, quem *Equus*
*Octobrem* appellabant. Ritum deſcribit Feſtus his *October.*
verbis: *October equus appellatur, qui in campo*
*Martio menſe Octobri immolatur quotannis Mar-*
*ti, bigarum victricum dexterior, de cujus capite*
*non levis contentio ſolebat eſſe inter Suburanos &*
*Sacrovienſes, ut hi in regiæ pariete, illi ad tur-*
*rim Mamiliam id fierent, ejuſdemque cauda tan-*
*ta celeritate perfertur in regiam, ut ex eo ſanguis*
*diſtillet in focum, participandæ rei divinæ gratia;*
*quem hoſtiæ loco quidam Marti bellico deo ſacrari*
*dicunt, non ut vulgus putat, quia velut ſupplicium*
*de eo ſumatur, quod Romani Ilio ſunt oriundi, &*
*Trojani ita effigie equi ſint capti*. Vide etiam Plu- VII.
tarchum *quæſt.* 97. *Armilu-*
XIV. Kal. Novemb. fiebat *Armiluſtrium*, quod *ſtrium.*
ita deſcribit Varro *lib.* 5. *de l.l. Armiluſtrium di-*
*ctum ab eo, quod in Armiluſtrio armati ſacra fa-*
*ciunt, niſi locus potius dictus ab his; ſed quod de*
*his prius, id ab luendo, aut luſtro, id eſt, quod*
*circumibant ludentes ancilibus armati*. Sic autem
Paulus Feſti abbreviator: *Armiluſtrium feſtum erat*

*apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac dum ſacrificarent, tubis canebant.*

## CAPUT XV.

### *De Novembri, ac Decembri.*

I. *Jovis epulum, ſive Lectiſternium.*

MEnſe Novembri pauca admodum occurrunt, quæ ad rem noſtram faciant. Idibus ſacrum fiebat, quod *Jovis epulum*, ſive *epulum indictum* appellabant. Id autem nihil aliud erat, quam convivium, quod Jovi aliiſque diis apparabatur, idemque *lectiſternium* dictum. Moris enim fuit apud Romanos, ut nonnunquam placandæ alicuius dei iræ cauſſa, convivium in templo illius exiberetur, diiſque, tanquam epulaturis aut cubituris, lecti ſternerentur. Huic epulo indicendo Triumviri, ſeu Septemviri Epulonum præerant, ſic appellati, quod epulas indicendi Jovi ceteriſque diis poteſtatem haberent. Lectiſternia non hoc tantum die apud Romanos celebrata legimus, ſed quoties movebat periculum aliquod reip. imminens; dicendum tamen eſt hoc fuiſſe ordinarium, cætera vero extra ordinem, flagitante ſcilicet publica neceſſitate.

II. *Brumalia.*

Hoc menſe *Brumalia* quoque a nonnullis ſcriptoribus memorantur. Fuerunt autem Brumalia Dionyſii ſive Bacchi, qui etiam Bromius ſive Brumus dictus eſt. Feſtum hoc *Ambroſia* Græcis dicitur, quod præter alios explicat Cœlius Rhodiginus *antiq. lect. lib.* 28. *c.* 25. Idem *lib.* 27. *c.* 24. ſcribit, veteres Romanos probroſum cenſuiſſe alienis veſci cibis; quare attuliſſe ſingulos, quod eſſent, aut biberent, ἀλλοτριόφαγοι dicerentur. Hinc tollendæ ignominiæ cauſſa Romulum, quod cum fratre a Laurentia fuerit educatus, Brumalia inſtituiſſe, quibus convivio excipere ſolitus ſit Senatum, cum neceſſarium diceret a rege ſu

ali o

ali Senatum hyeme, nullis obſtrepentibus bellis.

Menſe eodem feriæ celebrantur, *Græcis & Gallis defoſſis*, de quibus multa Plutarchus *in quæſt. Rom.* & *in Marcelli vita*. Livius *lib.* 22. hæc habet: *Ex fatalibus libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta; inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario ſub terra vivi demiſſi ſunt, in loco ſaxo conſeptum, ibi ante hoſtiis humanis minime Romano ſacro imbutum*. His igitur Græcis & Gallis defoſſis quotannis in eodem foro ſacra arcana fieri conſueverunt. III. *Græci & Galli defoſſi.*

IV. *Faunalia*

Reliquum tandem eſt, ut de ſacris Decembribus, quid a ſcriptoribus traditum ſit, breviter recenſeamus. Nonis igitur Decembris *Faunalia* fiebant in honorem Fauni, quæ in ſylvis & pratis, hædo & vino celebrantur. Eo die ſumma ruri pax erat (ut Horatius *l. 3. carm. od.* 18. poetice ſane more ſuo ſcribit) totuſque pagus vacans ab opere diem hilariter traducebat, agricolis paſſim ſaltantibus, bobuſque undique otiantibus.

Die XVI. Kal. Jan. *Saturnalia* erant, a Saturno ſic appellata. Feſtus: *Saturno dies feſtus celebratur menſe Decembri, quod eo ædes eſt dedicata, & is culturæ agrorum præſidere videtur, quod etiam falx indicat ejus inſigne*, &c. Fuerunt autem Saturnalia multo ante Romam conditam in Italia, atque adeo in Græcia celebrata; de quorum origine tres diverſas veterum ſcriptorum ſententias refert Macrobius *Sat. lib.* 1. *c.* 7. Vel enim Saturnalia a Jano, quem Saturnus inter alia agriculturam quoque docuerat, poſt ejus obitum inſtituta ſunt; vel a comitibus Herculis ab ipſo in Italia relictis, quia Saturni nomine ac religione tuti a latronum incurſionibus fuerant; vel denique a Pelaſgis in Delum inſulam delatis, a quibus ex oraculo Apollinis ara Saturno erecta; & ſacra illi facta Saturnalia dicta ſunt. Addit quoque Macrobius, Pelaſgos V. *Saturnalia.*

ſgos primum victimis humanis Saturnum placaſſe; ab Hercule poſtea monitos, ut fauſtis ſacrificiis infauſta mutarent, accenſis luminibus eundem coluiſſe, atque inde morem miſſitandis per Saturnalia cereis cœpiſſe: Veteres Romani Saturnalibus crebra agitabant convivia, & mittebant ſibi invicem munera, quæ Saturnalitia dicebantur, tum vero etiam cereos; vel quia Saturnum accenſis luminibus & ipſi colerent, vel ut ſignificarent, hoc principe a tenebroſa incultaque vita quaſi ad lucem & bonarum artium ſcientiam editos nos eſſe. Quia vero multi occaſione Saturnaliorum per avaritiam munera ambitioſe a clientibus exigebant, idque onus gravabat tenuiores, Publicus trib. pl. legem tulit, ut nonniſi cerei ditioribus miſſitarentur. Ipſi etiam domini ſervos ſuos conviviis liberalibus & opiparis accipiebant, iiſque miniſtrabant, quin etiam ſumma ſervis libertas data, ut in dominos quidvis dicerent, eorumque vitia libere caſtigarent. Bellum Saturnalibus ſuſcipere nefas habebatur, & pœnas a nocente petere piaculare erat. Eadem primum uno die abſolvebantur; plures deinde dies celebrari cœperunt. In ſignum autem libertatis Romani veteres pileis per hoſce dies utebantur; Saturno tamen res divina fiebat capite detecto, cum aliis diis, Honore excepto, velato ſemper capite ſacrificarent: cujus moris rationes inquirens Plutarchus *in quæſt. Rom.* ait id propterea fieri; vel quod velare caput inſtitutum ſit Æneæ, Saturni autem ſacrificium multo ſit vetuſtius; vel quod caput operiant coram celeſtibus diis, Saturnus autem inter inferos terreſtreſque deos numeretur; vel quia veritati, cujus patrem Romani Saturnum eſſe cenſebant, nihil opertum ſit, nihil occultum.

VI. Altero a Saturnalibus die, hoc eſt XIV. Kal.
*Opalia.* Jan. *Opalia* occurrebant, deæ Opis, cui ſupplicabatur,

batur, feriæ. Deam hanc Saturni conjugem eſſe credebant; & ideo hoc menſe Saturnalia & Opalia proxime celebrata, quod Saturnus ejuſque uxor tam frugum quam fructuum repertores eſſe putarentur: Itaque omni jam fætu agrorum coacto, ab hominibus hi dii colebantur, quaſi vitæ cultioris auctores, quos etiam nonnullis Cælum & Terram eſſe perſuaſum eſt, Saturnumque a ſatu dictum, cujus cauſſa de cælo eſt; & terram Opem, cujus ope humanæ vitæ alimenta quæruntur, fructuſque & fruges enaſcuntur. Huic deæ ſedentes vota concipiebant, terramque de induſtria tangebant, demonſtrantes ipſam matrem terram eſſe mortalibus appetendam. Plura vide apud Macrobium *Sat. l.* 1. *cap.* 10. unde hæc ipſa deſumta ſunt.

Confuſum cum Saturnaliorum diebus *Sigillariorum* feſtum erat, XIII. Kal. Jan. celebrari ſolitum. Macrobius ex Epicado refert, Herculem occiſo Gerione, cum victor per Italiam armenta duxiſſet, ponte, qui Sublicius dicitur, ad tempus inſtructo, hominum ſimulacra pro numero ſociorum, quos caſu peregrinationis amiſerat, in fluvium demiſiſse; ut aqua ſecunda in mare devecta, pro corporibus defunctorum veluti patriis ſedibus redderentur, & inde uſum talia ſimulacra fingendi inter ſacra manſiſſe. *Sed mihi*, pergit Macrobius, *hujus rei illa origo verior exiſtimatur, quam paulo ante memini retuliſſe; quod Pelaſgis, poſtquam felicior interpretatio capita, non viventium, ſed fictilia φωτὸς æſtimatione non ſolum hominem, ſed etiam lumen ſignificare docuiſſet, cœperint Saturno cereos potius accendere, & in ſacellum Ditis aræ Saturni cohærens oſcilla quædam pro ſuis capitibus ferre. Ex illo traditum, ut cerei Saturnalibus miſſitarentur, & ſigilla arte fictili fingerentur, ac venalia pararentur, quæ homines pro ſe atque ſuis piacula, pro Dite, Saturno facerent. Ideo Saturnalibus talis celebritas cœpta ſeptem* VII. *Sigillaria.*

 *occu-*

*occupat dies, qui tantum feriati fuerunt, non feſti omnes*. Sigilla hujuſmodi, quæ in Sigillario vico vendebantur, mitti præcipue liberis a parentibus conſueverunt.

VIII. *Divalia, ſive Angeronalia.* Sequenti die Romani *Divalia* celebrabant, Divæ Angeronæ feſtum, unde *Angeronalia* quoque dicta ſunt. Feſtus: *Angeronæ deæ ſacra a Romanis inſtituta ſunt, cum angina omne genus animalium conſumeretur*. Macrobius: XII. *Kal. Jan. feriæ ſunt divæ Angeronæ, cui Pontifices in ſacello volupiæ ſacrum faciunt; quam Verrius Flaccus Angeronam dici ait, quod angores ac animorum ſolicitudines depellat. Julius Modeſtus ideo ſacrificari huic deæ dicit, quod populus Rom. morbo, qui angina dicitur, præmiſſo voto ſit liberatus*. Eodem die Herculi & Cereri mulſo libari, & ſue prægnante ſacrificari conſueviſſe docet idem Macrobius *Sat. l. 3. c.* 11.

XI. *Larentinalia.* Poſtremo occurrunt *Larentinalia*, x. Kal. Jan. celebrata. Macrobius *l.* 1. *c.* 10. X. *Kal. Jan. feriæ ſunt Jovis, quæ appellantur Larentinalia*. Hæc Laurentiæ conjugis Fauſtuli, & Romuli Remique nutricis feſta erant, ut docet Feſtus. *Hoc ſacrificium fit in Velabro* (inquit Varro *lib.* 5. *de l.l.*) *qua in novam viam exitur, ut ajunt quidam, in ſepulcrum Accæ* Laurentiæ, *qui locus extra Urbem antiquam fuit, non longe a porta Romanula*.

X. *Quæ numina ſingulis menſibus præfuerint.* Hæc de præcipuis veterum ſacrificiis, quæ ſtatis temporibus per totum annum fieri conſueverunt, dicta ſufficiant. Illud unum poſtremo loco minime prætereundum cenſuimus, quod tradidit Paulus Merula pluribus in locis, ſingulos ſcilicet menſes ſingulis numinibus fuiſſe aſſignatos, in quorum tutela eſſent. Ait enim Januario *Junonem* præfuiſſe, Februario *Neptunum*, Martio *Minervam* ſive *Palladem*, Aprili *Venerem*, Majo *Apollinem*, *Hermetem* ſive *Mercurium* Junio, *Jovem Quintili* ſive Julio, *Cererem Sextil.* ſive Auguſto, Septembri *Vulcanum*,

vem

vembri *Dianam*, *Veſtam* Decembri. Nos, ut harum rerum ſtudioſis gratum faceremus, quorum præcipue cauſſa hanc Spartam ſuſcepimus, ſingula nomina paucis verſiculis comprendimus, ut quis præcipue deus cuique menſi præeſſe creditus olim ſit, facile teneri memoria poſſit.

Juno *præeſt primo*, Neptunus *vero ſecundo*,
*Tertio adeſt* Pallas, *quartus* Cythereide *gaudet*
Phœbus *habet quintum, ſextum* Hermes, Juppiter *ipſe*
*Septimum, & octavum alma* Ceres, *nonumque tuetur*
Mulciber, *& decimum* Mars, *undecimumque* Diana,
Veſtaque *duodecimum ſibi vindicat ultima menſem*..

Eadem deorum nomina preſſius enumerata, juxta ordinem menſium, ſic quiſque habebit.

*Juno, Neptunus, Pallas, Cytherois Apollo,*
*Hermes, Juppiter, atque Ceres, & Mulciber, & Mars,*
*Lunaque cum Veſta totum ſibi dividit annum.*

## CAPUT XVI.

### *De Feriis non ſtato neque certo tempore celebratis.*

Multa hactenus dicta ſunt de feriis, quas Romani veteres *ſtatas* appellabant, quæ certo & ſtato die ſingulis annis recurrebant, & certum habebant locum in Kalendario veteri Romano. Erant præterea feriæ nonnullæ, quæ *non ſtatæ* dicebantur, quæ ſcilicet certum in anni conſtitutione non habebant diem, neque certam in Kalendario ſtationem; ſed nunc hoc, nunc illo die pro eo, quod neceſſitas publica flagitabat, concipiebantur & indicebantur. Hinc intelligitur, hujuſmodi ferias duplicis generis fuiſſe, *Conceptivas* nimirum, & *Indictivas*. De Conceptivis dicendum primo loco. Earum deſcriptio eſt apud Macrobium *lib.* 1 *Sat. c.* 16. *Conceptivæ*, inquit, *quæ quotannis a Magiſtratibus vel Sacerdotibus concipiuntur, in dies vel certos, vel*

I. *De feriis Conceptivis, & Indictivis.*

*vel incertos*, *ut ſunt Latinæ*, *Paganalia*, *Sementinæ*, *Compitalia*. Quæ in dies certos concipiebantur, Sementinæ erant, & Compitalia, illa in Januario, hæc in Majo a nobis ſupra explicata. Reſtat igitur, ut quæ fuerint Latinæ feriæ, quæve Paganalia, & alia, quæ non ſtatis feriis ſolent ab aliis annumerari, paucis declaremus.

II. *Feriæ Latinæ.* *Latinæ feriæ* ( inquit Varro *lib.* 5. *de l.l.*) *dies conceptionis*, *dictus a Latinis populis*, *quibus ex Albano monte ex ſacris carnem petere fuit jus cum Romanis*, *a quibus Latinis Latinæ dictæ*. Originem harum feriarum eleganter narrat Dionyſius Halicarnaſſæus *lib.* 4. Is cum de victis Etruſcis, deque fœdere inter Latinos populos icto, auctore Tarquinio Superbo, multa verba feciſſet, hæc deinde perſeqitur. *Ut ſempiternum maneret id fœdus*, *Tarquinius propoſuit deſignare commune fanum Romanorum*, *Latinorum*, *Hernicorum*, *Volſcorum*, *qui dumtaxat in ſocietatem recepti erant*, *ut ad mercatum convenientes quotannis ibi ſimul epularentur*, *fruerenturque communibus ſacris*. *Gratum id fuit omnibus*; *locus conventui præſtitutus eſt*, *in meditullio fere harum gentium*, *mons altus Albanus imminens*, *ubi ſingulis annis feriæ celebrarentur*, *ſacraque communiter Jovi Latiali facerent*, *& vacarent epulis*; *conſtituto prius*, *quantum quiſque populus in ea ſacra præbere*, *quantamque portionem recipere debeat*. *Earum feriarum & ſacrificiorum participes fuerunt quinquaginta plus minus populi*, *quas noſtra quoque ætate Romani agitant*, *Latinas vocant*, *conferuntque in eas populi ſacrorum participes*, *quidam agnos*, *quidam caſeos*, *quidam lactis certum modum*, *quidam liba lactaria*. *Victima eſt taurus unus communis omnium*, *de cujus viſceribus cuique populo ſua certa portio tribuitur*. Hactenus Dionyſius, ex cujus verbis ſatis ſuperque Latinarum feriarum ratio intelligi poteſt.

poteſt. Singulare in his fuit, ſi in eo ſacro non omnes Latini carnem accepiſſent, ſed aliquid dilatum vel præteritum eſſet, aut neglectæ eſſent ceremoniæ, vel ſolemne intermiſſum, inſtaurari denuo Latinas oportuiſſe, tanquam non rite exhibitas. Illud quoque prætermittendum non eſt, indicto Latiari, hoc eſt ſolemni feſto Latinarum, nefas fuiſſe prælium ſumere, quod eo tempore quondam publicæ induciæ inter populum Romanum Latinoſque firmata eſſent. Conſules item non ante exire paludati in provincias conſueverunt, quam ferias Latinas indixiſſent, atque diis in monte Albano cum Latinarum civitatum Magiſtratibus operam dediſſent; ſi qui autem ante Latinas Urbe profecti ſunt, male iis ceſſiſſe Dio teſtatur. Quum autem Conſules Romani huic ſacrificio hiſque feriis more majorum operam darent atque adeo præeſſent, moris erat, ut interim alius aliquis ex patriciorum numero Urbi præficeretur, qui Præfectus Urbis Latinarum cauſſa dicebatur; qua de cauſſa interdum etiam Dictatores creati ſunt.

III. *Paganalia.*

*Paganalia*, ſeu paganicæ feriæ agriculturæ cauſſa ſuſceptæ ſunt. Earum auctor fuit Servius Tullius. Is enim *poſtquam tribus alias urbanas, alias ruſticas inſtituiſſet, & has in ſuos pagos diſtribuiſſet, ut ruſticanæ multitudinis facilius iniri poſſet numerus, per ſingulos agros aras juſſit dedicari diis tutelaribus, quotanniſque ibi conventum fieri & ſacrificium, feſtum, hoc comprimis religioſum conſtituens, vocatum Paganalia, ſimulque eorum ſacrorum ritus, qui nunc quoque ſervantur, conſcripſit. Ad ſacrificium eumque conventum omnes paganos juſſit in ſingula capita conferre cereum numiſmatis genus, ſed aliud viros, aliud mulieres, aliud impuberes; quibus per ſacrorum præſides connumeratis, apparebat harum numerus per ſexus & ætatis diſtinctus.* Hæc Halicarnaſſenſis.

No-

Notandum eſt autem potionem, quæ deæ Cereri vel Pali [ eadem enim eſſe videtur ) in Camella proponebatur, *burranicam* fuiſſe dictam a colore burro, quem mulſum lacte dilutum facit. Camella autem ea eſt, quam Pollux σκάμιλλαν vocat, vaſis genus. Neque illud negligendum, Cererem in paganalibus ſacris Empandam fuiſſe appellatam, nomen a pane dando confictum.

IV. *Feriæ Sementinæ & Compitales.*

De *feriis Sementinis* & *Campitalibus* diximus ſupra, cum de ſtatis feriis ageremus, Ovidii auctoritatem ſecuti, qui illas in menſem Januarium, has vero in Majum retulit. Hic tamen minime diſſimulabimus, Compitalia apud alios ſcriptores antiquos modo hoc, modo illo die agitata reperiri, ut videatur certus illis dies non fuiſſe definitus, ac proinde credibile ſit ea conceptiva potius, quam ſtata fuiſſe.

V. *Feriæ Novendiales.*

In conceptivarum feriarum numero erant quoque *Novendiales*. Sacrum Novendiale dupliciter a Romanis actum fuit, uno modo cum defunctis parentabant, ſeque luſtrabant ( de quo infra in Parentalibus, & Denicalibus) altero, cum prodigium aliquod accidiſſet, quod Novendiali ſacro eſſet expiandum. Dictum hoc ſacrum Novendiale, vel feriæ Novendiales a numero dierum; dies enim novem continuos celebrabatur. Livius: *Devictis Sabinis, cum in magna gloria magniſque opibus regnum Tulli, ac tota res Romana eſſet, nunciatum regi patribuſque eſt, in monte Albano lapidibuis pluiſſe; quod cum credi vix poſset, miſſis ad id viſendum prodigium, in conſpectu haud aliter, quam cum grandinem venti glomeratam in terras agunt, crebri cecidere cælo lapides. Viſi etiam audire vocem ingentem ex ſummi cacuminis loco, ut patrio ritu ſacra Albani facerent, quæ, velut diis quoque ſimul cum patria relictis, oblivioni dederant; & aut Romana ſacra ſuſceperant, aut for-*

*tunæ*

*tunæ [ ut fit ) obirati cultum reliquerant deum. Romanis quoque ab eodem prodigio Novendiale ſacrum publice ſuſceptum eſt, ſeu voce cæleſti ex Albano monte miſſa ( nam id quoque traditur ) ſeu aruſpicum monitu. Manſit certe ſolemne, ut quandocunque prodigium nunciaretur, feriæ per novem dies agerentur.*

VI. *Feriæ Indictivæ.*

Hæc de feriis non ſtatis, quæ conceptivæ propriæ dicebantur. Aliæ erant feriæ *indictivæ*, quæ & *imperativæ* ſunt appellatæ: hæ a magiſtratu Romano imperabantur, vel ſolemniter indicebantur, ob victorias bello contra hoſtes partas; deinde etiam republica jam occupata, profligataque libertate, ob natalem diem filii Imperatoris, & ob ſucceſſionem in Imperium.

VII. *Supplicationes, & Lectiſternia.*

His accenſeri non incommode poſſunt *ſupplicationes* & *Lectiſternia*. Supplicationes, iræ deorum avertendæ cauſſa habebantur, aut cum hoſtili aliquo nuncio perculſa civitas ad deos & vota confugiebat. In his matronæ templorum ſolum crinibus ſuis verrere ſolebant, longoſque gemitus & ejulatus emittere. Supplicaturi penulas deponebant, ſeſeque vertebant ad orientem, & recto vultu precabantur. Corpus etiam circumagebant dextro verſum, dextramque ad oſculum referebant, priore digito in erectum pollicem reſidente. Orantes deinde humi procumbebant, aris advolvebantur, ſignaque deum contingebant. In omnibus autem precationibus dii *patres*, deæ *matres*; illi quoque *ſancti*, hæ *ſanctæ*; illi *domini*, hæ *dominæ*, omnes denique *boni* & *pulchri* appellabantur. De *Lectiſternio* dictum a nobis ſupra eſt, cum in Novembri de Jovis epulo egimus.

VIII. *Bacchanalia, & Nyctelia.*

Alia denique ſacra erant, nullo certo tempore celebrata, ut Bacchanalia, Nyctelia, & ſi qua ſunt alia hujus farinæ; Ambarvalia item, quæ & Suovetaurilia. Ac *Bacchanalia* quidem ignorare præ-

præſtat; adeo turpia ſunt, quæ de illis traduntur. Varro ſane teſtatur, ea niſi ab amentibus fieri non potuiſſe. Eodem plane loco habenda *Nyctelia*, Græca ſacra & nocturna, quibus Cybeles a ſemiviris colebatur, ob ſummam turpitudinem a Romanis excluſa.

IX. *Ambarvalia, vel Suovetaurilia.* *Ambarvalia* explicemus, in quibus, ut in cæteris Romanorum ſacrificiis, nihil fortaſſe damnandum a Chriſtiano homine, præter cæcam ſuperſtitionem. Ambarvale ſacrificium ab arvis hoſtia ambiendis nomen traxit. Maturis frugibus, circum arva victimas ducebant, ſuem videlicet, ovem, & taurum, unde *Suovetaurilia* id ſacrificium dictum eſt. Omnes deinde clamantes ſequebantur, ex quibus unus querna corona ornatus, cum ſolemni ſaltatione, compoſito carmine, Cereri laudes decantabat; & poſtquam lacte, vino, & favo libaſſent, antequam fruges meterent, porcam Cereri immolabant, quæ præcidanea dicta eſt. His ſacris Fratres Ambarvales præerant, qui ad hoc creati erant, ut terminos agri Romani Suovetaurilibus circumferrent. Eadem, ſi privata erant, a patrefamilias peragebantur; ſi circum fines Urbis ducebantur, *Amburbia* dicta ſunt, & hoſtiæ *Amburbiales* appellatæ.

X. *Parentalia.* Inter privata ſacra, nulloque certo tempore facta, Parentalia quoque recenſentur, & Denicalia, & Natalia. Singula a nobis percurſa cum fuerint, primæ huic ſcriptioni finem imponemus. *Parentalia* igitur erant feſta vel convivia feralia, ſpeciatim in mortibus parentum, vel aliorum propinquorum; dieſque erant parentales, quibus oblationes & ſolemnitates celebrabantur in honorem parentum. Ea a Numa Pompilio inſtituta ſunt, ſi Auſonio credimus; ab Ænea, ſi Ovidio. Differunt a Feralibus, quæ feſta publica erant, ſtata, & ſolemnia, die decimonono Februarii diis manibus

bus a populo univerſo celebrata. Differunt etiam nonnihil a Juſtis. *Juſta* enim ſunt a lege & pontificio jure; at multi, qui nullis illis legibus obſtricti eſſent, ultro ad virorum fortium ſepulcra parentarunt, ut Caligula, qui Svetonio teſte, ſicubi clarorum viorum ſepulcra cognoſceret, inferias manibus dabat. In omnibus tamen ceremoniæ eædem ferme fuerunt. Mortuis enim ſedentes parentare ſolebant, & lugubria officia peragere menſe decreſcente, & die ad veſperam vergente. In parentationibus epulæ & obſonia ad ſepulcrum ferebantur. Epulum autem duplex fuit; alterum eorum qui parentabant, alterum eorum quibus parentabatur: illud ſcilicet cognatorum, hoc defunctorum. Priorum cœnæ erant; cujuſmodi fuit illa, quæ ad ſepulcrum L. Catilinæ, damnato Antonio, facta eſt. Poſteriorum epulæ in parentatione comburebantur; erant autem faba, apium, ſal, legumina, ova, mola ſalſa, & hoſtiæ maximæ. XI.

*Denicalia* ſeu *feriæ denicales*, privata erant ſacra, quibus familia funere polluta certis quibuſdam ceremoniis purgabatur. Ea a *nece* appellata fuiſſe, auctor eſt Cicero *lib. 2. de leg.* Fiebant autem per everriatorem, certo genere ſcoparum adhibito, quæ *exverræ* ab extra verrendo dicebantur. Illud feriis denicalibus fuit peculiare, quod iis durantibus, mulos jungere non licebat. *Denicalia.*

XII.

Ad extremum *Natalia* reſervavimus, ut noſtra Exercitatio exitum, non luctuoſum & triſtem, ſed jucundum & hilarem inveniret. Natalem diem ſolemni cultu celebrabant veteres, ſive is deorum eſ-
lemni cultu celebrabant veteres, ſive is deorum eſ-
ſet, ſive Imperatorum, ſive magnorum virorum, ſive tandem cujuſque proprius. Sic ex. gr. natalis Dianæ dies a virginibus celebrabatur, Apollinis a pueris. Quemadmodum autem deorum Natalia donis & muneribus colebantur, ita dies natalis Imperatorum ludis & venationibus celebratus eſt. Nec *Natalia.*

diem

diem modo, quo nati ſunt, ſed etiam quo Imperatores electi ſunt, quaſi dies Imperii natalis eſſet, feſtum ſolemni cultu agebant. Quod ſi fiebat, pergratum Imperatoribus erat; haud ita quidem, ſi negligebatur. Magnorum quoque virorum Natalia a veteribus celebrata legimus; quæ ſane ſanctiora cuivis, quam ſua, fuerunt. Sic ab Horatio diem Mœcenatis ſui natalem, ſic a Silio Italico natalem diem Virgilii religioſius, quam proprium, celebratum accepimus. Proprium denique privati colebant ritu nitido ac læto. Nam eo die Romani cives incedebant pexi, annulati, & in alba veſte; nonnulli etiam annulos habebant, quos die tantum natali gerere conſueverunt. Die eodem munera a clientibus accipiebant; atque ſacrificabant, feminæ quidem Junoni, mares autem Genio, non ſane hoſtia (nam die natali manum a cæde & ſanguine abſtinebant, ne die, qua ipſi lucem accepiſſent, aliis demerent) ſed mero, thure, & corollis, ac ſibi genialiter & vino, ſolito liberalius, indulgebant. Cœnam quoque dabant amicis, adoleſcentes vero etiam magiſtris, & ad illam ſenatorii & equeſtris ordinis homines invitabant. Interdum vel publicum convivium exhibebant, quod *natalitium* dicebatur. Omnibus ſolemne votum, ut dies ille ſæpiſſime bonis & fauſtis avibus rediret, Sic Tibullus *lib.* 1. *eleg.* 7.

*At tu natalis multos celebrande per annos,*
*Candidior ſemper, candidiorque veni.*

EXER-

# EXERCITATIO ALTERA.

## ROMANORUM NUPTIÆ.

MUlta a ſcriptoribus traduntur, præſertim a Jureconſultis, ad explicandam veterum Nuptiarum doctrinam univerſam; nos viam, quam inſtituimus, tenere pergentes, brevi rem totam, conficiemus. Neque enim quid juris, quærendum in præſentia nobis eſt; ſed quid moris fuerit apud Romanos, quoties individua hæc viri & mulieris ſocietas inibatur, reipublicæ utiliſſima, eademque ſi bene cedat, in communi vita jucundiſſima. Nuptiales itaque ritus, quantum noſtra compendia pati poſſunt, ſedulo recenſentes, rem a capite aggrediamur; & pauca de ſponſalibus, quæ nuptiarum celebritatem antecedunt, præmittamus.

## CAPUT PRIMUM.

### *De ſponſalibus.*

FUit hoc in more priſcis temporibus poſitum, ut, qui uxorem ducturus erat, eam in matrimonium ductum iri ſtipularetur ab eo, unde ducenda erat; qui vero erat daturus, ſe daturum ſponderet. Contractus hic ſtipulationum ſponſionumque *ſponſalia* dicebatur, quæ autem promiſſa erat, appellabatur *ſponſa*; qui ſpoponderat ſe ducturum, *ſponſus*. Neque vero a filiæ dumtaxat patre nuptum datum iri, ſed etiam a viri patre ductum iri ſponſio interponebatur, ut ex Terentio Donatus Grammaticus putat. I. *Sponſalia unde dicta.*

Inter eos, quorum nuptiæ agitabantur, de nuptiarum conditionibus & legibus conveniebat, hoc eſt de II. *Quomodo contracta.*

dote, de donatione propter nuptias, de arrhis ſponſalitii. Hinc puella dicebatur pacta, deſtinata, ſponſa. Verba autem, quibus ſponſalia concipiebantur, hæc fuerunt: *Sponden' Cajam filiam tuam uxorem mihi dari?* quæ formula in filiabusfamilias uſitata erat; nam innuptæ mulieres, quæ in perpetua tutela eſſent, cum deſpondebantur, probabile eſt hanc potius adhibitam fuiſſe *Sponden' Cajam, quæ in tua poteſtate eſt, uxorem mihi dari?* quemadmodum ex Cicerone *pro Flacco* quidam autumant. Ad hæc conſtituenda nudus conſenſus ſufficiebat; conventiones tamen hujuſmodi ut plurimum referebantur in tabulas, quæ tabulæ ſignatoriis eorum, qui interfuerunt, annulis obſignabantur, ut mox dicemus.

III. *De arrha, & annulo.* In argumentum contractorum ſponſaliorum ſponſæ *arrhæ* a ſponſo dabantur. Dabatur autem ferre eorum aliquid, quæ ad mundum, ſeu potius ad ornatum muliebrem pertinent, ut veſtes, monilia &c. *Annulus* quoque mittebatur pignoris loco, qui *pronubus* dictus eſt. Notandum hoc loco, quod tradit Iſidorus *etymol. lib.* 20. feminas non uſas annulis, niſi quos virgini ſponſus miſiſſet, neque amplius quam binos aureos in digitis habere ſolitas. Idem cenſet, datum fuiſſe annulum ſponſæ a ſponſo, vel propter mutuæ dilectionis ſignum, vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungerentur; quarto propterea digito inſeri annulus ſolet, quod in eo ſanguinis vena quædam, ut fertur, ad cor uſque perveniat. Ferreum denique annulum eumque ſine gemma, ſponſæ mitti ſua ætate conſuevisſe, auctor eſt Plinius *Hiſt. nat. lib.* 23. *c.* 1.

IV. *De proxenetis & auſpicibus.* De iis quoque dicendum eſt aliquid, quorum interpoſita opera ſponſalia contrahebantur. Hi *proxenetæ* & *auſpices* dicti ſunt, ideſt conciliatores, interpretes & internuncii, quod rem inciperent, felicique omine auſpicarentur. Apud eos conventiones

de dote fiebant: cum autem dies dicta eſſet pactis dotalibus conſcribendis, iidem noctu & ſub auroram auguriis operam dabant; ac demum curabant, ut quod conventum erat, rite fieret, tabuliſque mandaretur. Nuptiales hæ tabulæ ab iiſdem auſpicibus & proxenetis exarabantur & ſignabantur, tum eorum unus, quod conventum eſſet proferebat, cæteris audientibus, atque ut ita fieret, poſtulantibus. Dictum ſubinde *feliciter*; qua fauſta acclamatione felicem contractus initi eventum, bonaque omnia ominabantur. Feminæ autem, ſi quæ ad nupitas conciliandas adhibebantur, non auſpices (nam hoc muneris virilis erat) ſed *pronubæ* dictæ ſunt. Harum aliud proprium officium erat, quod ſuo loco explicabitur.

## CAPUT II.

*De die nuptiarum, deque triplici earum forma.*

SPonſalibus factis, conſequens erat nuptiis diem dici. Nec vero temere nubebant, & e re nata, ac die quolibet; ſed in ea re non levem menſium, temporum, ac dierum delectum habebant. Kalendæ, nonæ, idus, omneſque feriæ, præterquam viduis, religioſæ fuerunt. Infauſtus quoque nuptiis & inauſpicatus exiſtimabatur menſis Majus. Hinc ex veteri proverbio, quod refert Ovidius *Faſt.* 5. *v.* 490. I. *Nubere quādo nefas, aut fas.*

*Menſe malum Majo nubere vulgus ait.*

Vitabatur præterea conjugium Parentalibus, ſeu Lemuriis, propter infauſtos & ominoſos dies; toto denique triduo, quo Saliorum feſta celebrabantur, donec recondita eſſent arma in templo Martis. Nuptiis autem celebrandis aptiſſimum fuit id tempus, quod idus Junias ſequitur; ſed tunc quo-

d 2 que

que cavebatur, ne ullus eſſet motus cœli aut terræ, ad quam rem auſpices adhiberi ſolitos diximus. Fœdus enim in hiſce perturbationibus inire, infelix infortunatumque putabatur.

II. *De tribus diebus nuptiarum.* Nec unus ſane, ſed tres dies in nuptiis peragendis poni conſueverunt. Primo die ſponſus viſitabat ſponſam apud ejus patrem. Dies autem non naturalis, ſed civilis intelligendus eſt, ut is a media nocte incipiat. Nocte ſequente apud ſocerum ſponſus manebat; non tamen ſponſæ conditione utebatur, ſed in ſeparata diæta pernoctabat. Luce tandem oriente, circiter primam aut ſecundam diei horam (hæ ſiquidem horæ, inquit Feſtus, ſponſalibus dedicatæ erant) ſponſa domo patris egrediebatur; & hic proprie nuptiarum dies dictus eſt. Tertio autem die, qui poſtridie nuptiarum dicebatur, quia vir jam maritus factus erat, nova nupta ad patris domum redibat, ubi repotia fiebant, & dona ab amicis offerebantur. Sed de his omnibus iterum mentio erit, cum ad umbilicum pervenerimus.

III. *De coemtione.* Tribus autem modis uxores quæſitæ, & matrimonia a veteribus contracta ſunt; uſu, farre, & coemtione. *Coemtio* (iniquit Boethius *lib. 2. ad Top. Cic.*) *certis ſolemnitatibus peragebatur, & ſeſe in coemendo invicem interrogabant: vir ita, An ſibi mulier materfamilias eſſe vellet; illa reſpondebat, Velle. Item mulier interrogabat, An vir ſibi paterfamilias eſſe vellet; ille reſpondebat, Velle. Itaque mulier in viri conveniebat manum, & vocabantur hæ nuptiæ per coemtionem, & erat mulier materfamilias viro, loco filiæ.* Coemtionem porro imaginariis venditionibus peractam, ut & adoptionem, credibile eſt, in eaque facienda numos aliquot dicis cauſſa intervenisse. Id enim in aliis quoque legitimis actibus obſervabatur, in quibus ſpecies tenus mancipationum ſolemnia repræſentanda erant.

erant. Ad hanc contrahendi matrimonii rationem pertinet, quod ex Varrone Nonius Marcellus refert, his verbis. *Veteri Romanorum lege nubentes mulieres aſſes tres ad virum venientes ferre ſolebant; atque unum quidem, quem in manu tenebant, tanquam emendi cauſſa marito dare; alium, quem in pede habebant, in foco Larium familiarium ponere; tertium, in ſacciperio ſive in marſupio majori conditum, in compito vicinali reſignare ſolebant Laribus compitalibus, quibus fiebant ſacra: & ita matrimonium dicebatur per æs & libram contractum.* Ex hoc ergo fiebat, ut mulier in manu mancipioque mariti eſſet, atque adeo eorumdem bonorum & ſacrorum cum viro ſocia & particeps, ſuaque illi hæres fieret; vir autem non in manu, ideſt poteſtate uxoris erat, ſed quod coemtus eſſet, id ei hæredis ſui jus tribuebat.

IV. *De confarreatione.*

Confarreatio fiebat, quum certis verbis, & decem teſtibus præſentibus, ſolemnique ſacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur, mulier in manum viri conveniebat. Eo vero fiebat per ſolos pontifices. Extat hac de re Servii auctoritas, cujus hæc verba traduntur eſſe: *Farre nuptiæ fiebant per pontificem maximum, & dialem flaminem; per frugem & molam ſalſam conjungebantur, unde confarreatio appellatur; ex quibus patrimi & matrimi naſcebantur.* Et hic modus in ſponſalibus religioſiſſimus fuit, in cujus ſignum præferebatur far toſtum, quod ſacrificiis ſæpe adhibebatur. Ex eo confarreandi modo confarreari matrimonium priſci dicebant; quæ vero ſic nubebant, e patris ſtatim poteſtate tranſibant in viri manum. Quemadmodum autem jungebantur confarreatione, ita diffarreatione dirimebantur.

V. *De uſu.*

Uſu denique uxor habebatur, cum mulier ita collocabatur viro, ut is nullum jus præter uſum in

eam haberet. Nam ſicut ſervus jure Quiritium domini non erat, ſed tantum in ejus bonis, ideſt in uſu, ſi is neque mancipatus eſſet, neque in jure ceſſus, neque ab ipſo annum poſſeſſus; ita etiam quæ nec farre, nec coemtione in manum conveniſſet, ſed in domum dumtaxat deducta eſſet mulier, ea quidem jure Quiritium uxor non erat, neque materfamilias, ſed tantum jure naturali uxor. Quæ igitur uſu tantum habebatur, a matrefamilias differebat, quod hæc in mariti poteſtatem & familiam tranſibat, eratque illi loco filiæ; illa vero ad uſum ſolum, & liberorum tantum quærendorum cauſſa ducebatur. Differebat etiam a concubina, quæ uſu nunquam capiebatur, uxor autem ſæpiſſime, ac tum maxime, cum annua poſſeſſio interveniebat, niſi trinoctium intra id tempus a viro abfuiſſet; præterea illa pellex, hæc uxor; cum illa concubinatus, cum hac nuptiæ eſſe dicebantur.

## CAPUT III.

### *De novæ nuptæ cultu & ornatu.*

I. *De cultu capitis.* HIs ita expoſitis, ad novæ nuptæ cultum, veſtitum, & ornatum tranſeamus. Atque ut a vertice initium ſit, ſenis crinibus ea ornari ſolebat, ſive quod is ornatus vetuſtiſſimus eſſet, ſeu quod eo virgines Veſtales ornarentur, quarum caſtitatem nubentes ſpondebant viris ſuis, ut tradit Sex. Pompejus. Celibari etiam haſta, quæ in corpore gladiatoris abjecti occiſique ſtetiſſet, novæ nuptæ caput, eodem teſte, comebatur; ac corona deinde redimiri ſolebat. Haſta autem ad crines comendos adhibita eſt, ut quemadmodum illa fuerat conjuncta cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum viro eſſet; vel quia matronæ in Junonis Curitis tutela eſſent, ſic dictæ a ferenda haſta, quæ Sabinorum lingua *curis* dici-

dicitur; vel ut fortes viros genituram ominaretur; vel quod nuptiali jure, imperio viri ſubjiciebatur nubens, quum haſta ſumma armorum & imperii ſit. Plutarchus etiam *in Romulo* docet, eſſe qui affirment, propterea nuptæ comam cuſpide haſtili diſcriminari, ut ſignum ſit primas nuptias bello & pugna fuiſſe contractas. Alibi alia tradit idem Plutarchus; ſed hæc fortaſſe nimis multa ſunt ad potiora properantibus.

II. *De veſtitu.*

Recta item tunica nova nupta induebatur, qualem prima Caja Cæcilia texuit; quod quidem ex felici textricis conjugio in uſum veniſſe, minime dubium eſt. Fuit autem illa Tanaquil, uxor Tarquinii Priſci, lanifica optima, ſummæque probitatis mulier; ac proinde nomen ejus, boni ominis cauſſa, in omnibus nuptiis uſurpatum, ut infra explicabimus. Cingulo inſuper ſponſa cingebatur. Factum id erat ex lana ovis, referente Feſto; ut ſicut illa in glomis ſublata, conjuncta inter ſe eſt; ſic vir ſuus ſecum vinctus cinctuſque eſſet. Cingulum id Herculeo nodo vinctum vir ominis gratia ſolvebat, ut ſic ipſe felix in ſuſcipiendis liberis eſſet, quemadmodum Hercules fuit, qui ſeptuaginta liberos reliquit. Ab hoc cingulo Cinxiæ cognomen inditum Junoni fuit, quæ conjugalibus fœderibus peculiari numine præeſſe credebatur. Coronam præterea, ex floribus ac verbenis a ſe lectis compoſitam, nova nupta ſub amiculo ferebat; hoc eſt ſub flammeo, quo obnubi ſolebat, quo die ad virum deducebatur. Atque hinc nuptiarum nomen factum eſt; *nubere* enim & *obnubere* apud antiquos *velare* & *operire* ſignificabat. *Flammeum* igitur dictum id velum, quo nupta operiebatur, non quidem a flammæ colore (erat enim luteum) ſed quia Flaminica, cui divortium facere non licebat, eo aſſidue utebatur; eodem autem velabantur & nuptæ boni ominis gratia, ut perpetuo cum viro manerent. Videtur quoque flammeum compa-

ratum, tum ad ruborem cuſtodiendum ne pudicitia pollueretur aſpectu, tum ne a quoquam prius, quam a marito nova nupta conſpiceretur. Nec flammea modo lutea erant, ſed & alia nuptialia veſtimenta; calceos quoque ipſos ſoccoſque luteos fuiſſe, ex Catullo opinari licet.

III. *De ornatu ſponſi.* Ornatus ſponſi (ut de ipſo quoque aliquid hoc loco dicamus) in eo præcipue notabatur, quod tonderetur; nec abſimile vero eſt, id etiam a cæteris adſtantibus fuiſſe obſervatum, præſertim ab iis, qui ad celebritatem nuptiarum adhibebantur. Fiebat id ornamenti cultuſque cauſſa, non quod capili omnino amoverentur, ſed comebantur potius, & qui ſuperflui erant, tondebantur. Liberorum autem hominum erat cæſariem; quæ a *cædendo* dicta eſt, tondere & adornare; ſervorum non item. Porro ſponſus ipſe, non ſecus ac ſponſa, floribus verbeniſque coronabatur, cumque illo familia univerſa, in ejus ſive honorem ſive adulationem, coronas nectebat; omneſque affines & neceſſarii, qui intererant lætitiæ nuptiali, floreis coronis redimiti conſpiciebantur.

## CAPUT IV.

### *De novæ nuptæ ad maritum deductione.*

I. *De raptu.* Comta & ornata virgo, cum ad virum procederet & transferretur, rapi plane ſimulabatur ex gremio matris, aut ſi ea deeſſet, ex gremio illius, quæ proxima neceſſitudine erat, propterea quod ea res Romulo feliciter ceſſiſſet, qui per vim ſibi ſuiſque uxores ex Sabinis quæſivit. Nova igitur nupta in viri domum, tanquam conjugii manſionem & domicilium, traducebatur; unde *uxorem ducere* quaſi *domum ducere*, Latini dicunt.

II. *De faci.* Deductio hæc veſpere fiebat. Satagebant autem vete-

veteres, ut quam maxima populi frequentia, celeberrimoque officio nubentes deducerentur. Itaque pueri patrimi tres prætextati ſponſam deducebant; quorum unus facem ex ſpina alba præferebat, reliqui duo nubentem tenebant. Non deſunt tamen, qui nuptiales faces ex pinu confici ſolitas contendant; ſed nihil prohibet ex variis arborum generibus faces illas confici ſolitas dicere. Sane ſpinæ albæ ad maleficia pellenda vim ineſſe, antiquitas opinata eſt; Plinius vero eandem nuptiarum facibus auſpicatiſſimam fuiſſe dixit, ſuis tamen temporibus carpinum & corylum facibus familiariſſimas fuiſſe, poſtea affirmavit. Hæ modo *tædæ*, modo *faces jugales*, *faces legitimæ*, *tædæ geniales* & *feſtæ* a Poetis dictæ ſunt. Plutarchus quoque *cereos* nominat, traditque, in nuptiis quinque accendi ſolitas faces, nec plures, nec pauciores. Fax autem illa, qua prælucente nova nupta ducta erat, antequam mariti domum ingrederetur, rapi ab amicis conſueverat; ne aut eam ſub tecto viri uxor ea nocte poneret, aut vir in ſepulcro comburendam curaret, quo utroque alterius mors captari putabatur. *bus, ſive tædis.*

III. *De curuli translatione.*

Enimvero ſilentio preteriri non poteſt, quod quibuſdam viſum eſt, in altum tolli nubentes priſcis temporibus conſueviſſe. Verum hoc apud Pœnos, Græcos, Ægyptioſque uſu receptum fuiſſe compertum eſt, ut nubentes ſellæ inſidentes, curruque ſublimes vectæ, a patris domo in mariti domicilium tranſveherentur. Conſtantinopoli quoque eundem fuiſſe morem, indicio ſunt Claudiani verſus, *de nupt. Hon. & Mariæ, v. 286.*

*Ante fores jam pompa ſonat, pilentaque ſacram*
*Præradiant ductura nurum.*

At vero curulem hanc novæ nuptæ translationem priſcis Romanis in uſu fuiſſe, nuſquam legere eſt. Nubentem enim a pueris patrimis & matrimis manu ductam, ſatis aperte Sex. Pompejus Feſtus ſignificavit.

Spon-

IV. Sponſæ ad virum deducendæ colus cum lana, & fuſus cum ſtamine præferebantur, tanquam operis, in quo futura eſſet, auſpicia; & tanquam ad opus faciendum, non ad deponendam virginitatem deduceretur. Eadem, puto, de cauſsa utenſilia mulieris, & quæ in uſu ac miniſterio ejus erant, per puerum impuberem in vaſe operto geſtari conſueverant. Ac puer quidem *Camillus* dicebatur, quo nomine Romani pueros nobiles Flaminum præminiſtros appellabant; vas autem ipſum nuptiale *cumerum* dictum eſt, a ſimilitudine cumerarum, quæ fiunt palmeæ vel ſparteæ ad uſum popularem.

*De colo & fuſo, deque utenſilibus, &c.*

## CAPUT V.

### *De novæ nuptæ in mariti domum ingreſſu.*

I. HOc ritu deducta ſponſa ad mariti ædes accedebat. Pro foribus ædium, quæ floreis frondeiſque ſertis, roſa præcipue, lauru, & myrto innexis exornabantur, interrogata mulier, quænam eſset, *Cajam* ſe eſſe reſpondebat. Plutarchus teſtatur, eos qui nubentem introducerent, ei verba hæc ſuggeſſiſſe: *Ubi tu Cajus, ego Caja*. Quorum verborum ſenſum eum eſſe quidam exiſtimabant: Ubi tu dominus & paterfamilias, ego domina & materfamilias; ut quemadmodum Juriſconſulti in exemplis proponendis Caji & Titii nomina uſurpant, ita & in nuptialibus his ceremoniis nomen Cajæ fuerit uſitatum. Aliis ad Cajæ Cæciliæ nomen, quod ominis boni cauſsa nubentes frequentabant, morem hunc referendum eſse magis placuit. De Caja Cæcilia, quæ fuerit, diximus ſupra *cap.* III. *n.* II.

*De Cajæ appellatione.*

II. Januæ poſtes laneis vittis ornari, lupinoque adipe, ſive oleo ungi & oblini a nubente, antequam ingrederetur, conſueverunt; unde *uxor* dicta, quaſi *un-*

*De poſtium unctione.*

ſi *unxor*, & Juno *Unxia*. Huic enim mori, ut & cæteris, eam præeſse antiquitas credidit. Sic *Cinxia* appellata eſt a nuptiali cingulo ejuſque ſolutione, quæ a marito fiebat. Sic *Domiduca* & *Iterduca*, quod ad ſponſis ædes & cubiculum ſponſas comitaretur, & earum itinera protegeret. Sic *Zygia* ſive *Juga* a conjunctione maris & fœminæ. Sunt, qui a jugo Junoni indictum id nomen putant, quod contrahentibus matrimonium imponi conſueviſſe memorat Servius & Iſidorus, nullo tamen idoneorum & locupletum auctorum teſtimonio confirmant, Nam quæ ex Plauto, aut Horatio exempla afferunt, translate potius & μεταφορικῶς accipienda ſunt. Verum ut ad unctionem poſtium redeamus, ea, teſte Plinio, a nubentibus facta eſt, nequid mali medicamenti inferretur. III.

Aquam & ignem in limine appoſitum uterque contrahentium tangebat, titione ex felici arbore in aquam immerſo; quaſi eo fædere inexplicabili, ac mutuo nexu copulati eſſent. Alterum enim quaſi maſculinum eſt, alterum quaſi femininum, alterum activum, alterum patibile. Plures quoque ejuſdem ritus rationes affert Plutarchus *quæſt. Rom.* 1. quas commemorare non eſt neceſſe. Id unum ſubjicere placet, quod ſcribit Servius, eadem aqua nubentium pedes lavari ſolitos. IV.

*De aqua & igne.*

In limine quoque domus ſponſa, quaſi obſtinata ſtare conſuevit, ut ſignificaret, invitam ſe duci in eum locum, ubi virginitatis jactura facienda erat; vel quia hac ratione ſponſam ſuperſtitem fore ſponſo arbitrabantur. Itaque ab amicis in altum ſublata in ædes inducebatur; religioni quippe habebant, ſi in tranſgrediendo mulier limen offendiſſet. Varro etiam apud Servium opinatus eſt, ideo ſponſas limen non tetigiſſe, ne a ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem limen calcarent, quod Veſtæ ideſt caſtiſſimo numini erat conſecratum.

*De liminis præteritione*

Nu-

V. *De clavibus & pelle lanata.* Nuptæ in mariti domum primo ingreſſæ claves dabantur, ad ſignificandam partus facilitatem, u Feſtus explicat, vel potius ut ſignificaretur, ei rerum omnium domeſticarum, quæ clavibus concludi ſolent, cura & cuſtodia, totius denique domus ac rei familiaris adminiſtratio diſpenſatioque permitti. Contra vero, cum divortium fieret, nuncioque remiſſo uxor res ſuas ſibi habere juberetur, neque ejus conditione vir amplius uti vellet, claves eædem illi adimebantur. Notandum hoc loco, domeſticas claves omnes nuptæ dari a marito conſueviſſe, præter vinariam. Feminis enim vini uſus interdicebatur, quo facilius caſtitas ſervaretur. Hinc Faunam, Fauni ſororem eandem & conjugem, quod vinum præter morem regium bibiſſet, dum cæderetur a viro, ferunt inter virgas vitam liquiſſe. Sic uxor Egnatii Mecennii, quod vinum bibiſſet, occiſa fuit a marito impune, haud ægre id patiente Romulo. Maritus enim apud veteres hujus criminis vindex idem conſtituebantur, & judex; ac propterea ſuæ quiſque uxori, ſi vinum ebibiſſe deprehenſa eſſet, repudii libellum & nuncium remittere ſtatim poterat. Quamobrem Cato, ſeverus mulierum adverſarius, ne vini potum celarent, cenſuit eas propinquis oſculum ferre, ut fraudem odore proderent. Ad nuptam revertamur. Ea ſtatuebatur in pelle lanata; vel propter morem vetuſtum, quo antiquitus homines pellibus induti erant, vel quo teſtaretur ſe ſacrificii officium viro præſtaturam.

## CAPUT VI.

### *De cœna nuptiali.*

I. *Cœnæ nuptialis lautitia.* SPonſæ acceptæ ejuſque comitibus dabatur a novo marito cœna, quæ *nuptialis* a veteribus ſcriptoribus appellatur, & a Claudiano precipue *epu-*

*læ*

*læ geniales*. Convivas opipare ac laute acceptos fuiſſe, nemo non intelligit. Leges ſane ſumtuarias, Liciniam & Juliam, quibus effervescens Romanorum luxuriæ æſtus coercebatur, nuptiis aliquid indulſiſſe, & de præſcripta victus ac cœnarum tenuitate remiſiſſe, conſtat ex Gellio, *lib.* 2. *cap.* 24. Lex enim Licinia, cum in certos quoſdam dies centenos æris impendi permiſiſſet, nuptiis ducenos indulſit; lex vero Julia, quæ Cæſare Auguſto imperante pervenit ad populum, profeſtis diebus ducentos finiit, Kal. non. id. & aliis quibuſdam feſtis trecentos, nuptiis autem & repotiis HS. millies eſſe conceſſit, ut refert idem Gellius *loc. cit.* Inter cætera fercula, papaveris ſuccum cum lacte & melle dilutum exhibitum fuiſſe, auctor eſt Aldrovandus *Inſect. lib.* 1. Papaver autem ſymbolum erat fœcunditatis; hinc Livia & Auguſtæ fere omnes in numis & marmoribus antiquis conſpiciuntur, ſpicas & papavera geſtantes. Quemadmodum autem nuptiis apud virum cœnabatur; ita ſponſaliorum nomine convivium ſponſo a ſponſæ parentibus datum fuiſſe, conjici poteſt ex Cicerone *lib.* 2. *epiſt. ad Q. fratrem*.

II. *De tibiæ cantu, & Talaſſione.*

Tibiam nuptialibus feſtivitatibus adhibitam fuiſſe, Plauti, Terentii, aliorumque ſcriptorum loci non pauci declarant. Præterea Talaſſionem Romani non ſecus, atque Græci Hymenæum, in nuptiis inclamabant: quam acclamationem ex eo inoleviſſe ſcribit Livius *lib.* 1. quod in Sabinarum raptu virgo una, longe ante alias pulcuerrima, a globo cujuſdam Talaſſii rapta fuerit; multiſque ſciſcitantibus cuinam eam ferrent, nequis violaret, Talaſſio eam ferri clamitatum. Qua de cauſſa vocem hanc nuptialem factam, & ad poſteros inde manaſſe, Plutarchus quoque & Servius docuerunt. Neque diſſimulandum, vocis hujus originem a nonnullis trahi ad lanificium, quod Græcis ταλασία dicitur; conſtat

ſtat autem ſacrificiis priſcas matronas valde deditas fuiſſe præcipuamque his curam & operam impendiſſe. Ferrarius tamen, ſcriptor ſane diligens, & in antiquitate inveſtiganda ſæpe acutus, *de acclamat. lib. 6. cap. 19.* priorem ſententiam fuſe tuetur & probat. Idem contendit, Talaſſionem acclamatum fuiſſe, non a convivis in ipſa nuptiali cœna, ſed a turba, cum nova nupta in viri domum deducebatur.

III. *De ſimpulonibus.* Saltationes denique & compotationes ex more obeundæ maritis erant. Sponſus enim, & ejus amici quidam, qui *ſimpulones* appellabantur, per convivia ambulabant, ut convivis vinum porrigerent, venientes ſalutarent, adventum gratularentur, ad cœnam invitarent. Dicti ſunt autem ſimpulones a ſimpulo, ſive ſimpuvio, vaſe parvo & fictili, inſtar cyathi, quo vinum porrigebatur.

## CAPUT VII.

### *De nuptialibus ſacrificiis.*

SAcrificium quoque nuptiale apud Romanos in uſu fuit; de quo juvat hoc loco pauca attingere, quandoquidem nihil de illo dictum a nobis eſt, cum de ſacrificiis ageremus. Tota itaque nuptiarum dies non modo in conviviis & ſaltationibus, ſed etiam in ſacrificiis tranſigebatur; nec aliter fauſtum felixque matrimonium putabant Romani, niſi more ſolemni antea litaſſent. Porcam, Varrone docente, immolabant; quaſi eo ſacrificio, diis teſtibus, fœdus matrimonii bene ceſſurum, & inviolabile futurum promitterent conjuges. Mactabatur autem porca, non modo quia omnium animalium maxime in venerem prona eſt, ſed etiam fortaſſe, ut nupta in ſuſcipiendis liberis adeo fœcunda eſſet, ut ſcropha, quæ olim inventa ſub ilicibus eſt.

Tri-

*Triginta capitum fœtus enixa*. [ *Æn*. 8. *v*. 54. ] Sacrificabatur autem Junoni ſæpius, ſed tum maxime, cum cingulo nova nupta præcingebatur. Virgines Dianæ ſacrificaſſe, eique zonam dedicaſſe, quam nunquam recuperaturæ eſſent, refert Suidas. Aliis demum non dicendis numinibus, quorum ſimulacra in cubiculum inferebantur, fœda ſacra fieri noctu a nubentibus conſueviſſe, compertum eſt; ſed hac in parte omnium ſane diligentiſſimus ſcriptor a cordatis quibuſque & probis hominibus is habetur, qui calamo parcit, & inanem diligentiæ laudem prudens contemnit.

## CAPUT VIII.

### *De reliquis nuptiarum ritibus*.

I. *De ingreſſu in cubiculum*.

IN cubiculum, nocte adventante, cum nova nupta deduceretur, eam dimittebant prætexati patrimi ac matrimi, & pronubæ in lecto collocabant; qui roſis contextus erat & coronatus, *genialiſque* dictus, quaſi *generalis*, a generandis liberis, vel a Genio potius, in cujus honorem ſternebatur. Toga etiam ſterni lectos Arnobius docuit; qui mos perſeveravit in nuptiis a primis uſque Romanorum temporibus, quibus togæ in lectis haberi cœperunt. Nuptæ autem in cubiculum deducendæ adhibebantur ſpectatæ pudicitiæ mulieres, quæ unius viri eſſent, ut matrimonii perpetuitatem auſpicarentur.

II. *De Epithalamio, &c.*

Sociæ interim virgines ad cubiculi oſtium *Epithalamia* canebant; quorum duo genera fuerunt, alterum veſpere accini ſolitum, κατακοιμητικὸν Græcis dictum, quod ſponſos cubitum mitteret, & quaſi conſopiret; alterum vero ſub aurora, quod ad eoſdem excitandos διεγερτικὸν dicebatur. A pueris etiam, qui ad eam celebritatem frequentes aderant,

erant, jocoſi verſus, omnique dicacitate & petulantia diffluentes ſponſo & ſponſæ libere occentabantur. Nuptialia hujuſmodi carmina Feſcennina dicta ſunt, a Feſcennino Campaniæ oppido, ubi primum inventa & acclamata; vel quia faſcinum arcere putarentur, ut alii tradunt. Ea autem temeraria erant, incompoſita, rudia, quæ alternis jaciebantur.

III. *De nucibus.* Pueris his nuces a novis maritis jaci & ſpargi ſolitas teſtatur Feſtus, ut illis intenti tumultu & ſtrepitu omnia implerent; nihilque proinde de nuptialibus ſacris exaudiretur. Aliæ quoque hujus moris rationes a ſcriptoribus afferuntur; quidam enim putant nuces in puerorum turbam projectas, ut maritus eo indicio puerilibus omnibus ludis ſe renuntiare, & ludicra quæque ac puerilia relinquere teſtaretur; alii, ut Jovis omine matrimonium celebraretur, cum nuces in tutela Jovis eſſent, ac proinde *juglandes* dictæ, quaſi Jovis glandes; utque nova nupta matrona eſſet, quemadmodum Juno, *divum regina, Joviſque Et ſoror & conjux.*

IV. *De repotiis.* Poſtridie tandem nuptiarum apud novum maritum iterum cœnabatur; & quia quaſi inſtaurabatur & reficebatur potatio, eam cœnam *repotia* appellaverunt, quæ etiam renovabantur, quoties nova proles nata eſſet. Cœna hæc honeſtioribus dabatur, vilioribus autem ſportula. Interea munera nuptialia novæ conjugi & uxori ab amicis & propinquis, & a viro ipſo mittebantur; eademque, libertatem uxoriam auſpicata, in domo viri rem divinam faciebat.

# FINIS.

# EXPLICATIO ÆDIFICIORUM ROMÆ.

1. Atrium Libertatis in Aventino.
2. Inſula in Tiberi non procul ab Aventino.
3. Pons Ceſtius. ) ab utroque Inſulæ latere.
4. Pons Fabricius. )
5. Velabrum inter Aventinum, & Capitolium.
6. Spes vetus ad Portam Eſquilinam.
7. Circus Maximus inter Aventinum, & Palatinum.
8. Circus Flaminius juxta Capitolium.
9. Circus Caſtrenſis non procul a Via Appia.
10. Theatrum Balbi inter Capitolium, & villam publicam.
11. Theatrum Tauri in Palatino
12. Theatrum lapideum non procul a Porta Eſquilina.
13. Amphitheatrum Veſpaſiani ad Cœlimontium.
14. Amphitheatrum Tauri non procul a Monte Citorio.
15. AmphitheatrumCaſtrenſe in mœnibus non procul a Porta Eſq.
16. Meta ſudans inter Palatinum, & Eſquilinum.
17. Ludus matutinus in Cœlimontio.
18. Ludus Gallicus ibidem.
19. Ludus Magnus ad Cœlimontium.
20. Ludus Dacicus in Eſquilino.
21. Ludus Mamertinus ad Eſquilinum.
22 Forum Cæſaris ad Palatinum.
23. Forum Auguſti ad Capitolium.
24. Forum Nervæ inter Capitolium, & Quirinalem.
25. Forum Boarium inter Capitolium, & Palatinum.
26. Forum Piſcarium non procul ab Inſula Tiberis.
27. Thermæ Agrippæ non procul ab eadem Inſula.
28. Thermæ Titi in Eſquilino.
29. Thermæ privatæ Trajani in Aventino.
30. Thermæ Commodianæ non procul a Cœlimontio.
31. Thermæ Varianæ in Aventino non procul a muris.
32 Horti Terentiani ad portam Capenam.
33. Horti Pallantiani a dextra Portæ Eſquillinæ.
34 Horti Torquatiani a ſiniſtra Portæ Eſquilinæ.
35. He[illegible]albæ non procul a via Portuenſi.
36. Sepulchrum Metellæ ad viam Appiam.
37. Columna Antonini juxta montem Citorium.
38. Septizonium Severi ad Palatinum.
39. Uſtrinum non procul a monte Citorio
40. Sepulchra antiqua in omnibus viis extra Urbem.
41. Arcus Druſi Neronis non procul a Porta Capena.
42. Arcus Titi ad Palatinum.
43. Arcus Trajani non procul a Porta Capena.
44. Arcus L. Veri paulo longius.
45. Arcus Marci & Veri inter Quirinalem, & montem Citorium.
46. Arcus Severi ad Capitolium.
47. Arcus Severi Boarius non procul a Capitolio.
48. Arcus Gordiani inter Capitolium, & montem Citorium.
49. Arcus Conſtantini ad Palatinum.
50. Arcus Arcadii, & Honorii non procul a Porta Aurelia.
51. Arcus Novus non procul a Monte Citorio.
52. Janus inter Aventinum, & Capitolium.
53. Aqua Appia ad Portam Capenam.
54. Caſtellum Aquæ Appiæ inter Aventinum, & Tiberim.
55. Caſtellum Anionis veteris ibidem paulo inferius.
56. Caſtellum Aquæ Juliæ in Eſquilino.
57. Fons Lollianus inter Aventinum, & Cœlimontium.
58. Caſtrum ad viam Appiam.
59 Senatulum in Capitolio.
60. Horologium juxta montem Citorium.
61. Templum Jovis Capitolini in Capitolio.
62. Pantheon non procul a monte Citorio.
63 Templum Martis extramuranei ad viam Appiam.
64. Templum Divi Claudii in Cœlimontio.
65. Templum Iſidis Serapidis non procul a Quirinali.
66. Ædes Veneris verticordiæ ad Portam Collinam.
67. Templum Veneris Ericinæ ad dextram viæ Collinæ.
68. Templum Quietis ad ſiniſtram ejuſdem viæ.
69. Templum Silvani ad Viminalem.
70. Templum Junonis Lucinæ in Eſquilino.
71. Templum Jovis fagutalis in Viminali.
72. Templum Æſculapii, ibidem paulo ſuperius.
73. Ædes malæ fortunæ, ibidem paulo ſuperius.
74. Ædes Felicitatis in colle Viminali.
75. Ara Jovis Viminei in colle Viminali non procul a Quirinali.
76 Ædes Veneris placidæ in Eſquilino.
77. Sacellum Deæ Næniæ ad viam Nomentanam.
78 Templum Salutis in Quirinali.
79. Templum Serapis in Quirinali.
80. Templum Apollinis & Clatræ in Quirinali.
81. Templum Quirini e regione præcedentis.
82. Templum Minervæ Flavianæ in Quirinali.
83. Templum Fidei, ibidem paulo inferius.
84. Templum Floræ in Quirinali.
85. Templum Lunæ in Aventino.
86. Templum Dianæ, ibidem.
87. Templum Bonæ Deæ, ibidem.
88. Templum Junonis Reginæ, ibidem.
89 Ædes Victoriæ, ibidem.
a. Aqua Alſietina non procul a Tiberi.
b. Aqua Sabbatina non procul a Porta Septimiana.
c. Aqua Virgo ad collem hortulorum.
d. Arcus Galieni in colle Eſquilino.
e. Caſtra peregrina in Cœlimontio.
f. Caſtrum prætorium ad ſiniſtram Portæ Querquetulanæ.
g. Circus Adriani extra urbem ad Portam Aureliam.
h. Circus Agonalis juxta villam publicam.
i. Circus Caji & Neronis in Vaticano.
l. Circus Caſtrenſis non procul a Porta Eſquilina.
m. Circus Floræ juxta collem Quirinalem.
n. Circus Saluſtii inter Portam Collinam, & Collatinam.
o. Domus Laterani in Cœlimontio.
p. Forum Trajani inter Capitolium, & collem Quirinalem.
q. Horti Aſiniani ad montem Aventinum.
r. Horti Cæſaris non procul a Porta Portuenſi.
s. Horti Domitiæ juxta Vaticanum.
t. Horti Getæ non procul a via Portuenſi.
u. Horti Mæcenatis in colle Eſquilino.
v. Horti Saluſtiani non procul a Porta Collina.
x. Mauſolæum Adriani ad Portam Aureliam.
y. Minerva medica non procul a Porta Eſquilina.
z. Navalia non procul a Porta Portuenſi.
aa. Naumachia altera, ibidem.
bb. Naumachia altera non procul a Porta Flumentana.
cc. Pons Ælius non procul a Porta Aurelia.
dd. Pons Janiculenſis non procul a Porta Septimiana.
ee. Pons Palatinus non procul a monte Palatino.
ff. Pons Sublicius juxta montem Aventinum.
gg. Pons Vaticanus ad Portam triumphalem.
hh. Salinæ ad montem Aventinum.
ii. Sepulchrum Auguſti non procul a monte Citorio.
ll. Sepulchrum C. Ceſtii ad Portam trigeminam.
mm. Sepulchrum Neronis in colle hortulorum.
nn. Sepulchrum Numæ in Janiculo.
oo. Suburra inter Cœlimontium & Palatinum.
pp Templum Fortunæ in colle hortulorum juxta mœnia.
qq. Templum Robiginis ad viam Nomentanam.
rr. Theatrum Marcelli non procul ab inſula Tiberis.
ss. Theatrum *Pompeji* infra pontem Janiculenſem.
tt. Thermæ Arruntianæ ad Aventinum non procul a mœnibus.
uu. Thermæ Aurelianæ non procul a Janiculo.
vv. Thermæ Conſtantini in Quirinali Monte.
xx. Thermæ Diocletianæ in colle Viminali.
yy. Thermæ Olympiadis in monte Eſquilino.
zz. Thermæ Philippi ad montem Eſquilinum.
† Thermæ Septimianæ in proximo pontis Janiculenſis.
✠ Thermæ Severianæ non procul a porta Capena in Aventino.
* Thermæ Trajanæ in Eſquilino monte.
‡ Villa publica non procul a Porta Aurelia.
§ Vivarium ad dextram Portæ Querquetulanæ.

# INDEX RERUM.

## Quæ ad Sacrificia & Nuptia.

## ROMANORUM

## ſpectant.

### A

*AEs & libra* pag. 53
*Agonalia* 13. 24
*Ambravalia* 46
*Amburbia* ibid.
*Angeronalia* 40
*natalis* 48
*Annulus nuptialis* 50
*cur quarto digito inſertus* ibid.
*feminæ annulis non utebantur, niſi nuptialibus* ibid.
*non amplius, quam binos aureos, geſtabant* ibid.
*Aqua & ignis in nuptiis* 59
*Aræ in ſacrificiis Inferorum quot & quales* 11
*Argeorum ſimulacra in Tiberim projecta* 24
*Armiluſtrium* 35
*Arrha, quid* 50
*Aſini quando feriati* 25. 32
*Aſſes tres marito a nova nupta dati* 53
*Auguſtalia* 34
*Auſpices nuptiarum* 50
*Auſpicia piacularia* 9

## B

*Bacchanalia* 45
*Bellonarii ſacerdotes* 25
*Bellum ſuſcipere quando nefas* 38.43
*Bona verba* 8
*Boves fordæ* 20
*Brumalia* 36
*Burrancia potio* 44

## C

*Caeſaries unde dicta* 56
*cam liberi tondebant, non ſervi* ibid.
Cajus & Caja *maritus & uxor* 55.58
*Caja Cæcilia* 55
*Camella, quid* 44
*Camillus puer* 58
*Capite detecto quando ſacrificatum* 38
*Carmentalia* 14
*Cato mulieribus infenſus* 60
*Celibaris haſta* 54
*Cerei in nuptiis* 57
*in ſaturnalibus* 38
*Cibis alienis veſci probroſum Romanis* 36
*Cingulum nuptiale* 55
*Claves novæ nuptæ datæ* 60
*quando ademtæ* ibid.
*vinaria cur non data* ibid.
Clavum pangere *quid* 33
*Coemtio viri & mulieris* 52
*matrisfamilias propria* ibid.
*Cœna natalis* 48
*nuptialis* 60.61.64
*parentalis* 47
*Colus cum lana & fuſo novæ nuptæ prælatus* 51

Com-

*Compitalia* 23.44
*Confarreatio* 53
*Conſualia* 32
*Conſules quando magiſtratum inibant* 13
*Convivium funebre* 47
*natale* 48
*nuptiale* 60.61.64.
*Saliare* 18
*Saturnalitium* 38
*Coronæ nuptiales* 55.56.58
*Cumerum, quid* 58

D

*Denicalia* 47
*Dianæ a quibus ſacrificatum* 31
*Dies natalis urbis Romæ* 20
*Diffarreatio* 53
*Divalia* 40
*Domorum locationes & commutationes quando factæ* 27

E

*Elephanti funambuli* 22
*Epithalamia* 63
*Epulæ poſt ſacrifica peracta* 11
*Epulum ferale* 47
*geniale* 60.61.64
*indictum, ſive Jovis* 36
*Equiria* 17
*Equitum Romanorum tranſvectio* 30
*Equus October* 35
*Everriator* 47
*Exta* 10.12
*Exverræ* 46

## F

FAbacceæ Kalendæ 25
Faces nuptiales 57
Far pium 9
in nuptiis adhibitum 53
Favere linguis, quid 7
Faunalia 37
Febri a Romanis ſacrificia inſtituta 21
Feliciter quando dictum 51
Feralia 16
Feriæ compitales 23. 44
conceptivæ 41
denicales 47
indictivæ 45
natales 48
non ſtatæ 41
novendiales 44
ſementinæ 14.44
ſtultorum 15
Veſtales 25
Feſcennini verſus 64
Feſtum Accæ Laurentiæ 40
Anciliorum 18
Angeronæ 40
Annæ Perenæ 18
Bellonæ 25
Carnæ deæ 24
Carmentæ 14
Dianæ 31
Fortis Fortunæ 27
Fortunæ 26
Fortunæ mulieribris 28
Fortunæ virilis 20
Junonis Monetæ 25
Martis, extramuranei 24
Ma-

*Matutæ* 24. 26
*Mercatorum* 24
*Sigillariorum* 39
*Flammeum , velum nubentis* 55
*luteum erat* 56
*Fulmen vivum, quodnam dicatur* 6
*Fontinalia* 35
*Fordicidia* 20
*Fornacalia* 15
*Furinalia* 31

G

G*Alba Imp. elephantos funambulos Floralibus exhibuit* 22
*Genius deus* 63
*illi quando & quomodo ſacrifica tum* 48
*Geniales epulæ* 60. 61. 64.
*faces* 57
*tori* 63
*Græci & Galli defoſſi* 57

H

H*Aſta celibaris* 54
*ſumma armorum & imperii* 55
*Hilaria* 19
*Horæ ſponſalibus, dicatæ, quæ* 52
*Hoſtia unde dicta* 5
*ejus varia genera* ibid. & ſeq.
*præſtantior, quæ generis erat feminei* ibid.
*v.* Victima

I

JAnual *quid* 13
*lignis & aqua in nuptiis* 58

Ignis in ſacris 10
 fiebat ex lectis lignis ibid.
 precibus eliciebatur, ut incederet altaria ib.
Immolare quid 9
Inferorum ſacrificia 11. 12
Jugum an nubentibus impoſitum 59
Juno Cinxia 55
 Curitis 44
 Domiduca 59
 Iterduca ibid.
 Moneta 25
 Unxia 59
 Zygia, ſive Juga ibid.
Juſſu, quid 6

L

LAc, mel, & mulſum victimæ jacenti ſuperinfuſum 12
Lactis nomine quando vinum appellatum 22
Larentinalia 40
Lavatio manum in ſacris 6
 pedum in nuptiis 59
Lavatio Matris deum 19
Lectiſternia 36. 45
Lectus nuptialis 63
Leges ſumtuariæ 61
Legumina in Floralibus ſparſa 21
 in Parentalibus oblata 47
Lemuria 23
Liberalia 18
Ligna in ſacrificiis accenſa, quæ 10
Limen cur nova nupta tranſiliret 59
 Veſtæ ſacrum ibid.
 ejus offenſio ominoſa ibid.
Lucaria 30
Ludi piſcatorii 25
Lupercalia 14. 15

Ma-

## M

MAjus menſis nubentibus infauſtus 23.51
Mala verba 8
Mania dea Larium mater 23
Manus dextera in ſacrificiis adhibita 11
Marinis diis quo ritu ſacrificatum 12
Matralia 26
Matronalia 17
Meditrinalia 34
Menſibus ſingulis quæ numina aſſignata 40.41
Minerval quid 19
Mola ſalſa 9
a quibus confecta ibid.
Mundus patet quid 33.34
natalitia 48
Munera nuptialia 50.64
Saturnalitia 38
quando viris miſſa a feminis 24
quando feminis a viris 18
Muta dea 16
Myrtum in ſacris Bonæ deæ mulieres abominatæ 22

## N

NAtalia 47.48
Nonæ caprotinæ 29
Novendiale ſacrum 44
Nubere quid 55
quando nefas, aut fas 23.51
Nuces in nuptiis ſpargi ſolitæ 64
Nuptæ novæ cingulum 55
claves 60
cultus 54
curulis tranſvectio 57
deductio ad maritum 56

*in cubiculum* 63
*pellis lanata* 60
*velatio* 55
*utenſilia prelata* 58
*Nuptiales dies* 52
*Nyctelia* 46

O

OBnubere *quid* 35
*October equus* 55
*Oleum victimæ infuſum* 12
*Opalia* 38
*Opeconſiva* 33
*Oratorum certamina quando facta* 19
*Ornatus poſtium in nuptiis* 58
*ſponſæ* 54. 55
*ſponſi* 56

P

P*Aganalia* 43
*Palilia* 20
*Panis farreus* 53
*Papaver lacte & melle dilutum in nnptiis* 61
*Parentalia* 16. 46
*nuptiis ominoſa* ibid. 51
Parricidium *idus Martiæ cur dictæ* 18
*Pellis lanata nove nuptæ* 60
*Pileis Romani quando utebantur* 38
*Poetarum certamina quando facta* 19
*Pompa nutialis* 56. 57
*Poplifugium* 28. 29
*Porca quando immolata* 62
*Poſtes in nuptiis quomodo ornati* 58
*Præfectus Urbis Latinarum cauſſa, qui* 43
*Præparatio ſacerdotum* 6

*Pro-*

*Pronubæ mulieres* 51
*novam nuptam in cubiculum deducebant* 63
*Pronubus anulus* 50
*Profani a ſacris amoti* 7
*Proxenetæ* 50
*Pueri patrimi & matrimi* 57. 63
*procaciter nubentibus occinentes* 63. 64
*Puræ manus* 8

Q

*QUinquatria* 19
*Quinquatrus minuſculæ* 26
*Quirinalia* 15

R

*REgifugium* 17. 24
*Repotia* 52. 64
*Ritus precationum* 45
*ſacrificiorum* 3. & ſeq.
*ad ſuperos ſpectantes* 8
*ad inferos* 11
*ad marinos* 12
*Robigalia* 21

S

*SAcerdotum præparatio* 6
*lavatio* ibid.
*veſtimenta* 8. 11
*Sacra Bonæ deæ* 22
*Liberi* 22
*Maniæ deæ* 33
*Matris deum* 19
*Mercurii* 24
*Minervæ* 19
*Mu-*

*Mutæ deæ* 16
*Termini* ibid.
*Veneris* 20
*Sacrificium quid* 3
*quotuplex* ibid.
*ab eo arcebantur impii, polluti, & profani* 7
*quandoque etiam mulieres* ibid.
*Sacrificia inferorum* 11
*marinorum* 12
*ſuperum* 5
*nuptialia* 62
Saliare *convivium* 18
*Saltationis in nnptiis* 62
*Saturnalia* 37
*Senatus a Romulo convivio exceptus, quando & cur* 36
*Servæ, præter unam, a Matralibus amotæ, cur* 26
*Servii Tullii ſimulacrum* ibid.
*Servi comam non tondebant* 56
*Compitaliorum miniſtri* 23
*convivio a matronis excepti* 18
*a dominis* 38
*Sigillaria* 39
*Sigilla pueris a parentibus miſſa* 40
*Silicernium* 16
*Simpulones* 62
*Simpuvium* ibid.
*Spina alba* 57
*Sponſa & ſponſus qui dicantur* 49
*Sponſalia unde dicta* ibid.
*quomodo contracta* 50
*eorum formulæ* ibid. 58
*Sumtuariæ leges* 61
*Suovetaurilia* 46
*Supplicationes* 45

Ta-

## T

*Tabulæ ſponſaliorum a proxenetis obſignatæ* 51
*Tædæ nuptiales* 57
*Talaſſio* 61
*Tanaquil* 55
*Templum Bellonæ quando dicatum* 25
*Bonæ deæ* 22
*Carmentæ* 14
*Fortunæ muliebris* 28
*Fortunæ publicæ* 24
*Martis* 24.31
*Martis Matutæ* 26
*Telluris* 14
*Tempeſtatis* 21
*Veneris* 31
*Veneris Erycinæ* 21
*Veſtæ* 26
*Tempus nuptiis aptum* 51
*ineptum* ibid.
*Terminalia* 16.17
*Teſtuaceum, quid* 26
*Thus hoſtiæ infuſum* 9
*diis marinis ab Ovidio tributum* 12
*Tibia nuptialis* 61
*Toga in lectis nuptialibus ſtrata* 63
*quando ſumta* 19
*Tranſvectio equitum Romanorum* 30
*Tubiluſtrium* 19.24
*Tunica recta, indumentum novæ nuptæ* 55

## V

*Vaſa in ignem conjecta in ſacris inferorum* 12
*Venatores Dianæ operati* 31
*Verticordia Venus* 20

Ve-

Veſtes ſacræ 8
Veſtalia 25
Victima, quæ 5
  quomodo differt ab hoſtia ibid.
  præſtantior, quæ generis feminei erat ibid.
  acortes quæ 14
Victimæ ad ſacrificium trahendæ non erant 7
  ante aram ſolutæ ſtabant 8
  Superis jugulum elevabant 9
  Inferis deprimebant 12
  earum deductio 7
    exploratio ſive probatio ibid.
    percuſſio 9
    jugulatio 10. 12
Vinalia priora 21
  poſteriora, ſive ruſtica 31
Vinum ſalbar 11. 32
  inferium 8
  purum 10
  ſpurcum 10
  hoſtiæ infuſum 8. 12
  in aquam effuſum 12
  feminis vetitum 60
Virgines Dianæ operatæ 31
Unctio poſtium 58
  cur a nubentibus facta 59
Uſu quæſitæ partæque uxores 53. 54
Vulcanalia 32
Vulturnalia 33
Uxor unde dicta 58
Uxorum querendarum modi 52. 53. 54


FINIS.

SPECIAL 93-B
3645

THE GETTY CENTER
LIBRARY